

Wanted  
1923  
Vol. 3

---

CURSUS  
PHILOSOPHICI

REGALIS COLLEGIJ

SALMANTICENSIS

SOCIETATIS JESU

IN COMPENDIUM REDACTI,  
& in tres partes divisi,

PRIMA PARS,

CONTINENS LOGICAM, SEU PHILOSOPHIAM  
Rationalem.



AUTHORE

R. P. LUDOVICO DE LOSSADA,  
*ejusdem Societatis, & in eodem Regali Collegio  
Theologiae Professore, & Sacrae  
Script. Interprete.*

Vallif-Oleti : Ex Offic. Typ. Bonae Mortis.  
Añn. 1751.

CURSUS  
PHILOSOPHICUS

REGIAE COLLEGII  
SALMANTINENSIS

SOCIETATIS IESU  
IN COMPENDIUM REDACTAE  
& in tres partes divisa

PRIMA PARS

CONTINENS LOGICAM, SEU PHILOSOPHIAM  
RATIONALIUM



AUTHORIS

R. P. LUDOVICO DE ROSARIO  
S. Theologiae Professori, &c.  
S. Reg. Praeceptorum

Typis: In Off. Typ. Bae. Alae  
Ann. 1731.

ANGELICO JUVENI  
SANCTO LUDOVICO GONZAGA,

Qui ex Aula Catholici Regis, & Principatu Sacri Imperij;

A Deipara Virgine

In Societatem Jesu vocatus,

Atque in eà Religiosus Scholaris,

Ipsam Juventæ Florem

In heroicæ sanctitatis Fructum convertit:

Qui mente Cherubica,

Corde Seraphico,

Puritate, & Innocentia Vitæ mirabili,

Dum mortalis Viveret

Cælestem Spiritum in terris degentem referebat:

Qui è Societatis Scholari Magister Virtutis omnigenæ,

In Choros Angelicos cooptatus,

Et in Aula Cælesti gloriosè fulgens,

Scholarum ejusdem Societatis *PROTECTOR*

A Sede Apostolica

Solemni Decreto declaratus est;

Quó Juvenes ad veram Sapientiam aspirantes,

Et Jesuitarum ductu magisterioque

Scientiarum curriculum peragentes,

Exemplo inflammet,

Favore sublevet,

Patrocinio tueatur:

Huic equidem potentissimo ac beneficentissimo

*PROTECTORI*

Totam se devovet Philosophia præsens,

In Compendium redacta,

Et in studiosæ Juventutis,

Quæ Societatis Jesu Scholas frequentat,

Commodum elaborata;

Subque hujus Angeli Tutelaræ auspicijs

Læta prodit in lucem.

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Fr. FABIANI  
 Rodriguez , Cælestis Trinitarij Ordinis , & in Castel-  
 lana ejusdem Provinciæ Præsenti , Salmanticensis Col-  
 legij ter Præsulis vigilantissimi , & in eodem Collegio  
 studiorum Præsedit , hujus Diœcesis Synodalis Examina-  
 tortis , ac tandem in Salmantina Academia Doctoris Theo-  
 logi , & in eadem Philosophia Cathedram Moderantis .

AVE MARIA.

**N**I exordiar hujus Epitomes dignissimam laudem  
 ab alto , non mihi complaceo , & munere fungi ,  
 & officio . Alta Jesu Societas , edere tot af-  
 sueta Gigantes ; nusquam parvulos nutriens , semper enixa  
 Procera : cujus Stemma Veritas ; *cujus doctrina Puritas :*  
 cujus pennæ , seu plumæ , si ad summa petendum excelsio-  
 „ res ( quæ illius Aquilæ grandes , magnarum alarum , plenæ  
 „ plumis , & varietate , quæ venit ad Libanum , & tulit  
 „ medulam Cedri ) non minus , bilanci acumine , veluti gla-  
 „ dio bicipiti , & errorum monstra debellant , & salubri ju-  
 „ gulo ( utique quasi os Domini ) pretiosum à vili separan-  
 „ tes , insudant : ex quo jam illatum duco : quod & sanitas  
 „ in pennis ejus ; & ad sanitatem gentium ( vel gladiatorum ,  
 „ vel voluminum ) folia saluberrima ipsius : Hæc , inquam ,  
 „ Procera Parens , ab ipso Clemente VIII , appellata Societas  
 „ ingeniorum : & quæ , teste Pio IV. , incredibile est , quantum  
 „ tan brevi tempore ordo facer profuerit , quantum Ecclesiæ  
 „ Del attulerit utilitates ; scientiarum omnium , ac virtutum  
 „ Emporium , ac Religionis acies firmissima :: Catholicæ no-  
 „ minis defensione , & hæreticorum excidijs clarissima :: quo-  
 „ rum diligentia alibi fides Catholica confirmatur , alibi hæ-  
 „ reticæ pravitate pestis reprimitur ; alibi gentiles , & ido-  
 „ lolatræ relicto idolorum cultu , ad Christi veri Dei cul-  
 „ tum convertuntur : hoc , in suo Salmanticensi Magnifi-  
 „ centissimo Collegio , cogitaverat unum Cursum cudere  
 „ Philosophicum , quo & Tyrones instrueret , provectiores ,  
 „ & Sophos erudiret .

Et veluti si universa Societas in Compen-  
 dium redigi pensitaret , ut hoc opus , hic labor evaderet  
 sine clivo culmen : en Societatis Compendium ; Jesuitica  
 Regalis , excelsa ipsa Salmantina Domus , non tam Philip-



Ipsi III. Regalibus decorata sumptibus, quam superædificata super fundamentum Apostolorum (quorum tot Heroum congeries dignissima similitudo fit) ipso summo angulari lapide Christo Jesu: ad quem accedentes lapidem vivum: & ipsi tanquam lapides vivi superædificati, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, ipsi ferre Athlantes possent Cœlestæ Ecclesiæ fortalitium. Collegium igitur hoc, undequaque, & utrobique Maximum; Universæ Societatis Epitoma, Enchiridion, Compendium: cujus pennæ (ad caput redeo) utpote quod Sancti Spiritus & nomine, & Omine præfulgent, pennæ columbæ deargentatæ; id est, pennæ erunt columbæ unicæ, divinis eloquijs eruditæ: dormiens (*vigilans profecto*) inter medios Cleros, *vel Sortes*; erga inter quos spolia speciei domus suæ divideret: ut illis (*ait Augustinus*) hoc dicere intelligatur quod speciei domus tanquam spolia dividuntur: id est, si dormiatis inter medios clericos, o vos, qui dividimini speciei domus per manifestationem spiritus ad utilitatem (*quam consorium Societatis usui!*) ut alij quidem detur per spiritum sermo sapientiæ alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, in RR. P. Mag. Ludovicum Loffada, seu in ejus argenteam pennam, ore unanimi collimavit; ut Cursum toto orbe celebrem nomine ipsius Collegij, eo, tamen Authore, & scriptitaret, & cuderet. O ineffabilem Virum, tantæ Sapientiæ Thesaurarium! O totius Sophiæ Custodem, Vas, Fidejussorem, Depositem! Cursum consummasti, (utique) fidem servasti, quid in reliquo? Reposita est tibi corona justitiæ, personante Studio, & Stadio.

Cursu evulgato, jam veteri, & (plaudente Europa) conspicuo: sibi consulit Collegium, consulere proficientium lucro. Duxerat, accingi, quod toto resonat Orbe. Sed quis accingeret, nisi manus ipsa, quæ extendit? *Quis conclusit ostijs Mare?* Utique sacer Author illius: ille, qui inibi apposuit: *circumdedi illud terminis meis*: & alibi: *Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos*. Nonnullorum suorum operum & Deus ipse Compendiator Vastam aquarum molem Factor ipse cinxit Oceano. *Purissimam partem primogenitæ lucis* (ajebat Procopius, de primogenio jubare) accipiens, *transfudit in Solem*. Denique. Tota rerum series omnibus

Ad Eph. 2. 5.

1. Petr. 2. 4:  
& 5.

Psal. 67.

14. Interlin.

S. Aug. hic  
tom. 8.

2. Ad Timoth. 4. v. 7.  
& 8.

Job. 38. 8.

Ibid. v. 10.  
Psal. 32. 7.

Procop.

bus

Gene. i. v. 31. bus numeris obſignatur perfecta; cum vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *Valde bona*, quia *cuncta*, quia quali in Compendio, & Epilogo: Quod (Cenforem jam jam agens) de præſenti Epitome pronuntio.

Reverendiſſimus Author laude major in quovis opere (teſtes advoco Eruditos Sapientes omnes): omnigenæ ſcientiæ Pelagus; ſed (quod magis ſtupendum) humilitate, ſed prudentia, & conſilij præſtantiſſimus: ſolùm errare neſciens; omne quod attingit exhauriens, Verè Tullius, & indicere: (majori humilitate relucens) *quæram omnia, dubitans plerumquæ, & mihi ipſi diffidens;* perfecit (ſat eſt, ſi fuit) *Curſum conſummarvit* Dialecticum, quo, ecce Cryſippum Philoſophum, vel Zenonis, vel Cleantis Diſcipulum: de quo ajebat, *quod ſi Dij Dialecticæ operam navarent: non alterius Dialecticæ, quam Dialecticæ Cryſippi ſtuderent.* Aptum Noſtrati encomium; laus lecta impurificabili, cui laudes, & encomia faſtidiunt. Et relate ad Enchiridion, de quo nunc, en ſyncerè cenſum. Tanta claritate fulget (quæ in Compendijs opus difficiſſimum) quod, pluſquam tenſum exemplar, (ſi faſ eſt dicere) clareſcit; qualiter notatu dignum, in operibus Subt. Doct.; cujus Pariſienſe ſcriptum, multo pluſ quam Oxoniſe redactum, tantò clariuſ conſpicitur, quantò brevius animadvertitur. Quo ad attinet ad mores, puritatem, & Catholica Dogmata: nihil lepidiuſ, nil ſaniuſ, nec redolens ſaniorem doctrinam: complectens ſpecies *Boni*, honeſtum, utile, & delectabile: ex quo Bonum (valde bonum) curſurum inoffenſo pede, qua illud *Maximum in minimo*, quod Criticus, ejus acola, exaltat; & cujus diſſertationi iſtud poteſt addere exemplar.

RR. P. Mg.  
Feyjoõ tom.  
7. Theatr.  
Crit. Diſ-  
cuſ. 1.

Sic pareo juſſui gratiſſimo Illmi. Domini D. Joſepi Sancho Granado, meritiſſimi Epilcopi Salmantini, à Conſilij Regiæ Catholicæ Majeſtaris &c. cui, flexo uſque ad terram poplite, reverenter gratitudinem ago; & ſi Author conqueri queat, tam pulchrum hoc incipere nævo. Sic ſentio (ſalvo ſemper meliori) in hoc Sanctiſſimæ Triadoſ, Redemptionis Captivorum, Salmantino Collegio, ſub die 7. Auguſti, Anni Domini 1747.

Fr. Fabianus Rodriguez.

CENSURA REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI

*Fr. Joannis Ladron de Guebara, in Univerſitate Salmantina Doct̄oratus Laurea duplici, Philoſophiæ & Theologiæ, inſigniti; in eadem, poſt alias, Divi Anſelmi Cathedralæ Moderatoris; ſui, Divi Andree Carmelitarum de Oſervancia, Collegij ſemel, ac iterum Præſecti; Provinciæ ſuæ Caſtellæ, inter conſcriptos Patres, jam olim Primi Diſſinitoris, vigilantiffimi Præfulis, nec non Viſitatoris, ac Commiſſarij Generalis, &c.*

**S**ENATUS Caſtellæ imperio, ſumma hilaritate perſuſus, libenter, & vigili cura vidi opus ſanè mirificum ſuper univerſam Philoſophiam, rationalem, naturalem, & metaphyſicam, cui titulus eſt: *Cuſus Philoſophicus Regalis Collegij Salmanticensis Societatis Jeſu, in Compendium redactus, & in tres partes diviſus*: elucubraturum iterata laconica, & faciliori methodo, dulci, & breviori ſtilo concinnatum, calamoque ſubtili, & diſſerto denuo reſumptum à Rmo. Pat. Mag. Ludovico Leſſada, inclytæ Societatis præclariffimo filio, cujus incomparabiles dotes jam diu, glorioſiſſima volante fama, & plaudente ingeniorum lingua, apud omnes fauſtiſſimo plauſu tuba vulgaverat, non modò apud Societatis nobiliſſimos, & domeſticos Commilitones literarij certaminis, ſed & apud exteros totius Chriſtiani Orbis ſapientiſſimos Heroes, & plauſibilium Academiarum Patres, qui quidem meritò hujus celeberrimi Authoris mirantur cunctarum litterarum peregrinam congeriem, qua pollet, inter plurimos eminens omnigena ornatus ſapientia, ſacra, & ſolidiſſima Theologia, ſacrorum Bibliorum interpretatione graviſſima, litterarum humanarum maxima copia, amaniſſima omnium diſciplinarum varietate, utriuſque hiſtoriæ eruditione fecunda, muſarum liquore circumfuſo Numine, elegantî pulchritudine, inimitabili claritudine, & facilitate: ita ut: *nihil in aliqua diſciplina, adeo obſcuſum, atque reconditum, adeo anguſtis, & conciſis diſputattonibus illigatum, implicatumque, quod ſi illud ſe mente, & cogitatione conſiciat, apertum, explicatumque ipſi non fiat.* \*

Cuncta hæc præclara ornamenta, quæ ſigillatim ſparſa, plurimos in Minervalibus Theatris ſatis commēda-

\*  
Jan. Niz. in  
Pinacoth. fol.  
66.

\*  
Latin. Pacat.  
in Panegy.  
ad Theod.  
August.

dabiles sapientiæ viros efficerent, felici sorte, inenarrabili fœdere in hoc celeberrimo Magistro adunantur, de quo fat est cum Latino Pacato opportunissimè promere: \* *cum* „igitur impediatur turba delectum, atque tam præstet gesta in „summm referre, quam enumerando tenuari, dixisse sufficiat „unum illum divinitus extitisse, in quo virtutes simul om- „nes vigerent, quæ singulæ in omnibus *prædicantur*. Haud facile numerari queunt micantissimi hujus indefessi Authoris studia, scripta, labores, & jucundissima opera studiosorum animos ferè magnetica vi trahentia, quibus in cunctis operosis elucubrationibus (ut Sidonius de Claudia „no Mamerto decantabat) *sentit* ut Pithagoras; dividit, ut „Socrates; explicat, ut Plato; implicat, ut Aristoteles; ut De „mosthenes irascitur; vernat, ut Hortensius; incitat, ut Cu „rio; suadet ut Cato; persuadet, ut *Tullius*.\*

\*  
Sydon. Apo-  
linar. lib. 4.  
Epist. 3.

Nec miremini me, potius Authoris Encomiastem, quam operis censorem exhiberi; quoniam moderans Philosophiæ Cathedram in hoc Salmantino Lycœo à primis labris hujus doctrinæ mira fluente degustavi, delibavi, & fortuna afflante, juvenibus studiosis suggesti. Igitur non inglorius tanto discipulatu, veneratione & amore, meum sapientissimum Magistrum profecutus sum, ex admiratione sui subtilissimi ingenij perspicuitatis, nervositate, & p. r. grini acuminis diligere cœpi: at postquam temporibus hisce, diligentiori indagine lustratus, plurimus hujus Doctoris elaborationes, non sine animi voluptate, percurri, crevit admiratio, crevit & dilectio; adeo, ut cum Plinio Se „cundo dicere non erubescam: *observatur* oculis ille vir, quo „neminem ætas nostra graviorem & subtiliorem tulit, quem „ego, cum ex admiratione diligere cœpissim, quod evenire „contra solet, magis admiratus sum, postquam penitus *in- „pexi*.\*

\*  
Plin. Secund.  
lib. 4. Epist.  
17.

Crescet in dies Gymnasiorum stupor, & juvenum profectas, hæc innovata in re Philosophica fulgentissima prole, venusto, & eleganti stylo elaborata, mirabili armonia, & ordine disposita, elementis solidissimis, argumentosis, ratiociniisque efficacioribus fulcita, & pulcherrima inventionem, novitate, ubertate, claritate, & facilitate constructa. Sed quid de incomparabili hujus operis concisione, & brevitate proferre valeo? Mihi liceat tritum

Oxomensis Carmen opportunè adaptare: *crede mihi, labor est non levis, esse brevem.* \* Tandem Authoris, & operis condignam apud Academicarum Principes recomendationem his Plinij eloquentissimis verbis circumscribere conor: ita ad Vespasianum fatur: \* *Nam esto res sit ardua, venustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam: dubijs fidem, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia; ad hæc cæli natum Doctorem nostrum magna fama præcesserat, major inventus est: summa est facultas, copiosa ubertas, multa lectio, multa scriptio.*

Multa alia possem & ego congerere encomia præclarissimi sui Societatis instituti, morum integritatis, virtutis, & assidui solitudinis incolatus hujus sapientissimi Magistri elevantis se in perpetuis elucubrationibus suis; sed tanti Doctoris miranda modestia, me non excedere metas ingenuè jubet, & quamvis plurima, quæ mente concipi erumpere gestiunt, offensionis timor peccus urget, dum aperire conor: sat dicere est quod hoc opus egregium est ab omni labe defæcatum, nihil dissonum fidei, moribus, & sacris Sanctionibus præcontinens; quare prælo dignissimum judico; perge igitur omnium litterarum facile Princeps, & ede quam plurimum quam cellerrimè opus undè tuo nomini celebritas, temporibus claritas, & studiosis omnibus patiatur utilitas. Sic sentio in hoc Divi Andræ Salmantino Carmelo, Die 28. Julij. Ann. 1747.

*M. Fr. Joannes Ladron de Guccara.*

\*  
Oxomensis  
Angel. Epi.  
gram. lib. 1.  
num. 167.

\*  
Plin. ad Vespasian. & lib. 2. Epist. Epistol. 1.

*FACULTAS P. PROVINCIALIS.*

**E**GO Didacus de Tobar, præpositus Provincialis in Provincia Castellana Societatis Jesu, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. N. Francisco Rez Præposito Generali, facultatem facio, ut liber, cui titulus est, *Cursus Philosophicus Regalis Collegij Salmanticensis Societatis Jesu in Compendium redactus, & in tres partes divisus*, à Patre Ludovico de Loflada nostræ Societatis gravium, doctorumque hominum judicio approbatus, typis mandetur; in quorum fidem has litteras manu nostra, & Secretarij nostri subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. In hoc nostræ Societatis Loyolensi Collegio die 6. Augusti anno Dñi. millesimo septingentesimo quadragesimo septimo.



JHS

Didacus de Tobar.



JHS

Josephus Aloysius de S. Cruz,  
Secretarius.

---

*FACULTAS ORDINARIJ.*

**D**. Josephus Sancho Granado Dei, & Apostolicæ Sanctæ Sedis gratia Episcopus Salmanticensis, Regiusque Consiliarius &c.

Cum opus, cui titulus: *Cursus Philosophicus Regalis Collegij Salmanticensis Societatis Jesu in Compendium redactus, & in tres partes divisus*, ex commissione nostra cognitum sit, & approbatum, facultatem, ut typis mandetur, præsentium tenore facimus. Datum Salmanticæ, die 29. Augusti, ann. 1747.

Josephus Episcop. Salmant.

De mandato Illmi. Dñi. mei Episcopi  
Joannes à Monreal,  
Secret.

## LICENCIA DEL CONSEJO.

**D**ON Miguel Fernández Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor; su Escribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno de el Consejo.

Certifico, que por los Señores de él, se ha concedido licencia al P. Luis de Lofada de la Compañia de Jesus, para que por una vez pueda imprimir, y vender un Libro, que ha escrito, intitulado *Cursus Philophic. Regalis Collegij Salmanticensis Societatis Jesu, in tres partes divisus, & nunc in breviorum formam redactus*, con que la impressiõ se haga por el original, que vâ rubricado, y firmado al fin de mi firma, y que antes que se venda, se traiga al Consejo dicho Libro impresso junto con su original, y certificaciõ de el Corrector, de estar conformes, para que se tasse el precio à que se ha de vender, guardando en la impressiõ lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos, y para que conste, lo firmè en Madrid à catorze de Diziembre de mil setecientos y quarenta y siete.

*Don Miguel Fernandez Munilla.*

## SUMA DE EL PRIVILEGIO.

**T**IENE Privilegio de S. Magestad, el P. Luis de Lofada, por tiempo de 10. años, para que ninguna persona sin su licencia pueda imprimirle, como consta de su original, que parâ en poder de dicho Autor.

## SUMA DE LA TASSA.

T Afaron los Señores del Consejo este Libro à seis maravedis cada pliego, como consta por certificacion de Don Miguèl Fernandez Munilla, Secretario de Camara del Rey nuestro Señor, en Madrid à diez y seis de Diciembre de mil setecientos quarenta y siete.

Ay Paulina del S. Nuncio; fu fecha ocho de Julio del año passado de mil setecientos y cinquenta, para que ninguno, sino la Provincia de Castilla de la Compañia de Jesus, pueda imprimir este *Curso Philosophico* de el Padre Luis de Loffada de la misma Compañia

## FEE DE ERRATAS.

Este Libro intitulado *Cursus Philosophici Regalis Collegij Salmanticensis Societatis Jesu, in tres partes divisi, & nunc in breviorum formam redacti, prima pars continens Logicam, seu Philosophiam Rationalem*, su Author el P. Luis de Loffada de la Compañia de Jesus, corresponde à su original. Madrid, y Diciembre treze de mil setecientos quarenta y siete.

*Lic. D. Manuel Licardo de Rivera,*

Corrector General por su Magestad.



PHILOSOPHIA RATIONALIS,  
 QUATENUS MAGNA, SEU MAJOR LOGICA  
 DICITUR.

PRÆFATIUNCULA.



OST Dialecticas Institutiones, quæ, licet *parvæ* *Logicæ*, vel Summularum titulo notentur, re ipsâ tamen medullam continent Logicæ artis, nunc opus aggredimur, quod *Magna*, seu *Major Logica* idcirco vocatur, quia & volumine grandius, & rebus ipsis, tum suis, tum ex *Animaistica*, & *Metaphysicâ* juxta communem Scholarum methodum adscitis, longè est difficilior. Illud verò sex Tractatibus distinguemus. Quorum primus *Proœmialis* vocatur, & est: quia non pauca discutit Disciplinis omnibus præambula, & in limine cujuslibet Scientiæ prænoscedenda. Nec immeritò vocabitur etiam *Logica reflexa*: quia in eo mens nostra Logicam ipsam reflexè considerat.

TRACTATUS PRIMUS PROOEMIALIS.

*De Natura, & Objecto Logicæ.*

DISP. I.

*De Natura Logicæ.*

CAP. I.

*De Notione, Quidditate,  
 & Divisione Logicæ.*



Acultas, quam exponere aggredimur, tribus hisce nominibus nota est: *Logica*, *Dialectica*, *Philosophia Rationalis*. No-

men *Logica*, à Græco *logos*, cui Latine respondet *ratio* vel *sermo*, trahit originem: & idcirco aptè convenit Facultati, quæ rationem ex instituto limat, & sermonem perficit internum. *Dialectica* Græcum etiam etymon habet, commune cum *Dialogo*, quo priscis temporibus tradi, & explicari solebat. Et quia tota hæc Ars magisterio

terio Rationis incumbit, ab hoc munere vocatur *Philosophia rationalis*.

2 Sic adumbrata Logica definitur pafsim á prifcis, & modernis Philosophis, *Facultas rectè differendi*. Est autem *differere*, ut modò accipitur, *aliquid ignotum ex his, quæ nota sunt, patefacere*, definiendo scilicèt, dividendo, & argumentando. Cui definitioni consonant aliq, quæ apud veteres, & modernos Philosophos circumferuntur: nempè, *Facultas intellectus præscribens modum indagandæ veritatis: Recta ratio cogitandi ad veritatem invenientiam: Ars rectè utendi ratione: Facultas rectè definiendi, dividendi, & argumentandi, & ut alias omitam, Ars directiva ipsius actus rationis, ut in ipso actu ordinatè, facilitèr, & sine errore procedatur; quæ sumpta est ex D. Thom. I. Post. lect. 1.*

3 Sed contra definitiones, aut descriptiones istas objicies: *Ars directiva intellectus videtur impossibilis, aut inutilis. 1.:* Quia potentia necessaria in operando, qualis est intellectus, non potest arte dirigi. *2.:* quia intellectus tendit sub ratione veri, ad eòque nihil potest attingere nisi verum ergo inutilitèr dirigitur, ne deflectat à verò.

4 *Resp. neg.* assumptum. Ad *1. prob.* Intellectus est quidem potentia necessaria in operando, quoad aliquos actus; at non quo-

ad actus omnes, & modum eorum, independentèr ab imperio voluntatis. Sunt enim actus plurimí, pro quibus indiget intellectus applicatione voluntatis, & in quibus proinde locum habet directio artis; ut in decursu magis explicabitur.

5 Ad *2. prob. dist. Antec.:* Intellectus tendit &c., quatenus nihil judicat sine aliquâ specie veri suadibilis, & nihil apprehendit nisi verum transcendente, vel instar illius, *conc.:* quatenus nihil attingit, nisi cum veritate formali, vel congruenter ad ipsam, *neg. Antec., & consequ.* Sæpè enim deflectit intellectus à veritate formali (quæ est conformitas actus cum objecto), ut nimis testatur experientia, præsertim in reconditis, & obscuris.

6 De cætero utilitas Logicæ artis evidentior est, quàm ut probationibus egeat. Nec SS. Ecclesiæ Patres, qui Dialecticam interdum carpere videntur, usum ejus improbat; sed abusum: quin potius magnoperè commendant artem, & regulas rectè differendi, ut ostendimus in nostrâ Logica fusiorè. Ibi quoque diximus, quis, & quantus fuerit Aristoteles, hujus Artis partim inventor, partim illustrator, qui Philosophorum Princeps audit, & antonomasticè Philosophus.

*Logicæ Divisio multiplex.*

7 **L**ogica, alia *Naturalis* est alia *Artificialis*. *Natu-*

turalis est *Innatus vigor*, seu *natum lumen intellectus* ad veritatem proni, & ad aptè differendum quodam naturæ pondere inclinantis. Artificialis est *Doctrina studio, & labore comparata, qua intellectus redditur promptus*, & *expeditus ad artificiosè differendum*. Sic quædam est Rhetorica naturalis, quæ interdum aliqui disertè loquuntur, & apposité ad persuadendum, licet artis præcepta non didicerint; & insuper alia est Rhetorica artificialis, quæ præceptis, ac regulis naturalem facundiam adjuvat, & perficit.

8 Porro Logica artificialis, cui toto hoc opere adlaboramus, dividitur 1. in *actualem*, & *habitualem*. Actualis Logica sunt regulæ, & præcepta differendi, id est, dictamina, quibus intellectus, Logicâ imbutus, in differendo ducitur; ut cum ita apud se statuit, *Dispositio constare debet genere, & differentiâ*. Habitualis est qualitas in intellectu generata ex crebrâ repetitione, & probatione regularum.

9 Divisio ista cunctis scientiis, & artibus, virtutibus etiam ac vitiis, communis est. In omnibus quippè experimur, per actus sæpius iteratos acquiri sensim consuetudinem, seu facilitatem permanentem ad alios ejusdem speciei actus. Hæc autem facilitas censetur qualitas quædam, & appellatur *Habitus acquisitus*; cuius munus est potentiam juvare,

ut promptius, ac facilius repetat actus similes illis, quibus genita est facilitas ipsa.

10 Dividitur 2. artificialis Logica, utrovis modo considerata, in *Definitivam*, *Divisivam*, & *Argumentatricem*, juxta tres differentias Modi sciendi. Dividitur 3. in *Analyticam*, *Topicam*, & *Sophisticam*. Analytica tractat de Syllogismo demonstrativo, Topica de probabili, Sophistica de fallaci. Hæc divisio non totius est Logicæ, sed partis Syllogisticæ. Ad illam verò revocat D. Thomas veterem aliam divisionem Logices in *Judicativam*, & *Inventivam*.

11 Aptius ex eodem D. Thoma dividitur 3. Logica artificialis in tres partes, quæ triplici menti operationi respondent. Nam quatenus tractat de Universalibus, & Prædicamentis, primam intellectus operationem spectat: quatenus agit de Enuntiatione, pertinet ad secundam: & quatenus de Argumentatione, & Syllogismo, pertinet ad tertiam.

CAP. II.  
DE LOGICA DOCENTE,  
& Utente.

12 **P**Rædictis divisionibus accedit alia celebris, & antiqua, Logicam distribuens in *Docentem*, & *Utentem*. Docens est, quæ præcepta, & regulas differendi tradit: Utens, quæ doctrinâ utitur ista, seu quæ

regulas deducit ad praxim. Quo-  
usque verò se extendat Logica  
utens: & quatenus à docente dis-  
tinguatur, obscura, & proluxa  
quæstio est inter Dialecticos, to-  
ta ferè de voce, seu modo lo-  
quendi. Ut tamen clarescat, bre-  
viorque fiat, præmitto.

NOTANDA QUÆDAM,

& illationes.

13 **N**OT. 1. *Usus rei ali-*  
*cujus ( ut docet*  
D. Thomas 1. 2. q. 16. art. 1. c. )  
*importat applicationem rei illius*  
*ad aliquam operationem: undè &*  
*operatio ad quam applicamus rem*  
*aliquam, dicitur usus ejus.* Sic  
cantus, ad quem applicueris re-  
gulas Musicæ, erit usus Musicæ  
artis.

14 *Not. 2. Usus, alius ac-*  
*tivus est, alius passivus. Acti-*  
*vus est applicatio rei considera-*  
*ta ex parte potentia, seu facul-*  
*tatis applicantis: quare illa po-*  
*tentia, vel facultas, quæ Musi-*  
*cæ regulas applicat ad cantum,*  
*erit active utens, seu quæ utitur*  
*regulis. Usus passivus est opera-*  
*tio ipsa secundum respectum ad*  
*rem applicatam. Sic cantus ipse*  
*est usus Musicæ, quam denominat*  
*usitatam.*

15 *Not. 3. Uti regulis, seu*  
*applicare regulas alicujus artis,*  
*nihil est aliud, quam operari cum*  
*attentione ad regulas, & eo mo-*  
*do, quem ipsæ præscribunt. Not.*  
4. Cum voluntas sit, quæ cæteras  
potentias movet, & applicat ad

operandum, ipsa est, quæ primò,  
& principalitèr utitur, sive est  
utens; reliquæ verò potentia, &  
facultates, tum internæ, tum ex-  
ternæ, solum dicuntur *utentes* se-  
cundario, sive cum addito *tan-*  
*quam exequentes*: quæ est etiam  
doctrina Div. Thomæ loco ci-  
tato.

16 Ex his infertur 1., om-  
nem actum conformem regulis  
Logicæ, atque ex earum præviâ  
directione factum, esse Logicæ  
usum, sed passivum, à quo sub  
hac præcisa ratione Logica non  
denominatur *utens*, sed *usitata*:  
illam verò facultatem, quæ talem  
actum exequitur, esse activè *uten-*  
*tem* Logica.

17 Infertur 2., ut Logica  
sit non solum *usitata*, sed *utens*,  
omninò requiri, quòd non solum  
det regulas, quibus conformetur  
actus, verum etiam actum ipsa  
met exequatur Logica habitualis.  
*Exequatur*, inquam; nam, cum  
Logica non sit voluntas, sed ha-  
bitus voluntati subjectus, non  
aliter valet esse *utens*, nisi titulo  
*exequentis*; ut constat ex *Not. 4.*

18 Infertur 3., actus aliâ-  
rum Facultatum, tametsi logicè  
artificiosos, non esse Logicam  
utentem ( ut aliqui volunt ): quia  
non eos exequitur Logica, ut pa-  
tebit cap. 4.; sed exequitur Fa-  
cultas unaquæque suos juxta re-  
gulas Logicæ. Omnis quidem  
Scientia est utens Logicâ ( in  
ablativo ), quatenus utitur doc-

trina Logicæ in officio suorum actuum, sed non ideò est Logica utens: que madmodum licet discipulus utatur doctrina Magistri, non ideò discipulus est Magister utens. Quare syllogismus in materia Physica v. g., usus quidem est Logicæ, sed passivus; à quo proinde Logica denominatur *usitata*, non *utens* nec est actus *logicus* subjectivè, sed objectivè tantum, quatenus à Logica respicitur ut objectum.

16 *Obljic.*, juxta D. Thomam loc. cit. *uti* non solum est proprium *voluntatis tanquam moventis*; sed etiam *Rationis tanquam dirigentis*: cum ergo Logica dirigat ad usum in materia Physicæ, hic usus erit proprius Logicæ. *Dist. consq.*: erit proprius Logicæ tanquam dirigentis, *conc.*, tanquam utentis, *neg. consequ.* Similiter *uti* est proprium *Rationis tanquam dirigentis*; at non tanquam *utentis*; sicut *vellè*, & *amare*, est etiam *Rationis ut dirigentis*, sed non *ut volentis*, & *amantis*.

20 Causæ dirigenti, qualis est, quæ consilium, præceptum regulam tradit, verè tribuitur imputatione morali usus, & executio consilij, &c.; sed ex hoc capite numquam ipsi tribuitur tanquam utenti; quia denominatio *utentis*, non refunditur in omnem causam usus, sed in eas tantum, quæ applicant, aut exequuntur. Et alioqui, si quis alium dirigat,

ut rectè utatur cibo, potu pharmaco, non poterit non ipsemet uti rebus iisdem; quod ridiculum est.

21 Doctrinam hanc intellege, non solum de syllogismo demonstrativo in materia Physicæ, vel alterius Scientiæ, verum etiam de syllogismo probabili (quidquid alij reclament) dummodo procedat ex principiis ejusdem Scientiæ proprijs. Hujusmodi enim syllogismus, ut etiam habitus, à quo oritur, verè pertinet ad Physicam ut utentem doctrina Logicæ: nam, ut ait Aristot. 1. Rhætor. ad Theod. c. 1., *Ejusdem facultatis est, & veri, & verisimilis confideratio*. Quare non est proprius Logicæ nisi ut dirigentis. Vid. Logic. fusior.

## SENTENTIÆ NOSTRÆ

*prima conclusio.*

22 **L**ogica omnino proprie dicitur, & est utens circa propriam materiam. scilicet circa artificium actuum intellectus. Probatur breviter. Logica regulas suas applicat, ac reducit ad praxim circa propriam materiam: nam rectè definiendo, dividendo, & argumentando, tradit, & explicat modum rectè definiendi, dividendi, & argumentandi: actus autem isti, quæis Logica differit in materia propria, plerumque fiunt ex præviâ directione regularum Logicæ jam acquisitæ, adeoque sunt usus earum. Cum ergo tales actus exequa-

qua-

quatur Lógica habitualis, ipsa est, quæ tunc proprie utitur doctrinâ suâ.

23 *Obje.* : actus in materia Logicæ est doctrina; sed doctrina non est usus doctrinæ: ergo, &c. *Dist. Min.* : non est usus doctrinæ à se indistinctæ, *conc.* ; à se distinctæ, & prælucentis, *neg. min.* *Et consequ.* Idem actus est doctrina, & usus respectu diversorum. Cum enim Logica definit syllogismum, ea definitio est doctrina respectu syllogismi, & est usus respectu regularum rectè definiendi, quas observat. Paritèr cum Logica demonstrat Definitionis proprietates, talis demonstratio est doctrina respectu Definitionis, & est usus respectu generalis doctrinæ rectè demonstrandi, quâ utitur. In hoc autem nulla est absurditatis umbra.

24 Sed observa, quòd Logica, licèt proprie sit utens in materia propria, tamèn ab antiquis non applicatur *utens*, nisi prout versatur in aliena materia (de quo statim): quia in materia propria simul penes omnes actus est *docens*; & hæc denominatio prævalet ut nobilior.

### SECUNDA CONCLUSIO.

25 **L**ogica etiam extra propriam materiam est utens per extensionem, aut accessionem quandam in parte Topica. Probat, & explicatur. Pars Logicæ Topica (quam Aristoteles, & D. Thomas specialitèr Dia-

lecticam vocant) considerari potest, vel ut docens, vel ut utens. Topica docens est, quæ tradit regulas, & methodum probabilitèr differendi in qualibet materia præsertim ex communibus Locis (undè Topica, id est, Localis, dicta est), quos Lócos indicavimus in Summul. cap. ult., & fusè tractat Aristoteles in Libr. Topic.

26 Hæc Topica docens verè, & proprie Logica est, sive pars Logicæ: suntque propria ipsius pronuntiata quædam (Maximas vocant) singulis accommodata Logicis, quæ usurpari possunt in materia qualibet: v. g. pro Loco Definitionis hæc Maxima: *Cui non convenit definitio non convenit definitum*: & pro Loco Antecedenti. ista: *Posito Antecedenti, ponitur Consequens*.

27 Topica utens est, quæ probabilitèr argumentatur juxta doctrinam Topicæ docentis. Hæc etiam proprie est pars Logicæ, quando probabilitèr argumentatur in materia propria, & ex proprijs principijs, ut cum probat, *Bliciri esse terminum logicum*. Dum verò extra propriam materiam argumentatur ex communibus Locis; sive Maximis, quæ sapiūt intentiones rationis (videlicèt intentiones generis, differentie, definitionis, antecedentis, Consequentis, &c.), tunc dicitur Logica utens, non propriè, & strictè, sed per extensionem, aut accessionem.

28 In primis, quod talis usus pertineat ad Logicam, seu Dialecticam, ab eoque dicatur Dialectica utens, conitat ex Aristotele, qui passim docet, supponitque, Dialecticæ esse de quavis re proposita differere probabiliter, & hoc sensu dicit, Dialecticam nullum habere certum objectum, sed per omnia rerum genera vagari. In nostra Logica superior. distinctè notavimus, quibus in locis hoc docent Aristoteles, & D. Thómas. Legito, si placet, & nullum invenies de utriusque mente locum dubitandi.

29. Deindè, quod talis Dialectica utens non sit propriè, & strictè Logica, probatur ex ipsa objectorum diversitate. Nam Logicæ objectum est artificium Modi sciendi, sive restructio operationum intellectus: at Dialectica utens nulli certo adstringitur objecto, juxta Aristotelem. Quod etiam discrimen notavit Div. Thomas 1. *Post. lect.* 20., ubi distinguit ex hoc ipso capite objectum Logicæ ab objecto Dialecticæ, docetque, Dialecticam procedere ad argumentandum ex *intentionibus* rationis circa communia rerum, & circa materiam aliarum Scientiarum.

30 Cur ergo, inquis, facultas ista insignitur nomine *Dialecticæ*, seu *Logicæ utens*? *Resp.* Causa est: quia argumentationes probabiles, de quibus loquimur, ad nullam aliam Scientiam per-

tinent. Quamvis enim unaquæque Scientia suos habeat actus probabiles, qui scilicet ex principiis cujusque Scientiæ propriis derivantur, ut notavimus n. 21.; nulla tamèn Scientia illos adoptat, qui procedunt ex principiis extraneis, tametsi concludant in materia propria talis Scientiæ. *Intentiones* autèm rationis, & Maxime illius innixæ, principia sunt extranea respectu materiæ aliarum Scientiarum, aut etiam materiæ communis. Vid. D. Thomam 4. *Metaph. lect.* 4.

31 Exemplo sit hic syllogismus: *Posito Antecedenti, ponitur Consequens; sed crudelitas est consequens ad tyrannidem: ergo posita tyrannide, ponitur crudelitas.* Hic, licet concludat in materia Philosophiæ moralis, ad hanc non pertinet; quia concludit ex principio extraneo, videlicet ex Maxima dialectica, quæ pro Majore ponitur: Minor autèm, quam, vis in se certa sit tamèn à Dialectico non sumitur ut certa, nec ut ex morali principio derivata, sed solum ut vulgo recepta, & verifimilis ei, cum quo disputatur: sic enim, & non aliter propositiones similes usurpat Dialectica utens; ut optimè notavit. P. Fonseca *lib.* 7. *Instit. Dialect.* c. 9.: & ideò nullos habet syllogismos nisi probabiles.

32 Cum igitur tales actus non sint alterius Scientiæ proprii, meritò adquiruntur Dialecticæ.

lecticæ, ratione formæ, sive artificii, atque etiam ratione principij Dialectici, quod continent: ideo congruenter vocari poterunt *Logica actualis*, cum addito *accessoria*, vel *accessoria*: & habitus, unde profluunt, jurè appellatur *Dialectica*, seu *Logica utens*, & quidem *purè utens*, cum non sit docens. Alia hùc spectantia dedimus in Logica fusiori. Notandum hic, quod Logica docens apud veteres dicitur *à rebus avulsi*: utens verò, *rebus concreta*: quia illa doctrinam tradit generalem: hæc verò doctrinam applicat ad res occurrentes.

## CAP. III.

AN, ET QUATENUS LOGICA  
utens à docente distinguatur?

33 **S**I sermo sit de Logica intra propriam materiam, nullus est actus Logicæ utens, qui non sit etiam docentis, tamen respectu diversorum, ex n. 24. Proinde omnis habitus utens in materiâ propriâ, est indivisim docens. Nam Logica non versatur circa suum objectum, nisi docendo; sumpto *docere* non solum prout est nudas dare regulas, sed etiam prout est doctrinæ veritatem ac firmitatem ostendere. Loquitur autem semper de Logica directâ, non de reflexâ, quæ plures habet actus non docentes.

34 Si queras, an vicissim omnis actus, & habitus docens, sit etiam utens? *Resp.* Aliqui sunt, vel esse

## Proximal.

possunt actus docentes, qui non sint formalitèr utentes, illa scilicèt prima dictamina, quibus Logica quandoquè incipit adquiri sine Magistro; ut si quis proprio Marte eliciat hunc actum. *Divisio debet totum in suas partes distribuere.* Tales quippè actus, quibus nulla præluet regula, nullius regulæ sunt usus formalis; siquidem formalis usus cum attentione ad præluentem regulam fieri debet. Quia tamen ex se apti sunt fieri ex præviâ doctrina Logicæ; dici poterunt usus fundamentalis, aut aptitudinalis. Idem puta de habitu ex ijs actibus generato, nisi postea augeatur per actus formalitèr utentes.

35 Sed observa, quòd, etiam si non detur distinctio realis inter Logicam docentem, & utentem circa propriam materiam, tamen in eâ locum habet divisio, quam exponimus, quia datur saltem distinctio rationis, eo quòd Logica sub diversis respectibus sit docens, & utens, ex n. 24.

Quid de Logica utente extra propriam materiam?

36 **R**Estat Logica utens accessoria, quæ scilicèt probabiliter argumentatur extra materiam propriam. Nec difficultas est de conclusionibus, quæ Logicæ utenti tribuuntur in materiâ aliarum Scientiarum: nam proculdubio distinguuntur realitèr ab actibus Logicæ docentis; sicut etiam altera  
fal-



saltem ex Præmissis. Dubium ergo est de habitu, à quo procedunt, an sit realitèr distinctus ab habitu Logicæ docentis?

37 *Dico 1.* Aliquis habitus adstruendus est, qui exequatur usum Logicæ accessorium extra propriam materiam. *Probat*ur: quia talis usus crebrò repetitus, necessariò generat aliquem habitum: ut enim ait Aristoteles

3. *Ethit. c. 5.*, Ignorare ex operationibus, quæ sunt circa res singulas, habitus ipsos emergere, nimium hebetis hominis est. Habitus autem repetitione actuum adquisitus, exequitur deinde similes alios, ut est certum.

38 *Dico 2.* Habitus Logicæ docentis non exequitur, seu non efficit actus Logicæ utentis extra propriam materiam. *Prob.* Habitus Logicæ docentis est scientificus, ut omnes concedunt, & non generatur nisi per actus demonstrativos, Actus autem Logicæ utentis extra materiam propriam, sunt opinativi, seu mere probabiles, ut cum Aristotele, & D. Thoma dictum est cap. præced. At habitus scientificus, cum sit virtus intellectualis, nequit producere actum, qui possit esse falsus (sicuti potest actus opinativus): ut enim inquit D. Thomas 1. 2. q. 57. art. 2. ad 3., *Soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur; quibus semper dicitur verum, & nunquam falsum.*

36 Hæc etiam facit, quòd habitus Logicæ docentis nequit efficere actus tendentes extra suum ipsius objectum formale, ut expendemus cap. seq.. Tales autem sunt actus Logicæ utentis accessorie, prout cernere licet in syllogismo exarato n. 31.: ubi Major est quidem actus logicus, sed Minor, & Conclusio manifeste tendunt extra formale objectum Logicæ docentis.

40 Ex utraque assertionem nostra inferes, Logicam habitualementem utentem extra propriam materiam distingui realitèr à docente: qui est habitus merè opinativus, adquisitusque per actus probabiles, quorum duntaxat est fecundus. Cur autem hic habitus adscribatur Logicæ, rationem dedimus n. 32.

41 *Sed objic.*: posita doctrina, & habitu Logicæ docentis, superfluit alius habitus ad usum doctrinæ Logicæ circa materiam quamlibet: quia nulla jam superest difficultas in usu doctrinæ, nisi forsan ex defectu materiæ, quæ non est ministranda per habitum, sed, per species intentionales. *Accedit*, quòd habitus Logicæ docentis re ipsâ faciliat ad usum regularum in materia quavis: ergo talem usum exequitur; quia habitus non alitèr exequitur actum, quam facilitando.

42 Verum hæc *objectio* absurdè probat, superfluos esse habitus Scientiarum omnium præ-

ter Logicam, ejus habitus sufficit solus ad omnes cujuslibet Scientiæ syllogismos, etiam demonstrativos, dummodò adsint species evidentes. Negandum igitur, quòd positâ Logica docente, nulla superfit difficultas, vincenda per habitum, in usu doctrinæ circâ materiam alienam: quia hic usus importat assensum circa objecta valde diversa ab objecto doctrinæ. In hoc autem assensu nova est difficultas, non tantum ex defectu materiæ, sed ex defectu etiam assuetudinis in amplectendis novis motivis, & objectis, præsertim mere probabilibus, quæ mentis assensum incertitudine retardant.

43 *Habitus Logicæ docentis* facilitat quidem ad usum, de quo loquimur: sed non omnis facilitas est habitus executivus aut utens. Nam occasio, instructio, lux prævia, & generatim remotio impedimentorum, verè facilitat actiones humanas; nec tamen est habitus. Solum ergo recurrit cum habitu executivo facilitas proveniens ex frequenti usu, & exercitio actuum ejusdem speciei; quæ facilitas per se immediatè vires addit potentiæ, minuitque conatum ejus in operando consimiles actus.

44 Quare illa propositio, *Habitus Logicæ docentis facilitat usum regularum in materia quavis*, distinguatur sic: facilitat immediatè, per se inclinando in

talem usum sine interventu alterius actus, *neg.*: facilitat mediatè, media scilicet regulâ, seu luce actus doctrinalis, quem elicit, *cons.* Vel brevius: facilitat instruendo, *cons.*; facilitat exequendo, *neg.*

## CAP. IV.

AN LOGICA CONCURRAT  
efficienter ad actus aliarum  
Scientiarum?

45 **Q**uestio proposita de  
Logicâ habituali  
procedit, non

de actuali, sive de actibus doctrinalibus Logicæ proprijs: hos enim non efficienter, sed solum directivè concurrere ad actus aliarum Facultatum, supponitur in præsentî: sicut etiam supponitur sententia in Animasticâ communis, quæ tribuit habitibus concursum effectivum in actus ejusque proprios. Nec item quæstio nunc est de actibus probabilibus, quos Dialecticæ utenti adscripsimus cap. 2., & qui non pertinent ad alias Scientias.

46 Solum ergo quæritur, an habitus Logicæ docentis (qui simul est utens in materia propria) non modo producat regulam dirigentem, & ostendentem quo artificio fieri debeat syllogismus demonstrativus circa objectum Physicæ v. g. (quod est concurrere *directivè*), verum etiam ipsamet habitus immediatè exequatur, seu coëfficiat eum den-

dem syllogismum simul cum habitu Physicæ (quod est concurrere *efficienter*, aut *effectivè*)? Atque eadem est ratio dubitandi in definitionibus, divisionibus, & syllogismis probabilibus aliarum Scientiarum, quando ex principijs ipsarum proprijs concludunt.

47 *Ipsemet*, inquam, *habitus Logicæ docentis*: de hoc enim quæstio instituitur apud Authores cujusvis Scholæ. Contendit quidem unus, aut alter, quæstionem reducere ad habitum quemdam Logicæ purè utentis; vultque, ut ad syllogismum de objecto Physicæ v.g. tres concurrant habitus realitèr distincti, nempe habitus Logicæ docentis, habitus Logicæ purè utentis, & habitus Physicæ; sic tamen, ut primus concurrat tantum *directivè*, secundus *elicitivè* (id est, *efficienter*) quantum ad formam syllogisticam, tertius *elicitivè* quantum ad substantiam, seu tendentiam actus in objectum.

48 Sed verò habitus iste Logicæ utentis, qui nihil producat, nisi formam syllogisticam in actus Physicæ, & aliarum Scientiarum, reiiciendus est ut fictivus. Quia repugnat habitus intellectualis, qui nullum respiciat objectum medijs actibus à se productis. Talis autem esset habitus iste, si nihil produceret, nisi formam syllogisticam, prout condistinctam (seu realitèr, seu

formalitèr) à tendentiâ actuum in objectum, quam tendentiam, solus producit habitus Physicæ, aut alius Scientiæ. Patet sequela: nam sola tendentia est, quæ respicit objectum, ut ignorat nemo: ergò habitus non producens tendentiam, sed solum artificium, prout à tendentiâ condistinctum, nullum objectum respicit medijs actibus.

49 Aliud est in habitu Logicæ docentis: qui, licèt ponatur effectivè concurrere ad actus alie nos quantum ad solam formam, non prorsus destituitur objecto; siquidem respicit objectum suum per alios actus in materia propria. Quod igitur ita se gerat habitus Logicæ docentis, efficiendo scilicèt in actibus Physicæ v.g., non quidem substantiam, aut tendentiam, sed solam formam artificiosam syllogismi, &c. tenent Thomistæ plures. Sed præferenda est contraria sententia, quam tenent communiter Authores nostri, multis etiam Thomistis subscribentibus.

50 *Prob.* Nullus habitus producit actum, qui non tendat in ejus objectum formale; sed actus Physicæ v.g., non tendunt in objectum formale Logicæ, sed solum in res physicas, quas Logica non respicit formalitèr, ut modò supponitur: ergò nequeunt ab habitu Logicæ immediatè produci. *Prob. Major.* Tum ratione: nam, cum habitus non res-

piciat objectum, nisi medio actu, plane repugnat, quod non idem sit formale objectum utriusque, seu quod aliud correspondeat actui, aliud habitui. Tum inductione per habitus omnes aliarum. Scientiarum, necnon virtutum, atque vitiorum: nullus enim, est, qui concurrat efficienter in actus non tendentes in objectum formale habitus ipsius.

51 Nec verum est, quod aliqui respondent, nempe quod actus Physicæ, quatenus artificiosus, respicit objectum Logicæ. Nam artificium illius actus est quidem objectum regularum Logicæ, sed non respicit objectum Logicæ artis. Quemadmodum artificium pictæ imaginis est objectum artis Pictoriæ: sed non respicit hujus artis objectum. Adde, quod objectum non respicitur, nisi per tendentiam cognitionis: ergo respici nequit per artificium prout à tendentia distinctum.

52 *Confirm.* Nullus habitus requisitus immediate producit, nisi actus similes iis, à quibus est genitus. Ideo enim habitus acquisitus dicitur *Semen actuum*; quia sicut arborum semine non nisi similes arbores, propagantur; ita contingit in actibus ex habitu propagatis. Quæ etiam ex causa dixit Aristoteles 2. Ethic. c. 1.: *Omnes habitus ex operationibus similibus fiunt: quapropter tales quasdam opera-*

*tiones reddere oportet: ipsarum namque differentias habitus ipse sequuntur.* Atqui actus Physicæ sunt dissimiles actibus, quibus primò est genitus habitus Logicæ, cum diversum respiciant objectum formale, ex quo maxime pendent dissimilitudo, seu diversitas actuum: ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

53 *Objic. 1.* **O** *Habit*us Logicæ faciliat ad actus aliarum Scientiarum: ergo ad eos effective concurrat. *Hæc obiectio soluta manet num. 4., & sequi. Objic. 2.* Quisque experitur se reddi faciliorem in Logicâ per exercitium, & praxim regularum in alijs Scientijs: ergo actus aliarum Scientiarum auget habitum Logicæ. Nullus autem habitus augetur, nisi per actus, quos ipse producit.

54 *Resp.* Habitum Logicæ augetur quidem per alienos actus, sed *occasionaliter*, quatenus occasione differendi circa materiam aliarum scientiarum plures repetuntur actus Logicæ docentis, per quos, & non alios, immediate augetur facilitas in Logicâ. Sic augetur habitus Prudentiæ per exercitium aliarum virtutum.

55 *Obser*va, quod similitudo requisita in actibus efficiendis ab eodem habitu, consistere debet in tendentia & respectu ad idem objectum formale. Unde parum refert, quod actus Physi-

cæ sint similes actibus Logicæ in artificio. Et alioquin, si quævis similitudo sufficeret, unicus habitus efficeret omnes actus scientificos circa omnia objecta, utpotè similes in evidentia: unicum principium supernaturale, omnes actus supernaturales, utique similes in supernaturalitate: & unica virtus moralis, omnes actus honestos, utique similes in honestate, seu conformitatè cum recta ratione.

56 Observa insuper, quòd artificium syllogismi est extra sphaeram *objectivam* habitus Physicæ, quæ illud non respicit pro objecto: & non est extra sphaeram *effectivam*, hoc est, non superat virtutem productivam habitus Physicæ, qui, cum sit genitus ab actibus artificiosis, necessariò virtutem habet producendi similes alios, proindeque similiter artificiosos.

57 Dices: ergò Physica est Ars, siquidem continet suorum actuum artificium. *Neg. Consequ.*: quia Physica non continet artificium doctrinaliter (continendo scilicèt regulas artificij construendi; quod est munus Artis), sed continet purè virtualiter, quatenus virtutem habet efficiendi actus artificiosos. Hoc autem non sufficit ad nomen Artis; alioquin & lingua artificiosè loquens, & manus affabrè pingens, dicerentur Artes.

58 Dices: insuper: in syl-

logismo de re physica reperitur ratio, *sub qua* tendit Logica. *Resp.*: reperitur quidem ratio *objectiva*; sed non ratio *effectiva*. Id est, reperitur ratio artificij syllogistici, sub quâ Logica, tam actualis, quàm habitualis, respicit objectum suum; ideoque syllogismus ille continetur in objecto Logicæ. At Logica habitualis non efficit suos actus, nisi sub ratione tendentiæ in illud artificium: est enim regula generalis, quòd nullus habitus efficit actus non tendentes in objectum ejus formale. Tendentiæ autem in illud artificium reperitur in regulis logicis, non in syllogismo de re physica, qui certè non tendit in se ipsum.

59 Denique observa, quòd Logica non ministrat alijs Scientijs instrumenta sciendi eo sensu, quo ars frænofactoria ministrat frænum equestri: magna enim est disparitas in modo ministrandi, & in indole instrumentorum. Logica non ministrat alijs Scientijs, tribuendo illis instrumenta sciendi jam facta, sed solum radendo regulas, ut rectè fiant à Scientijs ipsis. Frænum est quid præsuppositum, & realiter distinctum ab actibus moderandi equum, quos solos efficit ars equestris, vel potius ex ejus directione manus equitis. At syllogismus physicus v. g., non præsupponitur ad actum Physicæ, sed est ipsemet actus Physicæ scientiæ; & eatenus di-

dicitur instrumentum sciendi, quatenus est medium ad scientiam habituales, vel etiam ad effectum formalem *actualiter scientis*, eo sensu, quo visio est instrumentum, seu medium videndi. Quædam alia vide in Log. fusiore.

## CAP. V.

## UTRUM LOGICA SIT

*Simplex Qualitas?*

60 **L**ogicam actuale esse collectionem multorum actuum realiter distinctorum, est certo certius. Dubium est de Logicâ habituali, an sit realiter una simplex qualitas? Hoc est, utrum omnes actus, quibus Logica differit de toto suo objecto, quâ late patet, procedant ab unico habitu (qui dicitur *qualitas*, quia habitus pertinet ad Prædicamentum qualitaris)? an verò à pluribus realiter distinctis, ita ut habitus differendicirca naturam, & proprietates Definitionis v. g., sit diversus ab habitu differendi circa naturam, & proprietates Syllogismi?

61 Quæstio communis est omnibus Scientijs; sed hic tractanda de more, supponendumque ex Animasticâ, quod habitus intellectualis est qualitas distincta ab speciebus intencionalibus: si enim ab his non distinguitur, ut multi volunt, proculdubio nec Logica, nec alia Scientia est simplex qualitas.

62 Logicam ergo esse uni-

cum habitum, qui semel acquisitus per primam demonstrationem, absque alio habitu additione sufficit ad producendas omnes demonstrationes circa totum objectum Logicæ, tenent Thomistæ communiter. At esse collectionem multorum habituum realiter distinctorum, tuentur Scotistæ omnes cum Doctore Subtili, & ex nostris ferè omnes cum Exim. Doctore disp. 44. Metaph. sec. 11. à n. 45.: quorum sententia nobis tenenda est.

63 *Prob.* Habitibus acquisitus per actus (intellige demonstrativos) versantes circa Definitionem, nequit extendi ad actus versantes circa Syllogismum: ergo ad faciliter differendum de Syllogismo, opus est alio habitu realiter distincto; ac proinde Logica prout extenditur ad totum suum objectum, non est unicus, & simplex habitus, sed collectio ex multis. *Prob. Antec.*: habitus nequit extendi ad actus valde dissimiles ijs, quibus est acquisitus; ut cum Aristotele, & communi sensu diximus nam. 52.: sed actus circa Syllogismum sunt valde dissimiles actibus circa Definitionem: ergo &c.

64 *Prob. Min.*: quia duo isti actus v. g., *Definitio est clarior definito*; *Syllogismus constituitur tribus terminis*, imprimis versantur circa objecta specie diversa, imò & genere; nam *Definitio*, & *Syllogismus* sunt due species

cies Modi sciendi subalternæ, seu duo genera, quæ subdividuntur in species varias, ut constat ex Summulis: deinde duo illi actus demonstrantur ex principijs valde diversis, quæ nullam inter se cognationem habent, ex his nimirum, *Explicatio est clarior explicato, & Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se.* At qui actus versantes circa objecta usque adeò diversa, & ex principijs valde diversis demonstrati, sunt valde dissimiles: ergo &c.

65 *Dices:* Definitio, & Syllogismus sunt quidem objecta diversa materialitèr, at non diversa formalitèr, & in esse objecti scibilis, cum convenient in communi ratione Modi sciendi, quæ in esse scibilis est una, & eadem. Sed facilè impugnaberis. Quia diversitas in esse demonstrabilis, est diversitas in esse scibilis, ut nemo dubitat. Syllogismus autem à Definitione differt in esse demonstrabilis; siquidem doctrina de Syllogismo demonstratur ex principijs diversis, nempe, *Dici de omni; &c. Quæ sunt eadem uni tertio &c.*, quæ principia nihil attinent ad regulas definiendi.

66 Sanè diversitas principiorum ita se habet in demonstrativis sicut diversitas finium in virtutibus, eademque vi diversos habitus inducit, ut cum Philosopho docet D. Thomas 1. 2. q. 54. art. 2. ad 2. § 3. Hinc

talis diversitas nequit non esse formalis, diversificareque formalitèr objecta in esse scibilium. Quod etiam expressè docuit D. Thomas in 1. Poster. lec. 41. : ubi, postquam dixit, quòd *Materialis diversitas scibilium non diversificat habitum, sed solum formalis;* & quòd Scientiæ diversificantur *secundum diversitatem scibilium formalem;* ad explicandum undè sumatur formalis diversitas scibilium, subdit: *Formalis ratio scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur.*

67 Ratio Modi sciendi non est una & eadem in esse scibilis, nisi genericè, & quidem genere remoto, sub quo tria genera continentur, nempe Definitio, Divisio, & Argumentatio, quæ sub se continèt diversas species. Trium istorum generū doctrina nititur principijs diversis, & per diversa media probatur, ut Summulistæ norunt. *Diversa autem media sunt sicut diversa principia activa, secundum quæ habitus Scientiarum diversificantur,* ut totidem verbis inquit Doctor Angelicus 1. 2. q. 54. art. 2. ad 2..

68 Aliàs Thomistarum responsiones latè, & validè confutatas invenies in nostr. Logic. superior. Et verò, si quis illis utatur, eodem jurè defendere poterit, quòd unicus habitus sufficit ad omnes omnium Scientiarum actus, utpotè similes in ratione

*actus scientifici*, quorum objecta conveniunt in communi ratione *objecti scibilis*: itèm, quòd sufficit unicus habitus ad actus omnes virtutum moralium, ob rationem consimilem.

69 Recurrunt Thomistæ ad abstractionem à materiâ, tamquam ad radicem diversitatis scibilium, & Scientiarum. Nam Physica; Mathematica, & Metaphysica inter se distinguuntur ex triplici gradu abstractionis Entis à materia, videlicet à materia singulari, à sensibili, ab intelligibili: Logica verò ab eis distinguitur per abstractionem sui objecti ab omni materiâ *negativè*; quia respicit (ut Thomistæ volunt) ens rationis, quòd cum nihil sit, nullius materiæ capax est.

70. Sed enim verò, licet diversitas abstractionum istiusmodi possit esse congruentia quædam ad distinguendas inter se Scientias totales, gratis dicitur, quòd simplex habitus respicit objecta omnia contenta sub unaquaque abstractione. Tùm quia sub abstractione à materia sensibili, Mathematicæ propria, dantur Geometria, & Arithmetica, quas nemo negat, esse distinctos habitus. Tùm quia tam *Corpus naturale*, quam *Corpus mathematicum* (horum alterum abstrahit à materia singulari, alterum à sensibili), *distinguitur in diversas species scibilium secundum diversos modos, & rationes cognoscibilitatis,*

ut loquitur D. Thomas 1. *Poster. lect. 41.*: neutrum ergò respicitur à simplici habitu. Tùm quia sub prætensâ abstractione Logicæ negativa, continentur etiam scibilia formalitèr diversa, ut satis ostendimus.

71 Solet etiam sententia nostra probari ab experientia. Nam post acquisitum habitum ex prima demonstratione circa Definitionem, adhuc superest difficultas in explicando, & probando figuram, modum, totumque artificium Syllogismi. Immo cum tali habitu conjungi potest error circa Syllogismum, tum actualis, tum habitulis. Sed pro hac, & alijs probationibus consule Logicæ fufior.

72. Hactenus dicta probant, in Logica, ut in aliâ quavis Scientia integra, ut minimum tot esse habitus realitèr, & specie distinctos, quot sunt species objectorum partialium, quæ per diversa principia seu media demonstrantur. Nec refert, quòd actus, quibus demonstrativè differitur de omnibus objectis hisce, sint inter se similes in artificio syllogistico. Nam similitudo ista, dum adest diversitas in objecto formali, non sufficit, ut actus profluant ab eodem habitu, ex dictis Cap. præced.

73. Sed ulterius oportet duo addere. 1. : quòd in qualibet Scientia totali, præter habitum conclusionum, datur etiam ha-



habitus principiorum, ad objectum talis Scientiæ propriè spectantium, utique realitèr distinctus, ut sæpè docet D. Thomas. Undè, cum definitiones Subjecti (id est, objecti principalis), & partium ejus, sint principia prima, & maximè propria, quibus utitur unaquæque Scientia ad proprietates Subjecti demonstrandas; sequitur, quòd habitus definiendi objectum Logicæ distinguatur ab habitu inferendi conclusiones circa proprietates ejusdem objecti.

74 *Secundò*: quòd in præfenti solùm agitur de habitu logico, producente actus scientificos, seu demonstrativos. Si enim sermo sit de Logicâ habituali, prout etiã producente actus opinativos, qui plures sunt in materia Logicæ, & cujusvis Scientiæ, certum est (etiã apud Thomistas, præter unum, aut alterum) realitèr intèr se distingui habitus Logicæ opinativum, & scientificum. Relegè dicta n. 38.

## CAP. VI.

OBJECTIONES ADVERSÆ  
diluuntur.

75 **O**bjic. 1. auctoritas D. Thomæ, qui 1. 2. q. 54. art. 4. c. non solùm tenet, sed ex professo probat, quòd habitus scientiæ est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus, etiamsi ad multa se extendat. Sed resp., non minus clarè pro nostrâ sententia loqui

D. Thomam alijs in locis, quos dedimus in Logica fusior., præter indicatos cap. præced. Nunc satis est dicere, quòd S. Doctor loquitur, non de Scientiâ totali, cujus objectum complectitur plures species scibilium; sed de scientiâ partiali, sive restrictâ ad unam speciem atomam objecti scibilis, quæ per eadem principia, seu media possit extendi ad multa objecta materialia.

76 Quòd non alio sensu loquatur D. Thomas, constat ex ejus q. 8. de Verit. art. 16. ad 4. ubi sic ait: *Una tota scientia comprehendit sub se diversas scientias particulares, quibus conclusiones diversæ cognoscuntur.* Hoc falsò diceretur de unâ Scientiâ tota, seu totali, si foret unus habitus entitativè simplex; non alitèr, ac si de una tota potentia intellectivâ diceres, quòd sub se comprehendit diversas potentias particulares.

77 *Objic.*: 2. si plures essent habitus logici, distinguerentur specie inter se; sed nequeunt distingui specie: ergò &c.. *Prob. Minor.*: quia sequeretur, Logicam non esse unam, sed plures Scientias inter se diversas, quæ non possent in unam totalem coire; sicuti non coeunt Logica, & Physica. *Confirm.*: plures illi habitus diversa respicerent objecta specificativa: ergò Logica non haberet specificativum unicum, sed multiplex: ergò

Logica non esset una species Scientiæ.

78 *Resp. conc. Maj., dist. Min.*. nequeunt distingui specie completa, seu totali in genere scientiæ, *conc.*; specie incompleta, seu partiali, *neg. Min.*, & *Consequ.* Distingui specie completa in genere scientiæ, est pertinere ad diversas species non ordinatas ad unam totalem scientiam constituendam; distingui vero specie partiali, est ita differre habitus, ut tamen coordinentur ad constitutionem unius integræ scientiæ. Sic in physicis corpus, & anima hominis in genere substantiæ distinguuntur specie, & quidem subalterna, sed incompleta duntaxat; quia coordinantur ad constituendam speciem unam substantiæ completam, nempe hominem.

79 *Ad prob.*, Logica integra continet quidem plures Scientias, seu plures Logicas inter se diversas, sed non nisi partiales, quæ in unam totalem coire possunt, eo quod ordinentur ad idem objectum attributionis, videlicet ad artificium Modi sciendi. Sic integra Logica actualis dicitur una Scientia, tamen constituitur ex multis actibus inter se diversis, quia nimirum tendunt omnes in eundem finem. Aliud est in Logica, & Physica; quæ idcirco non sunt partes unius Scientiæ, quia non idem habent attributionis objectum.

80 *Ad Confirm. dist. 1. Consequ.*: Si specificativum comparatur ad Logicas partiales, *conc.*, si comparatur ad Logicam totalem, *neg. Consequ.* Tum *dist. 2. Consequ.*; non esset una species Scientiæ partialis, *conc.*; Scientiæ totalis, *neg. Consequ.* Et insto in specificativo Logicæ actualis; quæ, si consideretur penes singulos actus, habet specificativum multiplex; unicum verò, si consideretur ut collectio actuum omnium versantium circa artificium Modi sciendi, quo sensu est una species scientiæ atoma.

81 Itaque nomen *Logica* impositum est ad significandam collectionem omnium actuum, aut habituum, quibus differitur de Modo sciendi ut sic, deque partibus, & speciebus ejus. Et quia collectio ista dividi nequit in plures collectiones integras specie diversas, sed tantum in plures numero distinctas in varijs intellectibus existentes; idcirco in esse integræ, seu totalis, est una species atoma Scientiæ. Quia verò dividi potest in plures habitus, aut collectiones partiales, versantes circa diversas Modi sciendi species; idcirco in esse partialis, aut incompletæ, non est una species Scientiæ, sed multiplex, cum sola convenientia generica.

82 Sic in physicis conceptus *homo* est species atoma substantiæ completæ unicum habentis spe-

specificativum intrinsecum; conceptus verò *pars hominis* sub se comprehendit diversas admodum species substantiæ, nempe corpus, & animam, quibus non idem est specificativum intrinsecum, seu differentia specifica.

83 *Dices*: si Logica respicit diversas species Modi sciendi tamquam scibilia formaliter diversa, objectum specificativum Logicæ totalis non erit unum in esse scibilis, saltem specificè: quomodo ergò in Logicam refundet unitatem speciei atomæ? Sed invicem *quæro*, quomodo refundet unitatem simplicitatis entitativæ, siquidem objectum Logicæ, quomodolibet consideretur, talem unitatem in se non habet?

84 Itaque objectum refundit unitatem in Scientiam totalem argutivè, aut exactivè, non ut causa univoca, sed ut signum aut indicium, vel, si mavis, ut radix æquivoca, quæ non debet in se præhabere formaliter similem unitatem. Id quod Adversarij fateri tenentur in unitate simplicitatis prætensæ; necnon in unitate Potentiarum, quæ pariter dicitur ab objecto refundi. In se igitur non aliam unitatem requirit objectum Scientiæ, nisi convenientiam suarum partium aut specierum in uno genere, ipsis omnibus & solis communi hoc enim sufficit, ut Scientia illa, quæ tota continetur intra latitudinem talis generis dicatur

una, juxta illud. Aristotelis 1. Post. cap. 23., *Una Scientia est quæ unius est generis.*

85 Antè abstractionem actualem rationis genericæ convenientia ista partium objecti solum est unitas fundamentalis; sed non major necessaria est in objecto adæquato cujusvis Scientiæ, vel Potentiæ, ut inductione patet. Et alioqui nec Scientia, nec Potentia verè esse una, donec objecto adveniret actualis unitas rationis, quæ vel ficta est juxta Thomistas, vel purè extrinseca juxta Nostros.

86 Observa nunc, quòd inter habitus constituentes unam Scientiam totalem non alia requiritur unio vel unitas, nisi cognitionis, coordinationis, aut ordinis ad eundem finem, v. g. in Logica ad artificium Modi sciendi cum speciebus suis plenè cognoscendum. Immo nec in Potentiis aliud genus unitatis requiritur ex solis meritis objecti totalis. Unitas verò simplicitatis in habitu acquisito sumitur immediate ab specifica similitudine actuum. Si enim actus denudò producendi non differunt specie à primò actu generante habitum, non afferunt novam difficultatem, quæ per novum habitum vinci debeat.

87 In Potentiis autem sumitur entitativa simplicitas, non ex objecto, sed ex alijs capitibus in Animastica designandis. Nam

quomodò Potentiam intellecti-  
vam v. g. , unicam & simplicem  
esse probabis ex ratione veri ut  
sic, sub qua tanta varietas ob-  
jectorum & actuum continetur?  
Potentia igitur, cum non genere-  
tur ab actibus, non debet multi-  
plicari juxta diversitatem eorum,  
sed potest una simplex extendi ad  
varias actuum species genericè  
convenientes. Eadem ratio mili-  
tat in habitibus per se infusis; ut  
in habitu Fidei, Charitatis, &c..  
At in habitu adquisito contraria,  
ratio est, ut patet ex dictis. Undè  
colliges, quàm immeritò ad  
versarij nobis objiciant in præ-  
senti exemplum Potentiæ, & ha-  
bitus infusi.

88 *Ojic. 3.* : actus Scien-  
tiæ totalis sic inter se necluntur,  
ut alius alium contineat; nam  
primus ex objecti essentia de-  
monstrat primam passionem, ex  
qua secundus demonstrat secun-  
dam, ex qua tertius tertiam, &  
sic de alijs: sed actus hac ratio-  
ne connexi, ad eundem pertinent  
habitum: ergò, &c. *Confirm.*: in  
tract. de Prædicabilibus agitur  
de Genere, & Differentia, quibus  
constat Definitio; de Genere, &  
Speciebus, quibus constituitur  
Divisio; de Inclusionem Superioris  
in inferiori, qua nititur illud prin-  
cipium, *Dici de omni*, undè regu-  
latur ars Syllogistica. Habitus er-  
gò differendi de Prædicabilibus  
sufficit ad differendum de cæteris  
Logicæ objectis.

89 *Ad object. neg. Maj.*  
nam hic actus v. g. , *Definitio est:*  
*clarius definito*, nullatenus con-  
tinet istum, *Syllogismus constat*  
*tribus terminis*, nec plurimos  
alios, qui circa varias species ob-  
jecti logici versantur. Probatio  
adjuncta probat ut summum,  
quòd actus, qui ex essentia Mo-  
di sciendi in communi, demonst-  
trat primam ejus passionem  
etiam in communi, contineat de-  
monstrationem secundæ passio-  
nis, & sic de cæteris, sistendo sem-  
pèr in ratione communi.

90 Cæterum, si loquamur  
de passionibus proprijs diversa-  
rum specierum Modi sciendi, in-  
vicem comparatis, nulla est con-  
tinentia unius in alia. Quod si pas-  
siones specificas conferas cum ra-  
tione generica Modi sciendi, so-  
lam invenies continentiam in-  
adæquatam *potentialem*, ac *per-*  
*missivam*, quæ certè non sufficit  
ad demonstrationem, nisi aliundè  
accedant diversa principia, quæ  
novum habitum requirunt. Sic  
ex Animali ut sic, aut ejus pas-  
sionibus, demonstrari nequit ra-  
tionalitas, aut risibilitas hominis.

91 *Ad Confirm. neg. Con-*  
*sequ.* Sicut enim, qui scit disper-  
sos expolire lapides, non protin-  
nùs evadit architectus, nec habi-  
tum ædificandi, variasque ædium  
species construendi possidet: ita  
in re nostra dicendum. Nam, qui  
novit formare Genera, differen-  
tias, & species, non ideo novit dif-  
dif-

discernere Definitionem essentialem à descriptiva, nec Divisionem potentialem ab actuali, nec Syllogismum categoricum ab hypothetico, &c., sicuti nec proprietates speciebus hinc peculiare. Et quamvis noscat principium, *Dici de omni*, utpote per se notum, non ideò facilis est ad conclusiones artis Syllogisticae, alioquin idem foret habitus primorum principiorum, & conclusionum. Objectiones alias in Logic. sus. dissolvimus.

## CAP. VII.

AN LOGICA SIT NECESSARIA ad alias Scientias acquirendas?

92 **A**D aliquem finem assequendum potest aliquid esse necessarium, vel simpliciter, vel secundum quid. Simpliciter necessarium est, sine quo naturæ saltè viribus, finis obtineri nequit. Sic ad vitam conservandam necessaria est homini respiratio. Necessarium secundum quid est, sine quo potest absolute finis obtineri, at non sine labore, ac difficultate. Sic ad longum iter agendum necessarius est equus, aut aliud, quo veharis. Quæritur ergò, quo genere necessitatis requiratur directio Logicae artificialis (naturalem ab intellectu acuminè indistinctam omninò requiri non est dubium) ad alias Scientias acquirendas?

93 Et possunt quidem Scientiæ considerari, vel in statu im-

perfecto, & incompleto, quando scilicet acquiritur una, vel altera demonstratio de objecto ipsarum; vel in statu perfecto, & completo, cum videlicet acquiruntur omnes demonstrationes, quæ de objecto cujusque Scientiæ acquiri consueverunt à Philosophis humanitús consummatis.

94 Prima sententia Logicam statuit simpliciter necessariam ad alias Scientias in utroque statu, perfecto, & imperfecto. Ita plures Thomistæ. Secunda Logicam dicit necessariam simpliciter ad Scientias in statu perfecto, secus in statu imperfecto. Ita plures alij Thomistæ. Tertia asserit, Scientias in utrovis statu simpliciter haberi posse sine Logica; quam tamèn non negat esse necessariam secundum quid. Sententia hæc frequentissima est in Schola nostra necnon inter Scotistas, quibus subscribunt Recentiores Thomistæ cum Colleg. S. Thom. Complut.

*Nostra Conclusio.*

95 **L**ogica non est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas, nec in statu imperfecto, nec deinde in statu perfecto. Prima pars prob.: Intellectus sine Logica artificiali potest elicere demonstrationes illas, quæ immediate procedunt ex primis principijs per se notis, cujusmodi est hæc: *Omne totum est majus sua parte; sed Mundus est totum, cujus Terra est pars: ergò*

Mun-

Mundus est major Terra: sed per hæc demonstrationes habetur scientia in statu imperfecto: ergo, &c.

96 *Prob. Maj.* Discursus nunc positus de majoritate Mundi, erit demonstratio, si & præmissæ sint evidentes, & insuper sit evidens conclusionem ex illis inferri. Utrumque contingere potest sine Logica. Nam evidentia talium præmissarum non pendet à Logica; cum altera sit principium per se notum, & altera sit oculis manifesta: illatio autem conclusionis potest fieri evidens intellectui ex illo principio, *Dici de omni*, quod sine Logica artificiali cognosci potest, utpotè per se notum: ex eò enim evidens est, dici debere de hoc toto, nempe Mundo, quidquid dicitur de omni toto, adeoque majus esse sua parte.

97 Modum hunc adquirendi Scientiam per inventionem propriam, procedendo ex principijs universalibus, expressè tradit D. Thomas 1. p. q. 117. art. 1. Et confirmari potest: quia passim videmus, ignaros Logicæ Mathematicis disciplinis operam dare, ac demonstrationes acquirere in Geometrica, & Arithmetica bene multas, quibus omninò firmiter adherent.

98 Addè, quod prima demonstratio qua Logica incipit adquiri ab intellectu, sine directione Logicæ acquiritur, ut est

manifestum: ergo pariter adquiri poterit una, vel altera demonstratio cujusvis Scientiæ sine directione Logicæ. *Prob. conseq.* tum quia omnia argumenta Adversariorum quæ militant contra primam Logicæ demonstrationem, ac contra quamvis aliam. Tum quia non minus aliæ scientiæ, quam Logicæ, habent principia per se nota, quæ proprio lumine applicare possit Intellectus ad conclusiones particulares.

99 Jam secunda pars conclusionis nostræ *prob.* Potest Intellectus sine Logicæ subsidio comparare conclusiones scientificas, immediatè deductas ex primis principijs, ut constat ex probatione primæ partis: ergo & alias à primis principijs remotiores, utendo scilicet conclusionibus jam probatis, tamquam præmissis ad novas alias inferendas. Ideò enim ex primis principijs deducere potuit conclusiones, quia talia principia ipsi sunt evidentia sine Logicâ; sed etiam primæ conclusiones ipsi jam sunt evidentes sine Logicâ: ergo poterit ex illis proprio Marte deducere novas alias: & cum de his eadem sit ratio poterit successivâ illatione procedere donec omnes tandem adquirat.

100 *Confirm.*: Intellectus per demonstrationum productionem non lassescit, nec redditur debiliior ad producendas alias; sed potius fit habiliior, & expedi-

tior acquisitione unius veritatis ad novas veritates indagandas, ut experientia testatur. Intellectus igitur, primis demonstrationibus acquisitis, facilius poterit novas acquirere: & cum his ipsis novum illi robur accrescat, facilius adhuc ad alias involabit, donec omnes obtineat. Varias Adversariorum responsiones in Log. fus. confutatas invenies.

*Examantur argumenta contraria.*

101 **A**RG. I. Non habetur scientia, nisi reflexe cognoscatur, conclusionem esse recte deductam ex præmissis, ita ut Intellectus de bonitate illationis dubitare nequeat: sed hæc reflexa cognitio pertinet ad Logicam: ergo, &c. *Confirm.* Nullus discursus est demonstratio, nisi cognoscatur ut infallibilis, & nulli obnoxius periculo erroris. Sic autem cognosci nequit ab ignaro Logicæ; quippe qui nescit discursum rectum discernere à sophistico; ideoque, si quod ipsi obijciatur sophisma, facile dubitat, ac titubat in assensu præhabito.

102 *Ad Object.* In primis negari potest necessitas cognitionis reflexæ, ut Intellectus non dubitet de bonitate illationis: quæ de re vide Log. fusior. Deinde, admissâ *Maj.*, *neg. Min.*: quia potest reflexa illa cognitio esse pure experimentalis, orta scilicet ex evidentia demonstrationis hic & nunc præsentis, quæ intellectus

experitur se plane convinci, adeoque discursum hunc in individuo esse recte dispositum ad convincendum, & consequentiam clarissime deduci. Ut autem esset cognitio propria Logicæ artis, deberet in universali cognoscere rectam dispositionem terminorum, & bonitatem consequentiæ juxta regulas generales, vel saltem cognitionem de his universalem præsupponere. Nam, ut docet Aristoteles I. *Metaph. c. 1.* in eo differt experientia ab arte; *Quod experientia singularium, ars autem universalium cognitio est.*

103 Nec tamen experimentalem dicimus quemlibet discursum sine Logica elicitum. Si enim ignarus Logicæ per species evidentes ita discurrat, *Omne rationale est admirativum, Omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est admirativus;* discursus hic ad scientiam pertinet, non ad experientiam, cum ex universalibus præmissis conclusionem inferat universalem. Solum ergo experimentalem esse volumus cognitionem reflexam de bonitate consequentiæ talis, seu de recta forma talis discursus prout apta hic & nunc ad convincendum: permittimusque, cognitionem istam esse necessariam, ut directæ demonstratio sit perfecte scientifica.

104 *Ubi notandum, quod, licet bonitas sit passio Consequentia (fortè non est passio, sed*

sed essentia), non ideo indiget novo syllogismo demonstrativo, ut evidentè cognoscatur, si non ut passio manans ab essentia, saltèm ut res quædam absolute existens; quemadmodùm syllogismo non indigemus ad cognoscendam evidentè, ignem hunc esse calidum, & Solem hunc esse lucidum, licèt calor, & Lux, passiones sint ignis, & Solis. Sufficit ergo in re nostra simplex intuitus consequentiæ præsentis, evidentè bonæ, vel, si mavis, iudicium hocce, *Bonitas hujus consequentiæ mihi evidens est.*

105 Ad *Confirm.* Discursus evidens, si verè est evidens (ut esse potest sine Logica, etiam apud Contrarios), & evidentè detegens connexionem objecti antecedentis cum consequenti, semper habetur ut infallibilis, & omninò remouet suspicionem erroris. Nequit enim intellectus eum hic & nunc suspicari fallacem, ut ineptum ad convincendum, nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ; cum experiatur eo se planè convinci: quare aptum esse certò cognoscit, tum exercitè per discursum ipsum directum, tum signatè per cognitionem reflexam experimentalem (de qua nuper) si ad eam elicendam excitetur. Evidentia verè talis in hoc differt ab apparente, quòd ista intellectum perspicacem relinquit semper aliquatenus inquietum; illa verò reddit omninò securum.

106 Denique, ignarus Logicæ nescit quidem discernere in communi discursum rectum à sophistico; benè tamèn in particulari, siuè in individuo, dum scilicèt experitur se altero præ altero pienè convinci. Nec facilè nuntat in assensu evidenti per objecta sophismata; sed potius ea contemnit, & irridet, licèt solvere nesciat. Tenta, quæso, persuadeere rustico, se non esse hominem, illo sophismate: *Quod ego sum, tu non es; sed ego sum homo: ergò tu non es homo.* Risum feres, nec dubium inferes.

107 *Arg. 2.* Ignarus Logicæ nescit, quomodo, & ex quibus faciendâ sit demonstratio: ergò nèquit illam habere, nisi purè materialitèr, inadvententèr, & à casu, quod non sufficit ad scientiam. Sic; qui vera loquitur, nesciens se verum dicere, & quid sit dicere verum; purè materialitèr verum dicit. *Resp. dist. Antec.* nescit, quomodo, & ex quibus faciendâ sit demonstratio in communi, *conc.*; in particulari, siuè hic & nunc, *subdist.*: nescit signatè, vel per comparisonem ad regulas Logicæ generales, *conc.*: nescit exercitè, vel etiam reflexò cognoscendo, se nunc discurrere evidentèr, & infallibilitèr, *neg. Antec.*, & *consequ.* Ratio solutionis constat ex dictis.

108 Hinc ignarus Logicæ non habet demonstrationem *inadvertentèr*; quia advertit se convinci-



vinci; & objectum conclusionis non posse aliter se habere: nec item a casu; quia illam quæsitivè ductus primis principijs, & nativâ propositione in veritatem; nec demùm purè materialitèr; quia penetrat vim, & efficaciam illius adconvincendum, tùm exercitè, tùm per reflexionem Logicæ naturalis; & ideò talem discursum scit præferre alijs incertis. Undè retorquetur exemplum objectionis. Nam, qui penetrat vim verborum, & intendit hic & nunc dicere, quod sentit, non purè materialitèr, sed formalitèr verum dicit, etiamsi nesciat, quid sit veritas in communi, nec eam definire noverit.

109 Objectiones alias in Logic. fusior. solutas invenies. Sed interim notabis sequentia. *Not. 1.* quòd demonstratio non necessariè est artefactum in actu secundo, id est, opus actualitèr factum ex directione artis: semper tamèn est artefactum in actu primo, hoc est, opus ex se aptam, ut fiat ab arte, habeasque intrinsicam rectitudinem, quam ars intenderet, si adesset. Hujusmodi artefacta sæpè fiunt sine arte per naturalem solertiam Intellectus, vel imitantis, vel per se inventientis; ut patet v.g. in artefacto rhetorico, quod sæpè format sola facundia naturalis. Immò ex multorum experientia artefactorum nata est omnis ars, ut ait Aristoteles 1. *Metaph.*

c. 1.

110 2. : Quòd scientia non potest adquiri sine modo sciendi passivo, id est, sine demonstratiōne, quæ est species Modi sciendi: benè tamèn sine modo sciendi activo, seu directivo; quo tantum sensu Logicæ vocatur modus sciendi generalis. 3. quòd demonstrare proprium est cujusvis Scientiæ: & omnis habitus scientificus est *facilitas demonstrandi*. Solùm ergò proprium est soli Logicæ præberè regulas ad demonstrandum.

111 4. Quod ignarus Logicæ poterit interdum errare in progressu scientiarum (hoc etiam Logico nonnumquam accidit): sed error intercurrentis animadverti poterit, & emendari naturali solertiâ: quemadmodum, qui sine itinerario Romam pergat, licet sæpè a recto itinere deflectat, poterit errorem advertere, & iterum atque iterum in viam regressus, ad terminum tandem pervenire. Loquimur autèm in præfati de Intellectu naturalitèr acuto, & solerti: quod enim alitèr cōtingat rudi, vel tardo, per accidens erit.

112 Denique observa pro cunctis objectionibus instantiam in prima demonstratiōne Logicæ, qua demonstratur hæc propositiō v. g. *Definitio debet esse clarior definito*. Qui talem demonstratiōnem elicit, verè acquirit scientiam: & tamen nondum regulas novit artis syllogisticæ, nec scit solvere sophismata, &c. *mon.*

D

CA.

CAP. VIII.  
AN LOGICA SIT ARS, &  
Scientia.

113 **Q**UINQ̄ habituū genera distinxit Philosophus 6. *Ethic.* à cap. 3. usque ad 7. quas appellat *virtutes intellectuales*, nimirum *Intellectum, Prudentiam, Sapientiam, Scientiam, & Artem.* Nomine *Intellectus* non hic significatur, ut alias, potentia intellectiva; sed *Habitus cognoscendi principia prima, & indemonstrabilia*, cujusmodi sunt, *Quodlibet est, vel non est, totum est majus sua parte, &c.*; qui habitus vocatur etiam *lumen principiorum.*

114 Prudentia dicitur à Philosopho *Habitus agendi, verà cum ratione, circa ea, quæ sunt homini bona*, id est, circa morum honestatem. Sapientia sæpè accipitur pro excellentia in quavis arte, vel scientia: sæpè etiam præsertim apud veteres, pro *Scientia Divinarum, humanarumque rerum, causarumque, quibus hæ continentur*; quo sensu comprehendit habitus omnium scientiarum. Nunc verò sumitur pro *Cognitione perfectissima rerum maxime universalium, ac difficultum, per altissimas causas.* Scientia est *Habitus per demonstrationem acquisitus*: & Ars, *Habitus verà cum ratione factivus*: quæ omnia explicat D. Thomas ibi *Leç. 3. 4. & 5.*

115 His positis, Logica in primis in se continet *Intellectum*: includit enim habitum suorum principiorum, v. g. *Eadem propositio nequit esse vera simul & falsa.* Deinde Logica non est *Prudentia* strictè sumpta, cum non versetur circa morum honestatem. Nec item est *Sapientia* juxta definitionem nupèr adductam, quæ solis convenit *Metaphysicæ, & Theologiæ.* Sed dubium est, an Logica propriè sit *Ars, & Scientia?*

116 *Affero I. Logica propriè est Ars.* Ita ferè omnes, & nominatim D. Thomas, cum alibi sæpè, tum *I. Post leç. I.* ubi non solum probat, quod *Logica est Ars*, sed etiam *Ars Artium.* Sed antè probationem observa, quod Aristotelica definitio *Artis, Habitus verà cum ratione factivus* solum comprehendit *Artes externi operis, præsertim permanentis.* Nam apud Philosophum, & D. Thomam in *6. Ethic. leç. 3. facere, & factis* solis convenit actibus externis, ex quibus remanet opus aliquod, ut sunt actus ædificandi: *agere* autèm, & *actio* convenit actionibus internis, aut ijs etiam externis, ex quibus nihil remanet, ut sunt actiones *Musicæ.*

117 Cœterum præter *Artes externi operis*, sunt aliæ plures, & nobiliores. Celebris quippe est divisio *Artium in Activas, & Factivas*, sive in *Liberales, & Me-*

*Mechanicas*, versibus hisce notatas.

*Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.*

*Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.*

Quorum prior versus indicat Artes liberales, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astrologiam: posterior indicat mechanicas, quæ & serviles, & illiberales dicuntur, nempe Agriculturam, Venâtoriam, Militarem, Nauticam, Chirurgiam, Textoriam, & Fabrilem.

118 Ars igitur prout importat conceptum communem liberalibus, & mechanicis, ad mentem Veterum rectè definitur sic: *Habitus medio iudicio vero dirigens Agens liberum, in quo est, ad opus non pertinens ad bonos mores.* Probat. igitur Assertio n. 116, Quia Logicæ convenit quidquid est de ratione Artis: est enim facultas medijs regulis omninó veris dirigens Agens liberum ad construendum opus quoddam internum, nempe Syllogismum, Definitionem, &c. quod opus non ita necessarium est, ut non possit benè, vel malè fieri ex imperio, & electione Voluntatis, ut explicabimus Disp. sequenti.

119 *Assertio 2. Logica propriè est Scientia.* Probationi præmitto, Scientiam usurpari trifariam. 1. pro quavis cognitione verâ: dicitur enim sciri, quidquid

non ignoratur .2. pro notitiâ evidenti, quæ propter se appetitur, nec ad aliud per se ordinatur: & hæc acceptio, quæ sæpè occurrit apud Aristotelem, solis convenit Scientijs parè speculativis. 3. generalius pro habitu per demonstrationem acquisito: quæ acceptio propria, & usitata est, traditurque ab Aristotele 1. *Post. cap. 2.*: undè & D. Thomas 6. *Ethic. lect 3. Manifestum est*, inquit, *quod scientia est habitus demonstrativus, id est, ex demonstratione causatus.*

120 In 1. acceptione Logica est scientia, ut per se patet: in 2. non est; quia propter alias scientias appetitur, & ad eas acquirendas ordinatur. In 3., quæ sola ad præsens attinet, procedit Assertio nostra, in omni Scholâ communis.

121 *Probat. brevitèr: Logica ex principijs evidentibus demonstrat suarum veritatem regularum: ostendit enim v.g. quod Definitio debet esse clarior Definito, ex eo quod explicatio sit clarior explicato; quod unum membrum dividens non adæquat Divisum, ex eo quod totum est majus sua parte; quod Syllogismus constare debet tribus terminis, ex principio, Quæ sunt eadem uni tertio, &c.;* assumptis insuper definitionibus cujusque Modi sciendi, tamquam principijs Subjecti sui proprijs. Logica igitur est habitus demonstrativus,

seu per demonstrationem acquiritus, proindeque scientia verè, & propriè.

122 Sed *Objic.* Logica est ars: ergo non est scientia. *Prob. conseq. 1.*: quia scientia est de necessarijs: ars autem de contingentibus, seu quæ benè, vel malè fieri possunt. 2.: quia scientia est de universalibus; ars de singularibus. 3.: quia scientia est propter se; ars propter opus. 4. quia Aristoteles distinguit Scientiam, & Artem, tanquam membra dividenda virtutem intellectualem in communi: at membra dividenda totum, se se invicem, excludunt.

123 *Resp. neg. conseq.* quin obstant probationes. *Ad. 1.* Scientia dicitur esse de necessarijs, non quidem *in existendo* (sic enim sola cognitio de Deo foret scientia) sed *in verificando*; quatenus scientia ita debet respicere objectum, ut, sive illud existat, sive non, semper verificet necessariò conclusionem, qua demonstrativè cognoscitur. Undè conclusio ista, *Definitio debet esse clarior Definito*, est æternæ veritatis & de re necessaria in verificando: quia reddit hunc sensum, *Quandocumque existat Definitio, recta non erit, nisi Definito sit clarior*; qui sensus necessario est verus, etiamsi Definitio vel nullatenus, vel contingentèr existat.

124 Ars autem est de con-

tingentibus non quoad verificationem regularum, quæ possunt esse necessariæ veritatis; sed quoad executionem operis in individuo, quod debet esse in existendo contingens, & ab artificis arbitrio pendens; alioquin superflua foret ars. Undè conceptus Artis, & Scientiæ non opponuntur; nam contingentia, quam petit Ars, benè cohæret cum necessitate, quam Scientia poscit.

125 *Ad 2.* Scientia est de universalibus; quia rationem considerat communem pluribus: sed hoc idem habet Ars, cum regulas præscribit generales pluribus artefactis. Undè, quod Ars etiam sit de universalibus, & in hoc ab Experientia differat, expressè docent, & inculcânt Aristoteles 1. *Metaph. cap. 1.* & D. Thomas ibi *lect. 1.* Ars ergo circa singularia versatur, non *in cognoscendo*, sed *in agendo*, quatenus, dum ad actionem, sive ad executionem venit, artefactum in singulari fieri debet ab Artifice, facillimè applicante regulam Artis generalem. Et eodem sensu omnis scientia practica versatur circa singularia.

126 *Ad 3.*: sola scientia speculativa est propter se, nam practica, licet sit scientia, est propter opus, pertinetque ad intellectum practicum, sicut Philosophia Moralis, Medicina, & alia. *Ad 4.* Scientia, & Ars in communi, ratione saltè distinguuntur, & iden-

identitatem re aleni, licet non excludant, non exigunt: quod sufficit, ut possint esse membrá dividentia, juxta dicta in Summulis.

127 Ars igitur solum petit ex proprio conceptu iudicium certó verum; non tamen ut certitudo nitatur potius demonstratione, quàm inductione, vél autoritate; ut patet in Artibus mechanicis, quæ prout communiter addiscuntur, non sunt Scientiæ, licet regulas habeant ex se demonstrabiles. Dum autem ea certitudo per demonstrationem acquiritur, tunc idem habitus est Ars, & Scientia.

128 Notandum hic, quòd, etsi Logica non certó cognoscat suum objectum sub ratione Entis realis, vel rationis; bene tamen sub ratione Modi sciendi, tam in communi, quam in particulari. Quia certum est omnibus, Logicam agere de Modo sciendi, & ejus speciebus. Omnes item re ipsa conveniunt in definitionibus specierum istarum: ex quibus definitionibus demonstrantur proprietates Modi sciendi, ad finem Logicæ conducentes. Quare Logica certó pòscit suum objectum, quantum sat est ad demonstrandum quod oportet. Alia quædam huc spectantia dedimus in Log. fusior

## CAP. IX.

## UTRUM LOGICA SIT

Scientia practica, an Speculativa?

129

☉ Laritatis ergo aliqua in limine sūt

notanda. Not. 1. Ex crúda vi nominum idē sonat Praxis, ac Opus; & Practicum idem, ac Operativum: Speculatio veró idem valet, ac Contemplatio; & Speculativum idem, ac Contemplativum. Sed usu Sapientum effectum est ut sola cognitio, quæ ita repræsentat objectum, ut ejus executionem non regulet, dicatur speculatio, seú cognitio speculativa: quæ veró pro regula est, ut suum objectum executioni mandetur, cognitio practica dicatur. Hinc Intellectus dividitur (divisione formali, non reali) in practicum, & speculativum, prout scilicet productivus est cognitionum, vél purè speculantium, vél ad sui objecti executionem dirigentium

130 Indè etiam habitus intellectuales in practicos, & speculativos dividuntur: nam, licet omnes actuum suorum operativi sint, cum tamen ab eorum indole nomen accipiant, dicuntur speculativi, qui speculationes pariunt, & practici, qui cognitiones practicas eliciunt.

131 Not. 2. Potissima differentia cognitionis, aut facultatis practicæ ab speculativa sumitur ex fine utriusque. Speculativa enim finis, veritas; practica autem, opus; ut inquit Aristoteles 2. Metaph. cap. 1. Id est, Facultas speculativa sistit in contemplatione sui objecti, nec aliud querit, quam veritatem de ipso scire, at facultas practica ulterius

rius dirigit ad sui objecti executionem, quæ executio proinde vocatur finis ejus. Idcirco passim dicitur, quod scientia speculativa est *gratia sui*, & *querit scire propter ipsum scire*: practica verò est *gratia operis*, & *querit scire propter utilitatem operis*.

132 In idem recidit, quod notitia practica versari debet circa rem operabilem à cognoscente ipso; & quidem *ut operabilem*, & *modo operabili*, id est, modo utili ad operandum; vel, quod eodem redit, *modo compositivo*, id est, conducente ad opus componendum, vel ex partibus, si partes habeat, vel saltè ex essentia, & existentia. Contrà vero, notitia speculativa vel non respicit rem operabilem, vel saltè non *ut operabilem*, nec *modo operabilem*.

133 Not 3. Aliud est practicum *morale*, quod nempè mores dirigit, v.g. dictamen prudentiæ: aliud *artificiale*, quod scilicet regulat artefacta, v. g. dictamen Architecturæ. Utrumque, ut perveniat ad opus, requirit actum voluntatis; sed non eodem modo. Nam practicum morale requirit actum voluntatis, vel tamquam praxim unicam, vel tamquam formam praxeos prout moralitèr honestæ; cum enim Prudentia dictat externam locutionem, hæc prout est, praxis recta moralitèr, constituitur ab actu voluntatis ut forma. At practicum artificiale solum postulat ac-

tum voluntatis tamquam puram conditionem, aut applicationem potentiæ executivæ: neque enim domus v. g., prout est praxis artificiosa, constituitur per actum voluntatis.

134 Ex dictis colliges, quòd humana praxis in sensu philosophico nihil est aliud, quam *Actus in potestate nostra constitutus, quatenus dirigibilis per rationem humanam*: nec semper ac necessariò est *actus alterius potentiæ ab intellectu*; ut mòx ostendemus. Undè & notitia practica definiri potest, *Cognitio dirigens ad executionem sui objecti*.

135 Sed hic vigilantèr observandum, quod speculatio nihil differt à notitiâ speculativâ, definirique potest, *Cognitio ita representans objectum, ut ad positionem ejus non dirigat*. At, licèt possit eadem cognitio simul esse praxis, & practica respectu diversorum, necessariò tamen cognitio practica distinguitur à praxi, quam dirigit; quia nullus actus propriè dirigit se ipsum.

136 Jam igitur Logicam prima sententia censet simpliciter, & adæquatè speculativam. Ita sentiunt Scotistæ, & Thomistæ omnes: qui licèt concedant, Logicam esse *quasi practicam, aut instar practicæ*, propriè tamen practicam esse negant. Secunda Logicam asserit simpliciter practicam. Hæc est omnium ferè nostratum, quorum plerique si-

simul agnoscunt, Logicam esse speculativam secundum quid, id est, penes aliquos actus: alij pure practicum dicunt.

ASSERTIO NOSTRA

principalis.

136 **L**ogica, prout regulas tradit Modi sciendi, practica est verè, ac propriè: Prob. I. In regulis definiendi v.g. reperitur triplex character, ex quo juxta omnes notitia practica discernitur ab speculativa, scilicet objectum operabile, finis in operatione situs, & modus operabilis: ergo in his regulis vera ratio notitiæ practiciæ reperitur. Probatur. Antec. per partes. Nam in primis ex regulæ pro objecto respiciunt Definitionem, quæ verè operabilis est ab Intellectu nostro. Deinde finis earum est operatio, & executio istius objecti, ut nemo negat. Postremo, modus ipsarum utilis est ad operandum; siquidem ex earum directione passim definitiones conficimus. Hoc autem est, tendere modo operabili, seu compositivo. Reperitur ergo triplex ille character in regulis definiendi.

138 Confirm. ex D. Thoma in 1. Post. lect. 41. sic ajente: In speculativis Scientijs nihil aliud quæritur, quam cognitio generis subjecti: in practicis autem Scientijs intenditur quasi finis constructio ipsius subjecti. Subsumo: sed in Logica quæritur aliud, quam cognitio generis subjecti,

& in ea intenditur quasi finis constructio ipsius subjecti, nempe Modi sciendi, ut ignorat nemo: ergo Logica est Scientia practica.

139 Probatur 2. Ideo Logica non esset verè practica, quia pro materia operabili respicit actus Intellectus, qui nequeunt esse praxes, tum quia sunt speculationes, tum quia praxis debet esse actus alterius potentie ab Intellectu. Hoc est præcipuum, & ferè unicum sententiæ contrariæ fundamentum. Atqui actus Intellectus potest esse praxis: ergo &c.

240 Probatur Min.: quia non minus actus Intellectus, quam actus alterius potentie elici potest ex directione regulæ præscriptis modum, quo fieri debet: cur ergo alter præ altero dicetur esse praxis? Nulla est disparitas, nisi quod alter præ altero est opus alterius potentie ab Intellectu. Verum hæc est mera petitio principij. Rationem cedo, cur nomen praxis restringi debeat ad actus alterius potentie ab Intellectu? Certè praxis propriè significat usum regulæ dirigentis, & Aristoteles 1. Metaph. c. 1. & 2. practicas generatim asserit artes, quæ inventæ sunt ad usum, quas inter numerantur scientiæ logicales à D. Thom. ibi lec. 1.

141 Confirm. Actus elicitus ex directione Prudentiæ, est praxis, juxta omnes: ergo quoties Prudentia dicitur studium Me-

taphysicæ, vel actum credendi mysterijs revelatis, actus Intellectus erunt praxes. Consistit qui dem tunc ratio meriti præcipuè, vel unicè in actu voluntatis imperante; attamen ratio praxeos consistit etiam in actu imperato: quia hic actus expressè dicitur à prudentia, & expressè cadit sub præceptum credendi, vel studendi; quod præceptum non est reductum ad praxim, donec actus ipse Intellectus exerceatur. Jam ergo actus Intellectus in semetipso participat rationem praxeos.

#### ASSERTIO ALTERA.

142 **L**ogica directa, & proprijs limitibus contenta, simpliciter, inò ferè totaliter, practica est. Explicatur: etsi tota Logica reflexè cõsideret actus Intellectus, tamen in sua linea vocatur *Logica directa*, quæ versatur circa illos actus, quatenus artificiosè ponibiles: vocatur verò *Logica reflexa*, quæ suam ipsius indolem nova reflexione discutit; ut fit in hoc proemiali Tractatu. Quibus positis, probatur Assertio: Logica directa operationem respicit pro fine, & attributionis objecto; & ad eum finem inventa est, ut Intellectus regulas ejus deducat ad praxim. Sed Scientia, quæ ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica, ut inquit D. Thomas I. p. q. 14. artic. 16. Logica ergo simpliciter est practica.

143 Et hinc etiam proba-

tur practica totaliter, aut ferè; nam Logica per omnes suos actus tendit in operationes Intellectus ut dirigibiles; adeoque tota respicit suum objectum ut operabile ex directione regulæ, hoc enim sonat *dirigibile*. Dixi tamen *totaliter, aut ferè*; ne nimium repugnem ijs, qui excipiunt nonnullos actus secundarios; queis Logicus artificium jam actu positum reflexè considerat.

#### ASSERTIO TERTIA.

144 **L**ogica reflexa, nec usu quæstiones adoptat adscititias, est speculativa. Res hæc explicatis terminis, alia probatione non eget. Nam in primis Logica reflexa, seu proemialis, nihil ferè tractat ad praxim perti nens, ut ex hæc, & sequenti disput. quisque perspiciet. Deindè, Logica, prout consueta in Scholis methodo traditur, plurimas ex Metaphysica quæstiones adscitit, præsertim in tractatib. de Universalib. & Prædicamentis, ut nemo nescit; nonnullas etiam ex Animastica: quæ omnes ad speculationem pertinent, & majori ex parte consuetum Logicæ volumen occupant.

#### CAP. X.

#### OBJECTIONIBUS FIT SATIS.

145 **C**ontra primam, & præcipuam Assertionem *Objic.* I.: Omnis actus Intellectus est speculatio; sed nul-



la speculatio potest esse praxis: ergo, &c. *Resp.* Utraque Præmissa falsa est: *Major*; quia speculatio idem est, ac cognitio speculativa; nihil autem falsius, quam quòd omnis actus Intellectus sit cognitio speculativa, ut patet in actibus Prudentiæ, Medicinæ, & cujuslibet Artis: *Minor* etiam; quia praxis, & speculatio non opponuntur respectu diverforum; si enim speculatio est artefactum verè operabile ex directione alterius cognitionis, quid prohibet esse praxim?

146 Opponuntur quidè practicum, & speculativum in eodem actu, vel habitu respectu ejusdem objecti; quia implicat simul sistere, & non sistere in ejusdem objecti contemplatione. At praxis non est idem ac cognitio practica; nec aliundè cum speculatione magis pugnat, quàm ratio artefacti.

147 *Replc.*: saltè dum Logica dirigit actus Metaphysicæ, vel aliùs Scientiæ speculativæ, habet pro fine speculationè. *Dist.*: habet pro fine speculationem alieni objecti, *admitt.*; speculationem sui objecti, *neg.*. Cum dicitur Scientia speculativa pro fine habere speculationem, sermo est de speculatione sui proprii objecti, quod talis Scientia non intendit exequi, sed purè cognoscere. Id quod patet, tum ex communi sensu; tum ex D. Thoma citato supra num. 138. Actus

autè metaphysicus, licèt sit speculatio objecti Metaphysicæ, non est speculatio objecti Logicæ, sed ipsemet, quatenus artificiosus, est abjectum Logicæ, & praxis regularum ejus.

148 Hic advertendum, quòd, cum Logica dicitur pro fine respicere veritatem, non est sermo de veritate objecti proprii non ordinatà ad opus (quo tantum sensu loquitur Aristoteles supra citatus num. 131.); sed sermo est de veritate objectorum ad alias Scientias spectantium, quatenus acquisita, vel adquiribili per cognitionem artificiosam; quod re verà est hujusmodi cognitionis artificium esse finem Logicæ.

149 *Oblijc. 2.* Si actus Intellectus potest esse praxis, habitus Metaphysicæ practicus erit, cum sit operativus sui actus, & quidè magis propriè, quàm Logica; nam demonstrationem metaphysicam Logica solum operatur directivè, habitus Metaphysicæ effectivè. Immò Intellectus penès omnes suos actus erit practicus, cum omnes propriè operetur.

150 *Resp. neg. sequel.* Quia practicum philosophicè non sumitur pro quovis operativo physicè, sed pro operativo intentionalitèr, seu directivè; accipiturque prout est proprietas cognitionis, cui primò convenit denominatio *practica*, & ex qua deri-

vatur in Intellectum, & habitum. Facultas practica debet respicere praxim pro objecto, ut constat ex dictis. Habitus autem non habet pro objecto suum actum, sed medio actu respicit objectum, adeoque idem est objectum habitus, ac actus.

151 Habitus igitur Metaphysicæ operatur quidem praxim, nempe demonstrationem suam, quæ est praxis Logicæ dirigentis; at non ideò est practicus, quia non intendit constructionem sui objecti, sed in ejus pura speculatione sistit; qui est character habitus speculativi. Idem puta de Intellectu, qui non est practicus, nisi quatenus faciendus actuus ad executionem sui objecti dirigentium. Itaque actus Intellectus, sicut & alterius potentiae, potest esse praxis, non respectu omnis principij, cujus est operatio, sed respectu illius duntaxat, cujus intuitu est operatio dirigibilis.

152 *Replic. Intellectus extensione fit practicus, ut est in proverbio: & Sola extensio ad opus facit aliquem Intellectum esse practicum, ut ait D. Thomas q. 14. de verit. art. 4.* Nulla est autem Intellectus *extensio*, dum respicit actum suum: quia *extendi est extra se tendere. Resp.* Ita interpretatio *extensionis* frigida est, non aliter ac si quis diceret, Intellectum non posse intendere rebus externis, quia *intendere est*

*intra se tendere.* Idem sonat *extendi*, ac *protrahi*, vel *explicari.* Intellectus autem intra semetipsum verè protrahitur, & explicatur, dum ab actu regulante progreditur ad actum regulatum per circuitum Voluntatis imperantis, aut applicantis: verè ergo extenditur intra se.

153 *Objic. 3.* Logica quærit scire propter demonstrare; sed demonstrare est scire: ergo quærit scire propter scire; quod proprium est Scientiæ speculativæ. *Dist. Maj.* propter demonstrare proprium, *neg.*; propter demonstrare alienum, *conc. Maj.*, & *Min.* & *dist. Conseq.*: propter scire proprium, *neg.*; propter scire alienum, *conc. Conseq.* Logica scit, & demonstrat suum objectum; sed hoc demonstrare & scire proprium non quærit propter se ipsum, ut in eo sistat, sicut sistunt Scientiæ speculativæ; illud enim ordinat ad constructionem sui objecti consistentis in demonstrare alieno, sive in demonstrationibus aliarum Scientiarum.

154 Pro alijs objectionibus consule Logic. futur., ubi etiam explicatos invenies nonnullos D. Thomæ locos, qui nobis ob stare videntur. De solo practico mechanico loquitur interdum Angelic. Doctor; ideoque in speculativis collocat, non solum Logicam, sed generatim Artes liberales, v. g. Gramma-

ticam; quam tamèn nemo negat esse verè practicam.

155 Contra secundam Assert. *objici* potest, quòd actus, quibus Logica discutit proprietates & species Modi sciendi, non sunt practici: quia nec habent tendentiam præceptivam, nec proximè dirigunt ad opus, cum doctrinam contineant generalè: actus autèm practicus debet esse proxima regula operis, juxta D. Thomam.

156 *Resp.* Actus hujusmodi, cum Intellectum instruant circa rationes operandi, & causas operis, & quidèm ex fine operationis, verè practici sunt, licèt non proximè, & comple è, donèc ex eorum instructione colligatur actus hic & nunc dictans modum construendi operis in particulari: qui actus est quidèm *proxima regula operis*; sed in esse *regulae intelligentè*, & *scientèr habitæ*, constituitur per discussionem præviam operis in universali.

157 Idem ipse actus, in particulari dictans modum operandi, *specialitèr* vocari solet practicus, & comparatione illius dicuntur ad *Theoriam* pertinere ceteri actus: undè orta est in qualibet Facultate ad usum destina-

tà, v. g. in Medicinè, divisio vulgaris in *theoricam*, & *practicam*. Verùm divisio ista non efficit, ut pars theorica propriè sit speculativa; quod expressè admonet D. Thomas *Opusc.* 70. q. 5. art. 1. ad 4. Tendentia præceptiva per verbum *debet*, aut simile, non est necessaria, nisi pro tyronibus: sine illa quippè redduntur actus ex objecto & sine fatis practici, ut patet in mechanicis.

158 Adversus ult. Assert. *oppones*, quòd Logica, prout consuetà methodo traditur, & prout comprehendit reflexam & directam, est una Scientia: nequit autèm resultare quid unum *ex practico & speculativo*, quæ sunt differentia essentialitèr opposita. Sed rejicietis exemplo factæ Theologiæ, quæ juxta Div. Thomam. 1. p. q. 1. art. 4. complectitur utramque differentiam. Et quæro abs te, quomodò resultat *tepidum* ex calido & frigido? & *pallidum* ex albo & nigro? quæ sunt etiam exempla D. Thomæ rem istam explicantis 2. 2. q. 179. art. 2. Adde, quòd Logica, prout illa omnia complectens, non est una, nisi tantum improprie



## DE OBJECTO LOGICÆ.

CAP. I.  
OBJECTUM IN COMMUNI  
quid, & quotuplex?

I



Objectum, pro-  
ut nunc ac-  
cipitur, est,  
*Quod suis*  
*actibus res-*  
*picit poten-*  
*tia intentio-*  
*nalis*, id est, cognoscitiva, vel  
appetitiva; sive illa sit spiritua-  
lis, ut Intellectus, & Voluntas,  
sive materialis, ut quævis poten-  
tia sensitiva hominis, aut bruti.  
Sic Color objectum est potentia  
visivæ, Sonus auditivæ, Veritas  
intellectivæ, Bonitas volitivæ.

2 Sola potentia propriè  
respicit Objectum, sicuti sola pro-  
priè intelligit, amat, videt, &c.:  
sub ejus tamen auspicijs actus  
etiam, & habitus Objectum ha-  
bere dicuntur: actus, quia Ob-  
jectum respiciunt *ut quo*, sive ut  
actuales tendentiæ, quibus po-  
tentia tendit in Objectum: ha-  
bitus, quia potentiam ad actus  
eliciendos adjuvant. Undè Ob-  
jectum eorum actuum, ad quos  
concurrunt habitus artium, &  
scientiarum, habitus ipsi respice-  
re dicuntur.

3 Objectum, quando ac-  
tualiter attingitur, dicitur *actua-*

*le*, sive *in actu secundo*: quando  
verò nondum attingitur, sed est  
aptum attingi, dicitur *aptitu-*  
*dinale*, sive *in actu primo*. Utro-  
que modo dividitur in *totale*, si-  
ve *adæquatum*, & *partiale*, sive  
*inadæquatum*. Divisio hæc pro  
singulis etiam actibus deservire  
potest. Sed præcipuè adhibetur  
propter scientias, & potentias.  
Itaque objectum adæquatum est,  
quod respicitur, aut respici po-  
test per collectionē omnium ac-  
tuum alicujus potentia, vel scien-  
tia: inadæquatum verò, quod  
per aliquem, aut aliquos actus  
tantummodò.

4 Præcipua Objecti divisio  
est in *formale*, & *materiale*. Di-  
citur *formale*, *Quod propter se*  
*atingitur*; *materiale* verò, *Quod*  
*atingitur propter aliud*, seu ra-  
tione alterius. Exemplum vulga-  
re præbet ægrotus, dum scissio-  
nem venæ propter sanitatem  
amat: cujus amoris objectum  
*materiale* est scissio venæ; *sanitas*  
verò est objectum *formale*. Idem  
est autem Objectum attingi *prop-*  
*ter se*, ac *per se*, & *ratione sui*,  
vel clarius, idem ac *ex proprijs*  
*meritis*, & *ratione intrinsecæ suf-*  
*ficientiæ*, ut ad talem actum in-  
vitet, illumque terminet.

5 Hoc intellige, quando  
tò *propter* denotat objectum ac-

tus

ctus: nam interdum denotat finē, ad quem actus est utilis, & ad quem ordinatur, quamvis illum pro objecto non habeat. Sic Intellectus dicitur assentiri præmissis propter conclusionem, ubi tō propter denotat finem, qui non est objectum præmissarum. Eodem sensu objectum attributum, quamvis formale, dicitur attingi propter objectum attributionis, de quo infra cap. ult.

6 Formale Objectum appellatur *motivum*: quia movet ad existentiam actus; vel in genere causæ finalis, ut in potentia volitivā; vel in genere causæ efficientis, ut in potentijs cognoscitivis, quibuscum insluit in actum vel per se, vel per speciem sui, juxta illud, *Ab objecto, & potentia paritur notitia*; vel saltem exhibendo rationem sufficientem, cui innitatur assensus, ut accidit in objecto hujus actus, *Quodlibet est, vel non est.*

7 In præsentī maximè observenda est Objecti formalis partitio in formale quod, & formale quo, vel sub quo: quæ partitio potissimè accipitur per ordinem ad Potentias, & Scientias totales. Formale quod, est *Formalitas*, aut *ratio communis*, quæ omnia objecta particularia redduntur apta, ut per se attingantur ab aliquâ Potentiâ, vel Scientiâ totali: & vocatur etiam *ratio formalis sub quâ*; quia sub eâ continetur quidquid Scientia, vel

Potentia per se respicit; & quia sub ejus auspicijs quasi militat omnis actus Potentiæ, vel Scientiæ.

8 Talis est respectu potentiæ intillectivæ ratio *veri* ut sic, respectu volitivæ ratio *boni* ut sic, respectu visivæ *color* ut sic, respectu Mathematicæ *quantitas* ut sic, respectu Logicæ *modus sciendi* ut sic, vel *cognitio artificiosa* ut sic. Hæc ipsa ratio *sub qua* vocatur etiam ratio *objecti ut res est*, vel *in esse rei*. Nec ab eâ differt ratio *formalissima sub quâ*, nisi quatenus hæc superaddit expressum respectum ad Potentiam, vel Scientiam, & vocari solet ratio *objecti ut objecti*, vel *in esse attingibilis*, aut *scibile*. Ita se habet *amabile* respectu potentiæ volitivæ, *visibile* respectu visivæ, *scibile*, vel *dirigibile* in tali, vel tali genere, respectu Scientiarum, & Artium.

9 Objectum formale quod, est *objectum quodvis particulare*, contrahens ad se rationem formalem sub quâ, tamquam ratio inferior superiorem, & per se ac explicitè attactum per actus alicujus Potentiæ, vel Scientiæ. Vocari quoque solet *ratio formalis quæ*, dum comparatur ad formalem sub quâ, velut ratio specifica, vel differentialis, ad genericam. Talis est v. g. respectu potentiæ visivæ *albedo*, vel *nigredo*, & respectu Logicæ *definitio*, vel *argumentatio*.

10 Multi volunt, ut huiusmodi objectum appelletur materiale *proprium*, & *per se*; sola verò ratio *sub quâ*, dicatur objectum *formale*. Hic modus loquendi notandus est, quia valdè frequens. Verùm, cum actus ejusdem Potentiæ, vel Scientiæ, sæpè inter se differant specie, v. g. visiones albedinis, & nigredinis; utique differunt in objecto formali. Sed non differunt in ratione *sub quâ*: præter hanc igitur aliud habent objectum formale, videlicèt speciem, seu differentiam propriam objecti particularis, quod explicitè attingunt. Idem autèm dicendum de Scientiâ, vel Potentiâ; quippè quæ nonnisi medijs actibus respicit objectum.

II Duo hic addenda. *Primum*: quòd objectum formale vocari solet *specificativum*, id est, extrinsecum indicium, ex quo discernimus species actuum, habituum, & potentiarum inter se; aliter tamèn, & aliter. Nam, si actus unius potentiæ, vel scientiæ totalis, comparentur cum actibus alteribus, eorum *specificativum*, seu *distinctivum* sufficiens, est ratio formalis *sub quâ*: si verò inter se comparentur, *specificativum* erit unumquodque objectum formale *quod*.

12 Potentia, & habitus infusus, à ratione *sub quâ* specificantur; quia non habent partes, quæ possint inter se compa-

rari per ordinem ad multiplex objectum formale *quod*, actibus ipsis correspondens. Quare solum conferri possunt cum alijs potentijs, & habitibus sub diversa ratione formali tendentibus. At habitus constituentes unam totalem Scientiam, specificantur eo modo, quo actus; nempe ab alterius Scientiæ habitibus, per rationem *sub qua*; inter se verò, per objectum formale *quod*.

13 *Alterum*: quòd objectum formale, cum de Scientijs est sermo, vocari solet *subjectum scientiæ*, quia Scientiæ considerationi subjicitur, estque id, de quo Scientia differit, & proprietates demonstrat. Subjectum Scientiæ, si comparetur ad habitus particulares, vel ad singulas actuum species, coincidit cum objecto formali *quod*; si verò ad Scientiam totalem, recurrit cum ratione formali *sub quâ*, seu cum ratione communi *objecti in esse rei*; quæ ratio semper est generica; ideòque frequenter appellatur *Genus subjectum*. Tam *subjectum*, quàm *objectum*, aliud vocatur *attributionis*, aliud *attributum*: de qua partitione dicemus ad fin. Disput.

14 Hactenus de subdivisione objecti formalis. Nunc objectum materiale subdividitur i. in *intrinsicum*, & *extrinsicum*, Materiale *intrinsicum* (alij *proximum* vocant) est, quod in se ip-

ipso, licet non propter se, terminat actum. Ita se habet inimicus, dum propter Deum diligitur. Materiale extrinsecum (apud alios remotum, purè denominativum, & objectum per accidens) est, quod terminat actum, non in se, sed in aliquo realiter distincto, cui unitur. Sic homo dicitur visus, quamvis non terminetur visio ad substantiam hominis, sed ad colorem ipsi unitum.

15 Subdividitur 2. in *immediatum*, & *mediatum*. Dicitur *immediatum*, quod immediatè referatur ad objectum formale: *mediatum* verò, quod ad formale referatur mediante alio materiali; ut dum appetis librum propter studium, & studium propter Cathedram. Sed hic notandum, non solum objectum materiale appellari *materiam propriam*, & *circa quam*: nam etiam formale objectum vocatur passim eo nomine. Si ergo *materia circa quam*, attingitur ratione sui, erit objectum formale: materiale verò, si ratione alterius, aut propter aliud. Nunc ad objectum Logicæ vestigandum accedamus.

## CAP. II.

*Utrum voces sint objectum directè, & per se consideratum à Logicâ?*

16 **V**OCEs esse objectum Logicæ adæquatum veteres aliqui cœsuerunt. Verùm hæc sententia contempta nunc, & obsoleta jacet. Quare solum

hic quæritur, an voces sint objectum Logicæ partiale, ita ut dici debeant objectum formale *quod*, vel (quod idem sonat apud eos, qui nomine *formalis objecti* solum intelligunt formalem rationem *sub quâ*) objectum materiale *proprium directè, ac per se consideratum à Logicâ?*

17 Loquimur autem in præsentem, non quidem de vocibus quoad sonum à significato præcisum; immò nec quoad significationem qualicumque præditam artificio, v. g. grammatico, rhetorico, poetico: sed solum de vocibus, quatenus dispositis ad normam definitionis, argumentationis, &c., secundum regulas, & præcepta Summularum.

18 Quo sensu partem affirmantem amplectuntur plures, qui censent, à vocibus participari artificium propriè logicū. Accedunt Thomistæ recentiores; qui tamèn ita voces appellant objectum propriè, ac per se pertinens ad Logicam, ut nolint esse objectum *denominabile* ab artificio logico (quod in ente rationis objectivo collocant), sed tantum objectum *purè dirigibile* ad significandum artificium in objecto; & idem ferè dicunt de actibus Intellectûs. Verùm pars negativa & valde communis est in Scholâ nostrâ, & probabilior.

19 *Prob.* Non est objectum Logicæ proprium, quod non propriè participat rationem for-

malem *sub quâ* tendit Logica; quæ ratio formalis, ut Adversarij supponunt, est ratio Modi sciendi, & partium ejus, in communi accepta: sed voces non propriè participant rationem hujusmodi: ergo &c. *Major* est indubitata. *Prob. Min.*: quia vocibus non propriè convenit definitio Modi sciendi, nempè *Oratio ignoti manifestativa*, detegendo scilicèt rei essentiam, partes, aut proprietates: nulla quippè oratio vocalis per se ipsam, & absque alijs ope manifestationis, reddit objectum de ignoto notum, aut ab eo aufert denominationem *ignoti*.

20 Probatur hoc. Oratio purè vocalis, in primis non manifestat ignotum loquenti; hic enim jam prænoscit quod loquitur: aliundè nec manifestat audienti, nisi hic verba percipiat conceptibus ultimatis, quibus solis redditur noscens, quod sibi erat ignotum: ergo talis oratio, sine auxilio conceptûs ultimati, non reddit objectum audienti notû, nec per se solam aufert denominationem *ignoti*. Profectò, cum oratio vocalis non sit modus cognoscendi, quomodo erit propriè modus sciendi?

21 *Confirm.* ex D. Thoma q. 4. de Verit. art. 3. sic agente: *Manifestatio per se non invenitur, nisi in intellectu.* Item ex Aristotele, 1. *Potest. c. 8.* ubi sic loquitur: *Demonstratio, non in oratione, quæ est extrâ, sed*

*in oratione, quæ est in mente, consistit, quandoquidem neque Ratiocinatio in illâ consistere videtur.* Si autèm *rotiocinatio*, id est, syllogismus, in oratione vocali consistere nequit: ergo neque ulla alia species Modi sciendi, cum in omnibus eadam sit ratio.

22 *Uterius probatur* sententia nostra. Seclusis vocibus, & habitis regulis præcisè terminatis ad cõceptus, (ut si quis eas haberet propriâ inventionem comparatas, aut cœlitus infusas), Logica obtineret perfectè finem suum qui est adquisitio Scientiarum per actus artificiosos. Non enim Scientiæ acquiruntur, nisi per actus intellectûs.

23 Adde, quòd positis Logicæ regulis circa conceptus, ex consequenti manent voces sufficienter directæ, ac regulatæ, quantum ultra Grammaticam opus est: nam totum artificium vocale est ad normâ intellectua- lis: unde qui talem normam didicit formare, quàmvis Logicam denuò non consulat, facillimè formabit artificium vocale, si Grammaticam benè noverit. Nulla autèm ars tradit ex instituto regulas pro materiâ, quæ jam præsupponitur ex regulis aliò tendentibus regulari quantum indiget, ejusque difficultas artificij postulat.

24 Idcirco Logica non regulat ex instituto scripturam, sive artificium syllogismi scripti: nec



nec aliæ artes v. g. fabricandi domos, aut naves, ex instituto regulant suorum operum artificium picturâ expressum. Quia nimirum, qui Pictoriam Artem bene novit, si aliunde veram navim præ oculis habeat, vel ejus conficiendæ regulas norit, non aliâ directione indiget, ut navim depingat.

35 Ex dictis inferes 1. voces à Logica regulari, non ex instituto, vel ex directa intentione, sed ex consequenti, aut ex quadam resultantia, quæ non per se intenditur à Logica; sicut ab arte navifactoriâ non per se intenditur pictura navis. Quare voces non sunt objectum Logicæ nisi *indirectè*, aut *per accidens*.

26 Inferes 2., regulas Summularum, quatenus directè terminantur ad voces, pertinere partim ad Grammaticam, partim ad Logicam: ad Grammaticam, ut causam per se; ad Logicam, ut causam indirectam, aut conditionem, sine qua non. Et Grammatica in hisce regulis est veluti discipula Logicæ, ex quâ, licet aliò intentâ, discit, quam verborum formam servare debeat: quod exemplo artis Pictoriæ facile percipies ex n. 24.

27 Inferes 3., Summularum regulas circa voces, non esse institutas ex propria exigentia Logicæ, quæ sine ijs perfectè obtinere potest finem suum; & potest etiam inventionem adquiri si-

ne vocibus. Solùm ergo prædictæ regulæ institutæ sunt ex indigentia, seu commoditate tyronum Logicæ studentium, qui multo commodius, faciliusque percipiunt regulas verè logicas artificij mentalis, si prius exercentur in artificio vocali, & ejus regulas addiscant.

*Solvuntur Objectiones.*

28 **U**T à pluribus expeditas, observa, quòd potest Logica trifariam accipi. 1. quatenus *respicit proprium suum objectum*; atque ita solùm continet regulas pro conceptibus, quorum artificium per se, & ex propriâ exigentiâ considerat. 2. quatenus ab Aristotele, & deinde ab alijs Dialecticis, *methodicè disposita, ut tyronum commodo discatur*: atque ita plures etiam regulas continet circa voces, quæ tamèn regulæ sunt veluti per accidens respectu Logicæ, ex quâ solùm orientur ut à causâ indirecta, & magis pertinent ad Grammaticam ex n. 26.

29 3. *prout applicata ad usum externè disputandi*; quæ applicatio non est ex instituto artis, sed ex voluntate artificis, qui ex regulis conceptuum consequenter colligit, quâ sibi formâ sit disputandum vocibus: quem admodum si quis militarem artem applicet ad Torneamenta, & Hastiludia, vel Architecturam ad domos, aut naves papyraceas.

30 Si ergo Logica primo sensu accipiatur, sicut accipitur in præsentiquæstione, nulla regula, nullavè doctrina circa voces, *directè*, ac *propriè*, pertinet ad Logicam, sed *indirectè* tantum, aut *reductivè*. Quare Libri *Perihermenias*, & quæ in ijs traduntur definitiones nominis, verbi, & orationis, prout jacent, solum pertinent ad Logicam secundo sensu acceptam. Hinc divisio termini logici in mentalem, vocalem, & scriptum, non est univoca, sed analogà, & impropria; sicut divisio navis in veram, & pictam.

31 Dùm autem Logica vocatur *ars disputandi*, tertio sensu accipitur, quo non est propriè Logica, sed indirecta quædam Logicæ propago, quæ solum à Rhetoricâ differt, sicut in manu hominis pugnus astrictus differt à palma distensâ, ut olim ajebant Zeno Stoicus, & Varro. Cæterum, si de Logicâ propriè dictâ loquamur, valet illud Aristotelis vulgò notum, *Logicus est ad se, Rhetoricus verò ad alios*.

32 Sed aduc *objic.* 1. in vocibus reperitur propriè logicum artificium, v. g. definitionis: nam huic vocali complexu, *animal rationale*, verè convenit definitionis definitio, nempe *Oratio explicans essentiam rei*. *Confirm.* Logica respicit artificium definitionis, non quia est in materiâ conceptuum ( hæc

enim materia pertinet ad Animasticam), sed quia regulis ejus conformatur, præscindendo à materiâ vocali, vel mentali.

33 *Resp. ad object.* Vocalis illa hominis definitio, sicut non est propriè Modus sciendi, ut ex nostra probatione constat, ita non est propriè definitio logica nec habet logicum artificium, nisi umbratile, vel quasi pictum. Est quidem propriè *oratio*, prout hæc in Summulis definitur: sed, ut *oratio* sit propriè logica, definienda est, non per vocem significativam ad placitum, sed per signum formale, quod in solo Intellectu reperitur. Nec item vocalis definitio propriè *explicat*; quia non propriè manifestat ignotum.

34 *Ad confirm.* Logica respicit artificium suum, ut positum in materiâ conceptuū, sive actuum Intellectus; quam materiam per se considerat non sub ratione vitalitatis (quæ sola pertinet ad Animasticam), sed sub ratione signi formalis artificiosè manifestantis ignotum. Hæc autem ratio non reperitur in vocibus.

35 *Objic.* 2. Voces, ut dirigibiles in formam definitionis, syllogismi, &c. non pertinent ad Grammaticam; cum hæc nihil doceat de tali vocum artificio; ergo ad Logicam directè spectare debent. *Confirm.* 1. Si rogetur Grammaticus, an hæc oratio,

tio, animal rationale, sit hominis definitio? An constet genere, & differentia? Dicet, ad se ista non spectare, & ad Logicum remittet. *Confirm.* 2. Qui sic definiret hominem, animal rationalis, peccaret in Grammaticam, & non Logicam; ut ex aduerso, qui hominem definiret sic, vivens, cujus est proprium sentire, & discurrere, peccaret in Logicam, & non in Grammaticam, Aliud est igitur in vocibus artificium grammaticum, aliud logicum.

36 *Resp.* Grammatica duobus modis spectari potest 1., prout est in puro Grammatico; quo sensu est Grammatica generalis, & á rebus avulsa, solasque tradit regulas generales congruæ locutionis sine solæcismo, & barbarismo. 2., prout est in logico; quo sensu jam est Grammatica particularis, seu particularitèr concreta materiæ Logicæ, applicataque logicis objectis explicandis: atque ita regulas tradit particulares ad vocalitèr imitandum mentalem syllogismum, definitionem, &c.

37 Igitur ad *object.* concedo *Antec.* de Grammatica generali; sed nego de Grammatica particularitèr applicata materiæ Logicæ: sic enim utitur nominibus purè Grammatico ignotis, & regulas addit imitandis vocalitèr artefactis logicis idoneas, quas á Logicâ discit indirectè dictante.

38 Ad 1. *Confirm.* Hærebit quidem purè Grammaticus ad quæsitâ ejusmodi; nec aptè respondebit, nisi Logica sit imbutus: hoc tamèn solum probat, illud vocum artificium spectare ad Grammaticam prout in Logico, quæ reduplicatio denotat, opus esse magisterio Logicæ, non directo, sed indirecto, ut Grammatica regulas tradat pro definitione vocali.

39 Doctrina hæc explicatur exemplo. Si pictori prorsus ignaro rei militaris ostendas picturam exercitus instructi, & ab eo quæras, an ritè exprimantur, & collocentur in tabula legiones, turmæ, cohortes, tribuni, centuriones, &c.? Dicet, se nescire & ne terminos quidem intelliget. Si tamèn id quæras à milite, vel à pictore militiæ gnaro; respondebit statim, velut proprio ex munere. An propterea dixeris, picturam ejusmodi proprium esse objectum, non artis Pictoriæ, sed Militaris?

40 Quin potiùs dicendum, Pictoriam generalem nihil determinatè præcipere circa picturam exercitus, prout tamèn particularitèr applicatam ad materiam militiæ, regulas tradere particulares illius artificij, quas discit quodammodo ab arte militari; hæc enim ars, dum veram aciem instruere docet, indirectè & ex consequenti docet etiam, quommodò pingenda sit acies, si

aliundè supponatur Pictoria generalis.

41 Ad 2. *Confirmat.* idem redit exemplum. Nam similiter, qui rudibus imaginibus pingeret aciem ritè ordinatam, solæcisimum committeret in artem Pictoriam, non in Militarem: ut etiam, qui egregijs imaginibus aciem instrueret, non servato militari ordine, peccaret in artem Militarem, & non in Pictoriam. Illa igitur concordantia, *Animal rationalis*, reipsâ peccat in Logicam, nec habet logicum artificium, quod in vocibus non est aliud à grammatico per Logicam indirectè regulato.

42 Illa altera definitio, *vivens &c.* licet non peccet in Grammaticam generalem, peccat tamèn in particularem, seu particularitèr materiæ Logicæ applicatam: hæc enim debet sequi ductum Logicæ, nec alias adhibere voces, nisi quæ conceptus logicè dispositos, tanquam archetypum, perfectè imitentur in claritate, brevitate, & c.; ut iterùm in picturæ exemplo videre licet. Plura alia super quæstione istâ vide in Log. fusior.

### CAP. III.

AN, ET QUATENUS RES secundùm esse physicum sint Objectum Logicæ?

43 **R**erum esse physicum, seu naturale, illud est, quod rebus inest independentèr à consideratione Intellectus, ut

esse hominem, aut lapidem. Huic contraponitur *esse intentionale*, quod consistit in denominationibus illis, quæ, ab actibus Intellectus in objecta derivantur, ut in homine esse speciem, in animali esse genus.

44 Res ergo secundùm esse physicum non respici à Logicâ tanquam formale objectum adæquatum, omnibus est in cõfesso. Attamen esse formale objectum Logicæ inadæquatum, sive partiale, tuentur Authores nonnulli; qui tamèn nolunt, ut Logica pro formali consideret res physicas in particulari, sed tantùm ut eas attingat per summa capita, seu parè, sobrièque delibet.

46 Sed contraria sententia, in omni Scholâ communis, probatur breviter. Logica respicit pro objecto formali artificium Modi sciendi, ut nemo negat: ergo, ut etiam pro objecto formali respiciat physicum esse rerum, debet hoc convenire cum illo artificio in aliquâ ratione communi, quæ Logicæ respondeat ut ratio formalis *sub qua*: talis enim ratio, abstracta a cunctis objectis formalibus inadæquatis, respondet omnibus scientijs, ne sua objecta respiciant tanquam scopas dissolutas, ut inductione constat. At ab artificio Modi sciendi, & à rebus secundùm esse physicum, nulla ratio communis abstrahi potest, nisi ratio generalissima Entis, quæ non res-

pon

pondet Logicæ, sed Metaphysicæ.

46 *Urgetur.* Logica directa (de hac semper loquimur) tota est practica, vel, ut Thomistæ volunt, inlar practicæ: ergo non respicit formalitèr nisi objectum ab Intellectu operabile ut operabile; quale certè non est physicum esse rerum.

47 *Objic.* i. Logica in Tractatu de Prædicamentis directè, & formalitèr agit de rebus penès esse physicum, nempè de Substantiâ, Quantitate, &c. *Confirm.* Logica per se instruit Intellectum, ut de rebus omnibus artificiosè ratiocinetur. Ad hunc autèm finem necessaria est aliqua rerum expositio. Et saltèm, ut regulæ Logicæ intelligantur, scire oportet, quid sit *essentia*, *identitas*, *distinctio*, *totum*, *pars*, &c. Immò aliqua Logicæ præcepta verificantur de rebus physicis, hoc v. g. *Ut divisum plus continet, quàm singula membra dividendia.*

48 *Respond. ad Object.* Logica in illo Tractatu non agit ex proprio instituto de rebus physicis, earum quidditates explicando (hoc enim pertinet ad Metaphysicam); sed solùm eas attingit proptèr conceptus mentis coordinandos, ut scilicèt doceat, quomodò sub aliquo supremo genere possit Intellectus gradatim descendere usque ad individuum per conceptus magis, & minùs

universales; quos proindè solos pro objecto formali respicit Logica. Requiritur quidèm ad eam coordinationem conceptuum aliqua notitia rerum; sed hanc suggerit Methasica, quæ in illo Tractatu potiores partes sibi vendicat.

49 *Ad Confirm.* Logica perse instruit Intellectum medijs regulis ordinandi conceptus, nõ autèm medià ostensione rerum, (alioqui deberet agere particulatim de rebus omnibus); hanc enim vel supponit, vel ab alijs Scientijs emendicat Logica, sicut Grammatica, & Rhetorica. Necessè est, fateor, ut præcepta Logicæ percipiantur, intelligere saltèm quoad *quid nominis*, ut ajunt, quid sit *essentia*, *identitas*, &c. Sed horum notitiam terminorum non tradit Logica, sed supponit ut obviam, & vulgò notam, vel à Dictionarijs petendam, aut etiam ab alijs Facultatibus mutuandam. Sic Architectura non docet, sed aliàs notum supponit, quid sit lapis, quid lignum.

50 Illud autèm super Divisione præceptum eò tendit, ut conceptus dividens assumat totum plus continens, quàm singula, quæ repræsentantur ut membra: quare tale præceptum non respicit formalitèr totum physicum, sed mētalem ejus divisionem; id enim respicit formalitèr, quod fieri præcipit. Nec obstat, quod

quod verificetur de re physica: nam etiam actus Fidei verificatur de pœnis Inferni, quas tamen pro objecto formali non respicit.

51 *Objic. 2.* Logica debet ex instituto considerare causas, & principia sui objecti: omnis enim Scientia debet rem cognoscere per causam: sed res secundum esse physicum sunt veræ causæ conceptuum, quos Logica pro objecto respicit; sunt enim objecta motiva cognitionum; & ut ajunt: *Ab objecto, & potentia paritur notitia: ergo &c.*

52 *Resp.* Cùm dicitur proprium esse Scientiæ cognoscere rem per causam, non est fermo de causis extrinsecis efficientibus, saltem in Scientijs practicis; aliter Ethica, & Medicina ex instituto, tractarent de naturâ Divina, & humana; & Logica per se ageret de animâ, de speciebus impressis, &c. Sermo igitur est de causis, id est, rationibus à priori, per quas Scientia demonstrare debet conclusiones de suo objecto quâ tali. Rationes autem istæ sũnt partim generalia principia per se nota, ut in Logica, *Dici de omni &c.*; partim definitiones Subjecti, & partium ejus, quæ in demonstrando sumuntur ut principia. Has ergo causas artificij mentalis considerat Logica, non verò causas efficientes conceptuum quoad tendentiam, cujus modi sunt objecta motiva.

53 Solet etiam hic *obji-*

*ci*, quod Logica pro fine respicit veritatem, quæ constituitur non solum ex actu, sed etiam ex objecto. Sed hoc jam alibi solvimus. Veritas non est finis intrinsecus Logicæ, nisi prout reduplicans actum artificiosum: si enim sumatur ex parte objecti, solum est finis Logicæ extrinsecus, eo sensu, quo delectatio aurium dicitur finis Musicæ. Ex dictis inferes, quod Logica, si quando attingit res physicas, eas attingit ut objectum pure materiale. non propter se actum.

#### CAP. IV.

UTRUM OBJECTUM FORMALE Logicæ sit Ens rationis?

54 **C**Ontroversia hæc, Scholarum contentione celebris, nequit in compendium redigi, nisi multis, quæ scire necesse est, prætermittis. Quare hic omninò consultam velim Logicam fusio rem.

EXPLICATIS TERMINIS, Authorum sententiæ referuntur.

55 **A**ctus Intellectus vocari solet *intentio rationis*. Et cognitio quidem directa, representans objectum secundum esse physicum, vocatur *prima intentio formalis*; ejus autem objectum dicitur *prima intentio objectiva*: nomina quoque tale objectum significantia, dicuntur *nomina primæ intentionis*, cujusmodi sunt *animal, homo,*

*lapis*, &c. At cognitio reflexa, repræsentans objectum ut præcognitum, & secundum esse derivatum à primâ cognitione, vocatur *secunda intentio formalis*; ejus autem objectum, *secunda intentio objectiva*; & nomina ipsi respondentia, ut sunt *universale, genus, species, subjectum, prædicatum, definitum*, &c. vocantur *nomina secundæ intentionis*.

56 Secunda intentio objectiva, prout est denominatio in concreto, duo involvit, subjectum, & formam: pro subjecto, seu pro materiali involvit rem, quæ primo cognoscitur, v. g. naturam physicam animalis, quæ terminat conceptum *animal*: pro formâ, seu pro formali dicit secundam intentionem objectivam in abstracto sumptam, qualis significatur his nominibus *universalitas, generetas*.

57 Forma ista juxta nostros Authores, nihil est aliud, quam prima intentio formalis, nempe directa cognitio *animal*, quæ per se ipsam formaliter præstat objecto denominationem *universalis*, aut *generis*. Quare secunda intentio objectiva in concreto est denominatio extrinseca, cujus materia est objectum physicum, & cujus forma est cognitio directa, quæ in ordine ad suum objectum est prima intentio formalis, sed in ordine ad

cognitionem reflexam est secunda intentio objectiva in abstracto, seu forma secundæ intentionis objectivæ in concreto.

58 Thomistæ longè aliter sentiunt. Quos ut intelligas, observa, Ens aliud esse reale, aliud rationis. Reale dicitur, quod verè, & realitèr existit, aut existere potest. Rationis dicitur, quod ab Intellectu accipit esse, nec alibi existere potest. Hoc trifariam accipitur. 1. pro ente, quod a Ratione verè efficitur, & in eâ, velut in subjecto recipitur: hujusmodi sunt omnes actus intellectus, qui proinde vocantur *Entia rationis effectiva, & subjectiva*. 2. pro denominationibus abstractu rationis in objectum derivatis, ut esse *cognitum, judicatum, &c.* quæ dicuntur *Entia rationis denominativa*.

59 3. pro ente purè objectivo, seu ficto. Hoc definitur communitèr, *Quod habet esse objectivè tantum in Intellectu*, id est, quod nullum habet esse reale, nec possibile, nec existens, positivum, aut negativum; sed est merum figmentum, quod sibi Intellectus objicit quasi ens. De hoc ente rationis procedit controversia præsens: nam ens rationis in primâ, & secundâ acceptione, verè est ens reale, & à ratione factum, non fictum; quamvis contraponi soleat enti reali sumpto pro ente naturæ, quod extra animam existit.

Por

60 Porro hoc entis spectrum, dum sine fundamento fingitur, vocatur *Ens rationis ratiocinantis*, quale exprimitur his conceptibus, *Hircocervus*, *Chimera*, *Equus rationalis*: vocatur autem *Ens rationis ratiocinatae*, quando fingitur cum aliquo fundamento, vel occasione à rebus præbitâ, ut si animal in homine concipiatur intrinsecè distinctum à rationali, occasione desumptâ ex diversitate operationum sentiendi, & discurrendi.

61 Thomistæ igitur pro objecto Logicæ formalis adæquato statuunt ens rationis purè objectivum, non quidem omne quâ latè patet, sed illud tantummodo, quod in materia Logicæ juxta regulas ejus confingitur velut forma quædam artificialis. Quam formam alij collocant in ipsis actibus Intellectûs, ut eos denominet formalitèr artificiosos.

62 Alij verò formam illam fictitiam in solo objecto collocant, tanquam in materiâ denominabili: actum verò Intellectûs non esse materiam denominabilem ab artificio logico, sed materiam purè dirigibilem instar actionum artificis, quibus inducitur artificio in materiam externam, domus v. g. Ita communitèr Recentiores Thomistæ: apud quos forma constituens concreta ista, *genus*, *definitum*, *prædicatum*, *antecedens*, *consequens*, &c. adæquatè distinguitur à cognitio-

ne, & est forma quædam in objectis ficta, quam ipsi vocant secundam intentionem logicalem in abstracto.

63 Ex adverso Anthores nostri cum Eximio Doctore Disput. ult. Metaph. initio, docent, à Logicâ pro formali respici solùm artificium reale: & licet forsitan ex imperfectione Intellectûs humani misceantur ficta entia rationis in logicis artefactis, has entis umbras contemni prorsus à Logicâ, nihil curante, nisi quod realitatis est in artefactis suis. Ejusdem sententiæ sunt exteri complures, etiam ex Scotistis, quamvis alij Thomistis assentiantur.

*ARTIFICIUM A LOGICA  
intentum in actibus Intellectûs,  
non consistit in ente rationis ficto.*

64 **H**Æc est prima nostra conclusio, contra Thomistas illos, qui suum ens rationis collocant in actibus Intellectûs, ut in materiâ denominabili. Sed quia opinio ista displicet jam modernis, brevissimè probatur conclusio. Seclusâ omni fictione, cognitio hæc, *animal rationale*, continet quidquid artificij requirit Logicâ in definitione mentali: est enim oratio explicans essentiam rei, servatque regulas omnes benè definiendi, quantum potest mentalis definitio, ut patebit examinanti. Non ergò, indiget ente rationis, ut sit logicè artificiosa. *Ad*



65 Adde, quod ens ratio- nis in primis non fingitur à cognitione directâ in semetips.; cum hæc non reflectatur in se se. Nec deindè fingitur ( ut Adversarij velle videntur ) à cognitione reflexâ, directam comparante cum regulis Logicæ: nam comparatio ista non magis fingit, quam quæ confert artefactum externum, v. g. domum, cum regulis Artis. Nec certè necesse est fingere, ut cognoscatur esse conforme regulis hoc, vel illud opus.

66 Dices: nequit cognosci definitio ut regulis conformis, nisi concipiatur cum relatione ad regulas, quæ relatio non est realis, sed rationis. Sed in primis relatio conformitatis cum regulis non est ficta, ut patet in statuâ, vel domo rectè constructâ. Deindè, licet fictitia esset, in illa non consisteret artificium definitionis: nam cognitio conferens cum regulis opus præexistens, non facit, sed invenit rectitudinem ejus, in quâ rectitudine consistit artificium, ut iterum patet exemplo domus.

SECUNDÆ INTENTINES OBJECTIVÆ non consistunt formalitèr in ente rationis ficto.

67 ALtera hæc est conclusio nostra, contra modernos Thomistas. Probat. Denominatio *cogniti* non consistit in ente rationis ficto: ergo nec denominatio *generis*, *definiti*, *enuntiati*, & similes, quæ

sunt secundæ intentiones objectivæ. *Antecedens* negant anteriores Thomistæ: apud quos omnis denominatio extrinseca ( ita vocatur, quæ sumitur à forma non inhærente subjecto denominato, sed alibi existente ) consistit in ente rationis ficto, quod sit vel forma denominans, vel saltèm unio, & applicatio extrinsecæ formæ ad subjectum denominabile, v. g. visionis ad colorem.

68 Verùm hæc opinio deferta jam est à Thomistis modernis, & merito. Quia, sicut denominatio *cognoscentis*, aut *videntis*, non consistit formalitèr in ente rationis, ita nec denominatio *cogniti*, aut *visi*: ex terminis enim, & seclusa fictione, denominatio passivæ vocis sequitur denominationem activæ, & ex eâdem forma constituitur; ut cernitur in denominationibus *Creantis* & *creati*, *Vincentis* & *victi*, *Offendentis* & *offensi*.

69 Adde, quòd ab æterno nulla sunt entia rationis, nec in Cælo fiunt: & tamèn ab æterno Angelus est *cognitus*, & *prædestinatus* à Deo: in Cælo quoquè Deus est *visus* à Beatis, ipsique sunt *cogniti*, ac *dilecti* à Deo, utique *formalitèr*, non purè *fundamentalitèr*, aut *vialitèr*; alioqui denominationes istæ non dicerentur verè ac propriè, seclusa fictione.

70 Dices: quomodò cognitio denominabit formalitèr ob-

jectum, cui non unitur? *Resp.* Non unitur per contactum, aut inhæssionem: benè tamèn per terminationem, seu tendentiam respicientem illud objectum ut terminum; quæ tendentia est ultima determinatio, ut cognitio sit potius talis objecti, quàm alterius; ideòque vocatur *unio intentionalis*. Non alia necessaria est ad hoc genus denominationum: nec unio ficta redderet objectum verè cognitum, sed fictè cognitum.

71 *Probatur ergo contra modernos Thomistas Consequen-  
ria* n. 67.. Quia denominationes generis; definiti, enuntiati, solum differunt à denominatione cogniti secundum specialem cognitionis differentiam, seu peculiarem tendendi modum, videlicet præcisivum, definitivum; enuntiativum. Sanè, Intellectus ab actu reali denominatur, non solum *cognoscens*, sed etiam formalitèr *definiens*, & *enuntians*: ergo ab eodem actu denominabitur objectum formalitèr *definitum*, & *enuntiatum*, sicut denominatur *cognitum*: hic enim paritèr urget connexio denominationum activæ, & passivæ vocis.

72 Distinguunt Thomistæ in actionibus animæ duplex genus. Aliæ, inquit, sunt purè speculativæ, quæ nihil in objecto ponunt, ut amor, visio, & cognitio absoluta: & hæ formalitèr denominant tam objectum,

quàm potentiam, sine interven-  
tu entis rationis. Aliæ verò sunt quasi practicæ, & effectivæ, quæ artificium aliquod in objecto causant, ut omnis cognitio artificiosa: per hanc enim format Logica in objectis artificium generis, definitionis, enuntiationis, syllogismi, non reale, sed fictum; sicut ars fabrilis per actiones manuum artificium reale domûs in externâ materiâ.

73 In his autèm (subdunt) non eadem est forma denominationis activæ, & passivæ. Nam à cognitione reali denominatur quidem Intellectus *formalitèr definiens*, at objectum duntaxat redditur *definitum vitalitèr*, & *in fieri*, quia à solo ente rationis ex cognitione resultante redditur *definitum formalitèr*, & sit de alijs denominationibus logicis.

74 Immò in ipsa cognitione artificiosa distinguunt præsentationes duas: aliam primariam, & signatam, quæ terminatur ad objectum realem, illudque denominat formalitèr *cognitum*: aliam secundariam, & exercitam, quæ format ens rationis, ad illudque terminatur: quas usque adeò distinguunt, ut sola secunda sit actio dirigibilis à Logica; prima verò sit finis Logicæ mediatus, & remotus.

75 Hæc est tota doctrina recentium Thomistarum: qui addunt, nomina artefactorum Logicæ, ut *Definitio*, *Enuntiatio*,

*Syllogismus*, &c., verè & propriè convenire objectis prout ente rationis decoratis: actibus autèm Intellectus non nisi *impropriè*, *representativè*, *causalitèr*, aut *vialitèr*.

76 Sed contra hanc doctrinam probatio nostra *promovetur* 1. Intellectus à cognitione reali denominatur formalitèr *definiens*, & *enuntians*, ut conceditis: ergo ab eadem denominatur objectum formalitèr *definitum*, & *enuntiatum*. Patet *Consequ.*: quia connexio denominationis activæ cum passiva locum habet etiam in actionibus practiceis. Sic enim per vos eadem cognitio practica, quæ reddit Intellectum *figentem*, reddit & ens rationis formalitèr *factum*. In quavis Arte ab eadem formâ proveniunt denominationes *dirigentis*, & *directi*. Et in physicis eadem actio denominat causam *producentem*, & effectum *productum*: sicut etiam (ut retorqueatur exemplum, quo armantur Thomistæ eadem est forma *calefacientis* & *calefacti*, necnon *ædificantis* & *ædificati*. Alia quidè est forma *calidi*, & *ædificij*. Verùm istæ non sunt denominationes passivæ vocis comparatione *calefacientis*, & *ædificantis*, ut Grammatici norunt.

77 *Promovetur* 2. Cognitio ista, *Homo est animal*, non fingit in objecto relationem, ac distinctionem intrinsecam inter

hominem, & animal: ergo nihil fingit; adeoque se ipsa formalitèr constituit *subjectum*, *prædicatum*; ergo id ipsum de cæteris actibus artificiosis tenendum. *Antecedens* negat Thomistæ, putantes, Intellectui, quoties affirmat, necessariò objici *subjectum* & *prædicatum*, ut unum & aliud, sive ut duo ex rema intrinsecè & ex parte objecti distincta.

78 *Prob. ergo Antec.*: actus ille concipit ex parte objecti identitatem animalis & hominis; illam enim affirmat expressè: ergo non concipit ex parte objecti distinctionem intrinsecam animalis & hominis. *Prob. Consequ.*: quia aliàs conciperet ex parte objecti insignem chymeram, qualis est simultanea identitas & distinctio intrinseca, seu distinctio & indistinctio intrinseca.

79 Nec prodest trica doctrina Thomistarum, quòd scilicet ille actus directè, signatè, & speculativè solùm concipit realia hominis prædicata, & eorum identitatem; ens verò rationis concipit exercitè, practicè, & indirectè. Nam ille actus cognoscit utique, tametsi practicè, distinctionem intrinsecam; alioqui non faceret ens rationis, quod certè non fit, nisi dum actu cognoscitur: ergo simul eodem actu concipitur distinctio, & indistinctio intrinseca animalis & hominis. At hoc semper est objectum chyme-

mericum, non minus, quam si eadem cognitio Angelum concipiat speculativè spiritualem, & simul practicè corporeum, vel hominem signatè rationalem, & exercitè irrationalem.

80 *Urgetur*: actus ille, si fingit quod Thomistæ volunt, necessariò est falsus. Probatur sequela ex D. Thoma 1. p. q. 85. art. 1. ad 1. ibi: *Cum dicitur, quòd Intellectus est falsus, qui intelligit rem aliter, quam sit, verum est, si ly aliter referatur ad rem intellectam: tunc enim Intellectus est falsus, cum intelligit, rem esse aliter, quam sit.* Sed actus, fingens hominem ab animali distinctum, rem intelligit aliter quàm sit; ita ut *ly aliter* referatur ad rem intellectam, siquidem ea distinctio, & omne ens rationis logicum, se tenet ex parte objecti, & rei intellectæ, ut Thomistæ contendunt: ergo talis actus necessariò falsus evadit.

81 *Dices* cum Collegio S. Thomæ Complut., actum illum non esse falsum, quia, licèt concipiat rem aliter quàm sit, fingendo ens rationis, non illud fingit *judicativè*, & *assertivè*, sed *purè apprehensivè*. Verùm evasio ista efficacitè impugnatur. 1.: quia talis actus, juxta doctrinam istam, reddet hunc sensum, *Homo intrinsecè distinctus ab animali, est animal intrinsecè distinctum ab homine*; ubi manifesta est falsitas, & implicantia. 2.: siquis

affirmet animal de homine, quem apprehendit lapidem, falso judicabit; ut etiam, si Deum, quem apprehendit finitum, affirmet esse infinitum; quia reale prædicatum affirmat de Deo, vel homine chymérico: at homo etiam apprehenditur chymericus, dum apprehenditur intrinsecè distinctus ab animali.

82 3.: mentalis enuntiatio, si cognoscit ens rationis, debet illud cognoscere judicative. *Probatur*: enuntiatio cognoscit ens rationis, quatenus est formalitè judicium, & secunda mentis operatio; siquidem illud cognoscit, quatenus format subiectum & prædicatum, ea distinguendo, & referendo, seu quatenus *dicit unum de alio*; quo sensu judicium est formalissimè. Sed quatenus judicium est, judicativè tēdit, ut est evidens: ergo &c.

**ENS RATIONIS PURE OBJECTIVUM absolute reiiciendum est ab objecto Logicæ formali.**

83 **TERTIA** ista sententiæ nostræ conclusio *probatur* 1. *Logica inventa est, ut Intellectus in ipso actu rationis ordinatè, & sine errore procedat, ut ait D. Thomas 1. Poster. lect. 1.*: ergo Logica non intendit formalitè, ut Intellectus fingat entia rationis. *Prob. consequ.*: quia fingere non est ordinatè & sine errore procedere in ipso actu rationis, sed est potius inordinatè

concipere, falli, & errare, maximè dum objectum concipitur aliter, quàm est, alietate se tenente ex parte rei intellectæ, ut nos docuit D. Thomas supra n. 80.

84 *Dices*: fingere cum fundamento, non est errare. *Contra* 1.: fingere cum fundamento, est intelligere rem aliter, quàm ea res est, alietate se tenente ex parte objecti, ut concedis: ergo est falli, & errare, nisi nos fallit D. Thomas.

85 *Contra* 2.: fundamentum, aut occasio fingendi non tollit errorem. Sic juxta Thomistas, judicativè cognoscere rem aliter, quàm est, licèt cum magno fundamento, vel occasione, verè est decipi, & errare. Sic etiam verè errat, qui Romam pergens, rectam viam deserit ex testimonio viri gravis. Sic item, qui peccat vehèmenter tentatus, verè peccat.

86 *Urgetur*: Logica formalitèr intendit instrumenta sciendi, & assequendi veritatem; sed figmenta, quibus res concipitur aliter, quàm est, nequeunt esse instrumenta scientiæ, aut veritatis; nam, ut ait D. Thomas I. p. q. 85. art. 7. ad 2., *Veritas Intellectus in hoc consistit quod intelligatur res esse sicuti est*: ergo &c. Sic tenebræ nequeunt esse instrumenta lucis, nec vitia virtutis, nec morbi sanitatis.

87 *Dicunt*, figmenta ex

imperfectione mentis humanæ utilia esse, & necessaria ad rectè cognoscendam; quemadmodum vitrea conspicienda, quæ litteras, & alia objecta repræsentant grandiora, quàm sint in se, visum debilem juvant ad melius videndum.

88 *Contra*: vitrea spicilia, quæ repræsentant ut duplex quod est unum, vel ut unum, quod est duplex, vel artificium domûs ubi non est, proculdubiò sunt instrumenta errandi, non melius videndi: sed talia sunt vestra entia rationis, dum scilicèt in formando Genere proponant ut intrinsecè unum quod in se est multiplex; in Enuntiatione subjectum & prædicatum ut intrinsecè duo, cum in re sint unum; & in alijs objectis artificium definitionis, syllogismi, &c., quod re ipsa non est: non ergo sunt instrumenta rectè cognoscendi, sed fallendi, & errandi.

89 *Prob.* 2. Artificium Demonstrationis non est ens rationis: ergo nec artificium aliorum Logicæ artefactorum. *Prob. Antec.*: artificium demonstrationis causat scientiam, ut cum Aristotele docent omnes; sed ens rationis non causat scientiam, alioquin verus & realis effectus penderet à causâ, quæ non est, nec esse potest in rerum naturâ; immò penderet à causâ prosus oppositâ, siquidem objectiva distinctio subjecti & prædicati red-

deret scibilem indistinctionem  
utriusque: ergo &c.

## CAP. V.

*Exarmanantur argumenta  
contraria.*

90 **O** *Bjic.* 1. Ens reale ne-  
quit esse formale  
objectum scientiæ, nisi sub ali-  
qua abstractione à materia: at  
prout abstrahit à materia singu-  
lari, est objectum Physicæ; pro-  
ut abstrahit à materia sensibili,  
Mathematicæ; prout abstrahit à  
materia intelligibili, Metaphy-  
sicæ; nec aliud superest genus ab-  
stractionis: cum ergo Logica sit  
Scientia à tribus hisce distincta,  
objectum ejus non est ens reale,  
sed ens rationis, quod à Logi-  
ca respicitur sub abstractione ab  
omni materia *negativè*, id est,  
titulo imperfectionis.

91 *Resp.* Hoc argumen-  
tum probat nimis, atque adeò  
nihil: probat enim non dari circa  
ens reale plus quàm tres illas  
species Scientiarum; quod esse  
apertè falsum, ostendunt Ethica,  
& Medicina. Præterea, sicut in-  
tra communem abstractionem à  
materia sensibili sunt plures  
Scientiarum species omnino di-  
versæ, v. g. Arithmetica, & Geo-  
metria, quia diversum specificè  
modum servant abstrahendi à  
materia sensibili; cur non idem  
contingat intra communem ab-  
stractionem ab omni materia  
etiam intelligibili? Poterit igitur  
objectum Logicæ reale con-

venire cum objecto Metaphysicæ  
in abstractione ab omni materia,  
simulque differre in speciali mo-  
do, seu titulo abstrahendi, nem-  
pe titulo signi formalis artificio-  
sè manifestantis ignotum.

92 *Dices:* cur ergo Logi-  
ca non appellatur Scientia *realis*,  
sed *rationalis*? *Resp.:* sic appel-  
latur, non solum ex hoc, quòd  
est secundum rationem, quod est  
omnibus artibus commune; sed  
etiam ex hoc, quod est circa ip-  
sum actum rationis sicut circa pro-  
priam materiam: ut totidem ver-  
bis inquit D. Thomas in 1. *Pos-  
ter. lect.* 1. Passim res contrapo-  
nuntur *conceptibus*, & *vocibus*;  
licet hæc quoque sint entia rea-  
lia. Idcirco Grammatica, & Rhe-  
torica dicuntur artes *sermocina-  
les*, Logica *rationalis*, aliæ verò  
Scientiæ *reales*, inclusà etiam  
Animasticà, quæ non agit de con-  
ceptibus, nisi sub ratione vitali-  
tatis alijs rebus communi.

93 *Objic.* 2. Objectum for-  
male Logicæ est forma consti-  
tuta artefacti logicalis, videlicet  
*generis*, *definitionis*, *enunciatio-  
nis*, *sylogismi*, &c. Sed forma  
ista non est quid reale: ergo est  
ens rationis. *Prob. Min.* multi-  
fariam. 1. in forma *generis*: per  
eam quippè natura redditur una,  
universalis, & superior ad infe-  
riora; cum tamèn à parte rei  
nulla sit vera unitas, universali-  
tas, aut superioritas, v. g. in  
natura animalis ut sic.

*Prob.*

94 *Prob. 1.* in forma definitionis : nam artificiosa forma definitionis , hujus v. g. *animal rationale*, est compositio partium, videlicet animalis cum rationali: hæc autem cōpositio nequit esse realis : quia talis est, qualis distinctio partium , & inter animal hominis & rationale nulla est distinctio realis.

95 *Prob. 3.* in forma enuntiationis , hujus v. g. *Homo est rationalis* : per hanc enim subjectum, & prædicatum distinguuntur, & referuntur invicem : at nec distinctio, nec relatio potest esse realis inter extrema indistincta realiter. *Prob. 4.* in forma syllogismi , quæ tota consistit in respectibus extremorum *majoris* & *minoris* adinvicem & ad *medium* : nam respectus isti non sunt relationes reales : tum quia sæpè versantur inter extrema non distincta realiter : tum quia nec sunt relationes transcendentales, nec prædicamentales.

96 *Ad Object.* ; quæ præcipuè nituntur Thomistæ Recentiores, *neg. Min. Ad 1. prob.* : unitas, universalitas, & superioritas generis, & cujuslibet *universalis*, est ipsa cognitio realis præcisiva, quæ, dum repræsentat naturam animalis v. g., non exprimendo pluralitatem specierum, denominat illam intentionaliter unam, id est, non multiplicem in intellectu ; & quia natura illa, sic præcisivè cognita,

manet indiferens & apta, ut prædicetur de multis, nempe de homine, equo, leone, &c. ( quæ aptitudo ad multa, vocatur in sensu logico universalitas, prædicabilitas, & superioritas ) idcirco per eandem cognitionem realem constituitur universalis, & superior.

97 Ubi notandum, quòd directa cognitio, *animal*, non repræsentat naturam animalis ut unam, nec ut universalem, aut superiorem; solum quippè repræsentat meram vim sentiendi, præcindendo ab eo quòd realiter sit una, vel multiplex ; illam tamen sic præcisivè repræsentando, exercitè constituit, ac formalitèr denominat *unam, universalem, &c.* Genus ergo secundum omnia sui constitutiva non cognoscitur nisi per conceptum reflexum, qualis est iste, *genus*, ut expressè docet D. Thomas q. 7. de Pot. art. 6. c. : conceptus verò directus non cognoscit genus, sed est forma generis, & secunda intentio objectiva.

98 *Ad 2. prob.* : artificiosa forma definitionis est explicatio essentiae rei, repræsentando id, in quo res convenit, & id, in quo differt ab omni non ipsa. Compositio autem, quam importat, considerata ex parte actus, est conjunctio realis duarum apprehensionum : considerata verò ex parte objecti, nulla est nisi per denominationem extrinsecam à duo-

duobus conceptibus, quibus constat apprehensio complexa v. g. *animal rationale*, qui duo conceptus & prædicata hominis denominant distincta per rationem, & conjunctione sua denominant essentiam hominis quasi compositam ex partibus. Unde nulla hic intervenit compositio ficta, nec ficta distinctio.

99 Observa, quod formalis definitio non cognoscit in objecto suo genus & differentiam ut talia, sed ipsamet formaliter constituit, ac denominat prædicata essentialia hominis, alterum *genus*, alterum *differentiam*. Sola ergo objectiva definitio, prout est secunda intentio objectiva, constat genere, & differentia jam constitutis; quo sensu involvit cognitionem directam, & non cognoscitur nisi per conceptum reflexum, ut nuper in simili diximus.

100 *Replic.*: forma artefacti logicalis attingitur a Logica *signate*, & *ut quod*; sed cognitio definitiva hominis v. g., non attingit se ipsam *signate*, & *ut quod*: ergo forma illa non consistit in tali cognitione, sed est objectum ejus. Mera æquivocatio hæc est. *Concess.* præmissis, *neg. consequ.*: nam Logica attingit eam formam per suos actus, qui sunt regulæ definiendi, syllogizandi, &c.; non verò per cognitiones definientes alia objecta, v. g. hominem: hæc quippe non

sunt regulæ, sed objecta regularum.

101 *Dices*: omnis cognitio definitiva est actus logicalis. *Disting.*: logicalis objectivè. *conc.*; subjectivè, *neg.* Cognitio definitiva hominis, aut arboris, subjectivè est actus Physicæ, à cujus habitu physicè producitur, & cujus objectum respicit: est autem actus Logicæ purè objectivè, quatenus est objectum regularum ejus.

102 Ad 3. *prob.* num. 95.: forma *enuntiationis* consistit etiam in cognitione judicativâ: quæ, dum est affirmatio directâ, ut illa, *Homo est rationalis*, non repræsentat subjectum & prædicatum in esse talium, nec ea distinguit aut refert signatè, sed tantum exercitè: id est, non significat eorum distinctionem, aut relationem, cum potius significet expressè identitatem; sed tamen per distinctas expressiones, *homo*, *rationalis*, quibus constat, extrinsecè distinguit, seu distincta denominat objecta ipsarum, & attribuendo significatum unius significato alterius per copulam *est*, alterum denominat *subjectum*, & alterum *prædicatum*, & utrumque invicem copulatum, ac relatum instar capitæ & corporis in statuâ.

103 Tota hæc distinctio, copulatio; relatio, denominatio *subjecti* & *prædicati*, non nisi reflexâ cognitione cognoscitur:



directa verò dicitur affirmare unum de alio, non quòd in objecto cognoscat dualitatem, aut alietatem, sed quia illam exercitè facit tanquàm forma denominans.

104 Advertendum tamèn, quòd iudicium negans dicitur signatè *dividens*, & *divisio*, quia significat divisionem, id est, distinctionem ex parte objecti: iudicium verò affirmans dicitur signatè *componens*, & *compositio*, quia significat in objecto compositionem, non quidèm sumptam pro conjunctione partium, sed impropriè sumptam pro identitate, quæ sola contraponitur divisioni significatæ à iudicio negante: ut enim ait D. Thomas 1. p. q. 85. art. 5. *Compositio Intellectus est signum identitatis eorum, quæ componuntur.*

105 Verùm hoc non tollit, quòd ex parte actus in otroque iudicio affirmante, & negante, sit compositio propriè talis ex distinctis conceptibus: de qua loquitur D. Thomas 1. contra Gent. cap. 58., cùm ait: *Propositionis per Intellectum componentem, & dividendem formata compositio, in ipso Intellectu existit, non in re, quæ extra animam est.* Ab hac autèm compositione denominatur objectum extrinsecè compositum.

106 Quòdli iudicium sit simplex qualitas, sive actus realitèr indivisibilis, ut multi vo-

lunt, non distinguit, nec refert, aut componit subjectum, & prædicatum, nisi æquivalètèr, & præsuppositivè; quatenus æquivalèt expressiõibus realitèr distinctis, & quatenus præsupponit apprehensiones duas exercitè distinguentes in objecto extrema duo, quæ per iudicium denominantur, *subjectum, & prædicatum.*

107 Ad 4. prob. num. 95. quòd forma *sylogismi* sit realis, constat ex Summul. Disp. 6. cap. 3. Respektus autèm Extremorum adinvicem, & ad medium, non cognoscuntur per mentalem sylogismum directum, sed per ejus copulas exercitè fiunt, tùm in terminis formalibus, tùm in objectivis prout extrinsecè denominatis: cognoscuntur tamèn per conceptum reflexum, & quidèm tanquàm relationes reales, realitate scilicet intentionali.

108 Porrò, ex objecti logici relationibus aliæ sunt quasi transcendentales, ut relatio generis ad inferiora, consistens in aptitudine ad prædicationem de multis, & relatio præmissarum, seu principiorum ad conclusiones, consistens in virtute inferendi: aliæ verò sunt quasi prædicamentales, ut relatio subjecti ad prædicatum, & relatio medij sylogistici ad extrema, quando jam sunt partes actuales artefacti logici; tunc enim inter se referuntur, sicut in statuà caput, pectus, manus, &c. & relationes

istæ reduci possunt ad primum genus relationum ex designatis ab Aristotele.

109 Doctrinam hucusquæ datam à num. 96. si benè notes, multa, quæ Thomistæ replicant, facilè solves. Sed alias insuper objectiones breviter solutas accipe. 1.: cujusvis artis artificium est intrinsecum materiæ, circa quam versatur: ergo & artificium Logicæ erit intrinsecum objectis. 2.: denominatio extrinseca non est quid artificiosum, cum resultat naturalitèr ex cognitione: ergo in tali denominatione non consistit artefactum logicum.

110 3.: hic actus *Animal est genus*, non prædicat aliquid reale: quia nec prædicatum est essentielle subjecto, ut constat; nec est accidentale, cum non conveniat inferioribus; accidentia enim prius dicuntur de singularibus, quam de naturâ communi. 4.: idèò Deus non judicat modo nostro compositivo, ac distinctivo, quia concipit objecta ut sunt in se: nostra ergo judicia concipiunt res alièr, ac in se sunt.

111 *Resp. ad 1.* Artificium logicum est intrinsecum materiæ ex quâ, nempe ipsis actibus rationis: nec debet esse intrinsecum materiæ circa quam, nempe objectis. Sic artificium picturæ intrinsecum est coloribus, non objectis repræsentatis. *Ad 2.* Ens rationis juxta Adversarios etiam

naturalitèr, & necessariò resultat ex cognitione enuntiativâ v. g. quomodò ergo est artificiosum? Si dicant, resultare quidèr ex cognitione, sed artificiali: hoc sibi dictum putent.

112 *Ad 3.* Accidentia physica debèt prius convenire singularibus, quam naturæ communi, secus autèr accidentia intentionalia, ut patet in denominatione *cogniti*, aut *amati*, dum cognoscitur, aut amatur bonum ut sic, præsertim si detur præcisio objectiva Thomistis gratissima. *Ad 4. neg. causalem antèr:* vera quippè ratio, cur Deus non judicat objecti modo nostro, est, quia modus noster mille modis imperfectus est ex parte actus.

113 Deniquè scito, D. Thomam fidentèr à Thomistis allegari pro ente rationis; quia S. Doctor in 4. *Metaph.*, lect. 4. sic loquitur: *Ens est duplex, ens scilicet rationis, & ens naturæ. Ens autèr rationis dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio advenit in rebus considerationis, sicut intentio generis, speciei, & similibus, quæ quidèr non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et hujusmodi scilicet Ens rationis est propriè Subjectum Logicæ.*

114 Sed *respond.*, loqui D. Thomam de ente rationis, non purè objectivo, sed subjectivo, ac denominativo. Non enim di-

vidit Ens abstractum à reali, & ficto, sed ens reale ut sic in duo membra: alterum, quod à Rationis actu non pendet, & hoc vocat *ens naturæ*, & alibi passim *ens extra animam*: alterum, quod est opus Rationis, & realiter a Ratione fit secundum respectum ad objecta, atque hoc vocat *ens rationis*, negatque inveniri in rerum naturà, id est, in rebus extra animam.

115 Hoc genus entis, juxta D. Thomam, propriè dicitur de intentionibus *generis, speciei, &c.* hasque Ratio per cognitionem reflexam *adinvenit*, id est invenit, seu deprehendit in rebus, non specificativè sumptis, sed *consideratis*, id est, ut jam cognitis per cognitionem directam: *adinvenit*, inquam, non fictas, sed factas, seu constitutas actu directo; sicut reflexè considerans statuum recens factam, *adinvenit* caput, pectus, brachia, &c.

116 Intentiones istæ *consequuntur considerationem rationis*, non consecutione physicà, sed logicà. Nam sumptæ in concreto, sunt denominationes extrinsecæ, & formales effectus cognitionis directæ: formalis autem effectus dicitur logicè consequi, seu resultare ex formâ citra fictionem, ut jam Thomistæ fatentur in denominationibus *visi, cogniti, dilecti*, quæ consequuntur visionem, cognitionem, dilectionem.

117 Veritas hujus interpretationis constat ex multis alijs D. Thomæ locis, quos dedimus in Logic. fusior; nominatim ex q. 7. de Pot. art. 6. c., ubi aperitissimè docet Angelicus Doctor, conceptum istum *genus*, esse reflexum, & ipsi respondere pro objecto, non rem nudam, quæ est extra animam, sed ens rationis denominativum, videlicet rem prout jam *intellectam*, seu *cognitam*, secundum quod *hujusmodi*: hæc autem denominatio constituitur per cognitionem directam, nec indiget ente rationis ficto, ut Thomistæ fatentur.

## CAP. VI;

AN, ET QUATENUS AD OBJECTUM - Logicæ pertineant secundæ intentiones objectivæ in concreto, & sine fictione constitutæ?

118 **E**Nte rationis ficto valere jussu, loquimur jam de secundis intentionibus objectivis, quatenus sunt extrinsecæ denominationes ex objecto, & cognitione reali constitutæ (vide supra n. 57.), quæ vocantur etiam *res secundum esse intentionale*, & interdum *conceptus objectivi*; cujusmodi sunt concreta ista, *genus, species, definitum, enuntiatum, &c.* Non est dubium, quin Logica de his agat aliquomodo: nec item dubitatur nunc, quin forma talium concretorum, nempe cognitio artificiosa, pertineat ad objectum

formale Logicæ. Solùm ergò quæritur, quo pacto à Logicà respiciatur totum concretum prout includens etiam materiam, seu rem cognitam?

*Affertio prima.*

119 **L**ogica non respicit pro objecto formali secundas intentiones objectivas in concreto. Ita communis sententia contra nonnullos è Nostris, qui dissentire videntur, si de formali objecto partiali sit sermo. Prob. Materia, vel subjectum hujus concreti genus (idem puta de cæteris), v. g. natura animalis, à Logicà non respicitur propter se, ac ratione sui, sed solùm ratione formæ à tali subjecto realitèr distinctæ, scilicet cognitionis artificiosæ: ergo concretum illud, prout includens etiam materiam, non respicitur à Logicà pro formali objecto, ne partiali quidem.

120 Probat. Anteced.: natura animalis, ut à cognitione distinguitur, nullam habet motivum, cur attingatur a Logicà ratione sui. Nam, si quod haberet, illud esset capacitas intrinseca, ut artificiosè cognoscatur. At capacitas ista non respicitur à Logicà ratione sui: tum quia, cum reperiatur in omnibus, & singulis formalitatibus rerum omnium, sequeretur, Logicam de omnibus, & singulis agere debere, & esse omniſciam: tum quia talis capacitas est prædicatum transcendens, necessarium,

non factibile, nec dirigibile, nec ullatenus pendens à regulis artis; quæ omnia sunt attributa repugnantia formali objecto Logicæ, utpotè juxta Adversarios verè practicæ, vel practicæ similis in modo procedendi.

121 Logica ergo respicit quidem utramque partem concreti, at non ex æquo, sed unam propter aliam. Hùc facit exemplum denominationum, quibus homo v. g. dicitur *graphicè pictus*, *congruè significatus*, *ornatè dictus*, *metricè expressus*; quarum materia denominata non respicitur formalitèr à Pictoriâ, Grammaticâ, Rhetoricâ, Poeticâ.

122 *Objic. I.*: plures actus Logicæ verificantur de materiâ concreti secundò intentionalis, eamque solam in recto significant: isti v. g. *Genus est prædicabile de multis*, *extrema syllogismi debent identificari cum Medio*. Actus igitur isti pro formali respiciunt materiam concreti. *Neg. Conseq.*: non enim quòd in recto verificat actum, est objectum ejus formale, si attingatur ob rationem formalem ab ipso distinctam; ut patet in assensu fidei divinæ, vel humanæ, quo credimus rem aliàs ignotam.

123 Adde, quòd, si actus illi explicentur ad intentionem Logicæ, hunc reddunt sensum: *Cognitio constitutiva generis debet esse talis, quæ naturam reddat prædicabilem de multis*; *Extrema,*

ma, & Medium in syllogismo significare debent identitatem objectorum. Sic autem explicati, verificantur de cognitione in recto. Profectò actus illi, quatenus verè logici, sunt præceptivi, ac directivi: ergo intendant positionem illius objecti, quod præcipuè respiciunt, seu de quo verificantur in sensu logico. At identitas objectiva extremorum cum medio, nequit ex artis directione poni, nec nisi stultè præciperetur à Logicâ.

124 *Objic. 2.*: concretum *genus*, propriè spectat ad Logicam: ergo debet ab eâ respici formalitèr quoad utramque partem: quemadmodùm corpus naturale, quia spectat ad Physicam, ab eâ respicitur formalitèr, non solùm quoad formam, sed etiam quoad materiam. *Neg. Conseq.* quia, ut illud concretum propriè spectet ad Logicam, sufficit quod altera pars formalitèr, altera materialitèr per actus logicos attingatur; sic enim concreta hæc ornate dictum, congruè significatum, spectant ad Rhetoricam, & Grammaticam.

125 Quod de Physica dicitur, non ideò verum est, quia ad ipsam utcumque pertinet naturale compositum, sed quia materia quoque rationem participat *entis mobilis*, quæ censetur ratio formalis, sub quâ Physica tendit. At concretum *genus* pars materialis, ut à formali condistincta,

non participat rationem formalem objecti logici.

126 Observa, quòd Logica, licèt consideret discrimen syllogismi probabilis ab evidente, non ideò pro formali respicit res physicas: quia discrimen illud consistit intrinsecè in conceptibus; nam evidentia, & probabilitas est proprietas cognitionis, ut claritas, & obscuritas. Quamvis autèm extrinsecè, & objectivè pendeat a rebus ipsis, has non considerat Logica de formali, sed aliundè oblata præsupponit: quemadmodum non considerat pro objecto formali Intellectum, aut speciem impressam, à quibus effectivè pendet probabilitas, aut evidentia.

127 Sed, quamvis in concretis secundæ intentionis (quæ omnia brevitatè causâ deinceps complectemur sub nomine *rectè cognitum*) objectum Logicæ formale sola sit forma denominans, nempe cognitio artificiosa, materiale verò res denominata; dubitatur adhuc, utrùm cognitio formalitèr intendatur à Logicâ, prout recta est in semetipsâ? an potius quatenus derivat in objectum denominationem *rectè cogniti*, ita ut *rectè cognitum*, prout est concretum ex subjecto, & formâ constitutum, sit illud artefactum, quod ars Logica per se intendit; quemadmodùm statua, vel domus, prout est opus ex materiâ, & formâ constitu-

tum,

tum, est artefactum per se intentum ab Statuaria, vel Architectura?

128 Hoc posterius subtiliter defendunt aliqui è Nostriſ: & idem ſentiunt Thomiſtæ Recētioreſ; qui ſolum in eo diſcrepant, quòd formam illius artefacti volunt eſſe fiſtam, cum Noſtri velint eſſe cognitionem realem. Utriquè tamen rem extra animam, quæ eſt objectum rectæ cognitioniſ, dicunt eſſe materiam proximam, & immediatam artefacti logicaliſ, & à Logica per ſe attactam, ſicut marmor ab Statuaria. Nihilominùſ cum communi ſenſu Scholæ noſtræ ſit.

*Aſſertio altera.*

129 **A** Rtefactum per ſe primò intentum à Logica, non eſt concretum hoc rectè cognitum, ſed potùſ hoc, cognitio recta, ſive artiſicioſa. Sed priùſ, quàm probetur, juvat audire contrariæ partiſ argumenta. *Arg. 1.* Quælibet ars intendit artiſicium ſuum adaptare alicui materiæ, ex quâ reſultet artefactum: nulla quippè ars intendit formam artiſicialeſ in abſtracto, & velut avulſam à materiâ. At præter objectum rectæ cognitioniſ, quod denominatur *rectè cognitum*, nulla eſt materia, cui Logica ſuum adaptet artiſicium. Nam cognitio non eſt materia, ſed forma artiſicialiſ juxta noſ, vel actio artiſiciſ jux-

ta Thomiſtaſ: Intellectuſ autem à nemine dicitur materia Logiciæ.

130 *Arg. 2.* Materia propria artefactorum illa eſt, de quâ tractat ars in ordine ad formam, maximè ſi forma etiam explicetur in ordine ad illam; ſed in Libriſ Prædicabiliſ, & Prædicamentorum, Logica de rebus tractat in ordine ad operationeſ prædicandi, & in Libriſ Perihermeniaſ, & Analytiſ, explicat operationeſ ipſaſ Intellectuſ in ordine ad reſ: ergo reſ ſunt materia propria artefactorum Logiciæ, ſicut operatio mentiſ eſt forma.

131 *Arg. 3.* tota Logiciæ difficultaſ eſt in conformandiſ mentiſ actibuſ cum rebus: hæc enim conformitate poſita, nihil reſtat arte ſuperandum. At hæc conformitaſ conſiſtit in coaptatione actùſ cum objecto, ut formæ cum materiâ.

132 *Arg. 4.* Logica per ſe intendit rectam cognitionem, ut extrinſecè unitam objecto, v.g. mentaleſ definitionem, ut re præſentantem eſſentiam rei, quæ re præſentatio eſt extrinſeca unio ſui cum objecto, & ultimum determinativù, ut reſultet denominatio *rectè cognitù*: ergo Logica per ſe intendit denominationem iſtam: ponenti enim unionem, aut ultimum determinativum, per ſe tribuitur compoſitum inde reſultans, ut patet in generante corpus phyſicum. His

133 His tamen non obstantibus, Assertio nostra probatur 1. : quia; ut docet D. Thomas in *Proem. Ethic.*, forma artificialis propria Logicæ, est *Ordo*, quem Ratio considerando facit in proprio actu; sicut forma intenta per artes mechanicas, est *Ordo*, quem Ratio considerando facit in rebus externis, ut in arca, vel domo: ergo forma propria Logicæ comparatur ad actum rationis sicut forma domus ad materiam externam: ergo, sicut artefactum Architecturæ est materia exterior ordinata, ita artefactum Logicæ est actus Rationis ordinatus. Certè in sententiâ contrariâ, forma Logicæ artis est ordo, quæ Ratio facit, non in proprio actu, sed in objecto.

134 *Prob. 2.* Illud est artefactum per se primò intentum ab arte, quo habito ars contenta esset, etiamsi cætera per impossibile deficerent; sed habitâ cognitione artificiosi, demonstratione v. g. ars Logica contenta foret, etiamsi per impossibile non derivaretur in objectum denominatio *rectè cogniti*, vel etiamsi à tali derivatione præscindatur, ergo &c. *Prob. Min.*: Logica tunc obtineret id, ad quod inventa est, nam teste D. Thoma in 2. *Pastor. lect. 1.*, inventa est, ut Intellectus in ipso actu Rationis ordinatè, faciliter, & sine errore procedat: sic autem procederet Intellectus, ha-

bitâ demonstratione mentali, ut est evidēs, etiamsi præscindamus à denominatione passivè derivatâ in objectum, vel eam per impossibile tollamus.

135 Adde, quòd non alia est ars, cujus proprium artefactum consistat in extrinsecâ denominatione. Adde insupèr, quòd Logica non est ars factiva, sed activa: in artibus autem activis, præter operationem non est alius finis; sed id est finis, exercitium, & actio; ut ait Aristoteles *Lib. 1. Mag. Mor. c. ult.* Nec omittenda paritas Grammaticæ, Rhetoricæ, & Pictoriæ: nam iisdem argumentis probari posset, proprium istarum artium artefactum esse objectum congruè significatum, ornatè dictum, vivide pictum. Et nihilominus ea concreta non sunt artefacta per se primò intentâ ab illis artibus, sed potius hæc, congrua locutio, ornata dictio, vivida imago. Sed quid ad argumenta contrariâ?

136 *Ad 1. neg. Min.*: quia entitas ipsa cognitionis, secundum prædicata formalitèr distincta ab artificio, est materia, cui Logica formam adaptat artificiosam: nec ad hoc requiritur distinctio realis inter materiam, & formam. Sic Prudentia moralem rectitudinem adaptat actibus voluntatis, à quibus ea rectitudo realitèr est indistincta. Sic etiam ars saltandi motibus pedum artificium adaptat realitèr indistinct-

tum ab ipsis. Undè Logica non respicit artificium ut avulsum à materiâ, sed potius ut concretum entitati cognitionis.

137 *Ad 2.* Libri prædicatorum, & Prædicabilium, quatenus ad intentionem Logicæ primariam pertinent, non tractant de rebus, tanquam de materiâ artefacti logici, sed tanquam de terminis extrinsecis artificij mentalis: quemadmodum Rhetorica, vel Pictoria, res etiam considerat, ut benè exprimat; non tamèn velut materiam propriam sui artefacti, sed ut terminos extrinsecos ornatae dictionis, vel imaginis. Sic autèm, & non aliter Logica explicat operationes Intellectus in ordine ad res, aut objecta ipfarum.

138 *Ad 3.* Redit iterùm instantia Pictoriæ, ejus tota difficultas potiori jure dicitur esse in conformandis imaginibus cù objectis, proindèque in coaptatione utrorumque; ut formæ cum materiâ. Sicut ergo conformitas imaginis cum objecto non intenditur per se primò à Pictoriâ, quatenus ex parte objecti se tenet, vel quatenus illud passivè denominat, sed tantùm quatenus denotat rectam dispositionem colorum; ita in re nostrâ dicendum.

139 *Ad 4. neg. Antec.*, si sermo sit de intentione primariâ quâ tendit ars in proximum artefactum. Est quidèm repræsentatio

cognitionis unio extrinseca sui cum objecto: at non intenditur formalitèr, & primariè prout unio est, sed tantum prout est repræsentatio artificiosa in se.

140 Compositum tribuitur quidèm ponenti ultimum determinativum formalitèr ut tale, sive ex intentione determinandi existentiam concreti; qualis intentio adest in generante physico. Si tamèn non ponatur ultimum determinativum quâ tale, & quia tale, sed sub alia ratione, seu munere per se optabili; tunc non fundat attributionem totius concreti, saltèm primariam; ut iterùm liquet in Grammaticâ, & Pictoriâ.

141 Cùm ergò Logica ponat rectam cognitionem sub munere artificiosæ repræsentationis, quod est per se maximè optabile; non verò sub munere determinantis, aut derivantis denominationem extrinsecam, quæ vix est optatu digna, utpote nihil perficiens rem denominatam, sic, ut non per se primò tribuatur Logicæ, tota denominatio. Sic rectâ cognitione positâ, necessariò in eâ resultat denominatio *similis*, aut *disimilis* cæteris actibus in Mundo præexistentibus: quin ideò talem denominationem curet, aut per se intendat Logica.

142 Non tamèn negaverim, quòd aliqui actus logici per se respiciant concreta hæc, *genus*,  
*spe-*



*species, subjectum, prædicatum,* & similia objectivè sumpta: actus nimirum secundarij, quos ideò Logica non negligit, quia consideratio denominationum passivarum sæpè utilis est, ut melius cognoscatur, & reguletur artificium cognitionis in se. De ceterò, ejusmodi nomina, si objectivè sumantur, non denotant artefacta præcipua, quæ Logica per se primò intendit: propria quippè talium artefactorum nomina sunt hæc, *definitio, divisio, syllogismus, demonstratio, &c.*, quæ propriè sonant cognitiones artificiosas.

## CAP. VII.

OBJETUM LOGICÆ FORMALE directè statuitur in actibus intellectûs.

148 **Q**UAMQUAM satis colligitur ex dictis in hac Disp., Objectum Logicæ formale consistere in rectitudine reali operationum Intellectûs; alia nihilominus argumenta dabimus, quibus id ipsum immediatè, ac directè probatur. Sed prius quædam præmittere oportet claritatis ergo.

QUOTUPLEX SIT OPERATIO Intellectûs? & quatenus arte dirigibilis?

144 **O**PERATIO Intellectûs non sumitur in præfenti pro actione purè physicâ ad cognitionem terminatâ (si fortè cognitio non est productio sui), sed sumitur pro cognitione ipsâ,

quæ vocatur *actio intentionalis*, quia tendit in objectum, illud vè pro termino respicit, quatenus est objecti expressio, & repræsentatio. Et hæc ipsa est, quæ appellatur *actus Intellectûs, intellectio, conceptio, conceptus, notitia, species expressa, & verbum mentis*. Triplex autem, quoad præsens attinet, distinguitur.

145 Prima operatio dicitur *Apprehensio pura, & simplex*, quæ sic repræsentat objectum, ut nihil de eo neget, vel affirmet. Quòd si repræsentet intuitu adeò simplici, ut nequeat præcisione reflexâ in duas expressiones distecari; vocatur *Apprehensio incomplexa, vel omnino simplex*, qualis respondet his vocibus, *Deus, homo, lapis, & similibus*. Si verò, vel constet expressionibus realitè distinctis, & coadunatis, vel eis in repræsentando æqui valet, vocatur *Apprehensio complexa, vel etiam simplex secundum quid*, quatenus nec est omninò simplex, nec adhuc habet illam compositionem, quæ propria est secundæ operationis; talis est, quam exponimus per terminos complexos, aut orationes vocales imperfectas, v. g. *animal rationale, Homo doctus, Deus Omnipotens*.

146 Secunda mentis operatio dicitur *judicium*, & etiam *assensus*, aut *judicium, enuntiatio, & propositio mentalis*, est que repræsentatio objecti, affir-

mando, aut negando. Hæc appellatur *compositio*, & *divisio*, seu operatio *componens*, & *dividens*, sensu explicato supra num. 104. Tertia demum operatio appellatur *discursus*, estque progressus mentis ab uno, vel pluribus judicijs ad aliud, quod inde subnascitur. Hæc dicitur *Argumentatio*; cujus varias species in Summulis habes.

147 Jam, ut aliqua humana operatio sit arte dirigibilis, requiritur; quod varijs modis, bene, vel malè fieri possit, & à Voluntate liberè imperari ex prælucente in intellectu reguli. Quo sensu operationes Intellectus, secundam, & tertiam, esse arte dirigibiles, in omni Scholâ supponitur, negabitque nemo, qui Logicam non prorsus dixerit otiosam.

148 Ubi nota, quod etiam quoad assensus evidentes locum habet directio artis. Nam in primis sæpè evidentia non est tanta, quæ Intellectum necessitet ad assentiendum. Deinde, licèt evidens apprehensio prævia necessarium reddat assensum aliquem vagè; adhuc Intellectus manere poterit indifferens ad assentiendum varijs modis, addendo scilicèt, vel ommittendo aliquod syncategoremata, prædicando A. de B., vel è converso, & seligendo assensus, qui figuram & modum habent formæ syllogisticæ. Hanc autem indifferentiam

Intellectus determinat Voluntas præventa regulis.

149 Primam tamèn operationem Intellectus aliqui negant esse arte dirigibilem: quia simplex apprehensio est incapax erroris: & quia positâ specie objecti, necessariò resultat ante imperium Voluntatis. Sed opposita sententia est communis, & vera. Nam in primis apprehensio complexa, v. g. definitiva, potest esse inordinata, & peccare contra regulas artis: ut, si diminuta sit, aut redundans; si adhibeat genus remotum loco proximi, aut accidens loco differentie essentialis; si jungat prædicata inter se pugnancia, ut hæc *animal rationale quadrupes*.

150 Deinde apprehensio incomplexa potest etiam regulis dirigi. Intellectus enim formaturus genus proximum hominis v. g., licèt advertat convenientiam hominis cum brutis in operatione sentiendi, non est necessariò determinatus ad apprehensionem *animal*; cum possit elicere unam ex his, *sentiens*, *animalia*, *sentientia*, quæ sunt prorsus inutilès formando generi. Undè simplex apprehensio est capax erroris sumpti pro inordinatione, vel inutilitate ad opus intentum.

151 Sæpè quidem apprehensio prævenit directionem artis, quod etiam accidit iudicio. Quare non dicimus, omnem apprehensionem ab arte dirigi, aut

à Voluntate imperari. At sæpè objectorum species non sunt tam vividæ, ut necessariò pariant apprehensiones, vel certè non determinant alias præ alijs, præfertim in examine rerum difficultium, & abstrusarum, quo Scientias adquirimus.

152 Voluntas non imperat apprehensionem *animal* expressè ac nominatim (alioqui jam illam præhaberet): tantum imperat, ut Intellectus formet Genus proximum hominis per talem apprehensionem, qualem dicat Logica, videlicet indefinitè exprimentem id, in quo homo proximè convenit cum rebus alijs. Hoc imperio posito, varias Intellectus elicit apprehensiones, donèc incidat in eam, quam videat doctrinæ Logicæ conformari; tuncque ipsam probat, ac retinet. Atque ita verè procedit apprehensio *animal* ex directione Logicæ, cum ejus luce quærat, & inventa discernatur ab alijs.

QUID SIT ARTIFICIUM  
actuum Intellectus?

153 **P**ræmitto variam terminorum notionem. Vox *artificium*, ut & vox *artefactum*, connotat artem, idemque sonare videtur, ac *opus positum ex directione artis*. Importat ergo formalitèr denominationem extrinsecam à prælucente regulâ ut à formâ: & hæc denominatio dicitur *artificium formale*, sed aptius vocabitur *ex-*

*trinsecum*. Quod si præcisè consideretur intrinseca rectitudo operis ex se digna, quæ dicitur ab arte, sic dicitur *artificium fundamentale*: sed melius dicitur *artificium intrinsecum*.

154 V. g. hic actus, *Animal rationale*, elicitus ab ignaro Logicæ, vel sine attentione ad regulas, non est extrinsecè artificiosus, est tamèn intrinsecè, quia totam habet rectitudinem, quam præscriberent regulæ definiendi, si adessent; nec quidquam illi deest, ut dicatur formalitèr artificiosus, nisi directio extrinseca artis.

155 Potest aliquid esse ab arte dirigibile bifariam, *subjectivè*; & *objectivè*. Dicitur *subjectivè* dirigibile, quod postquam existit, est subjectum indifferens, ut recipiat, vel non, formam artificiosam: talis est dirigibilitas marmorum ab Architecturâ. Poterit etiam *subjectiva* dirigibilitas vocari per quamdam analogiam, indifferentia rationis, quam habent prædicata communia, ut contrahantur per differentias específicas, vitiosas, aut rectas: v. g. indifferentia amoris ut sic, ut ex directione Prudentiæ contrahatur potius ad amorem honesti, quam ad amorem boni delectabilis.

156 Dicitur verò dirigibile *objectivè*, quod secum identificat rectitudinem, indifferens tamèn est, ut existat, vel secus;

ideoque ab arte dicitur ejus existentia potius, quam actus oppositi. Quare non est subjectum, cui ars perfectionem superaddat, sed est realiter ipsamet perfectio, quæ præconcepitur ab artifice, & regulis objicitur ut digna, quæ actu ponatur.

157 Sic à Fide dirigibilis est amor Dei super omnia; non quia fides dicitur, ut amor alijs objecti fiat amor Dei, sed quia dicitur, ut actus, quem præconcepit esse amorem Dei, eliciatur potius, quam alijs amor. Hoc modo dicimus actus Intellectus in specie esse à Logica dirigibiles; & hoc sensu dirigibilitas eorum nihil est aliud, quam artificium ipsi intrinsecum.

158 Igitur artificium intrinsecum, saltèm positivum, quod Logica præcipit in actibus Intellectus, ab iisdem actibus, & eorum specifica representatione realiter indistinctum esse, tenet communis, & vera sententia Scholæ nostræ contra Thomistas, & alios, artificium statuentes, vel in ente rationis, vel in modo quodam arte superaddito.

159 Ratio est: quia artificium aliud consistit in speciali, ac certo modo representandi objecta: v. g. artificium Definitionis, in perspicua representatione prædicatorum essentialium: tali quippè modo representandiposito, regulis Logicæ plenè satisfat. At nec representandi mo-

du realiter indistinctus est à representatione, quæ est entitas ipsa conceptum; nec variari potest invariato actu: quemadmodum idem judicium, quod semel est affirmativum, nequit fieri negativum, aut è converso; nec quod semel est universale, potest fieri particulare.

160 Sed notandum, quòd artificium mentale, aliud est realiter simplex, videlicet in sententiâ multorum artificium judicij, & in sententiâ omnium artificium apprehensionis formantis Genus v. g.: aliud verò est realiter compositum ex multis conceptibus, videlicet artificium syllogismi, vel etiam in sententiâ probabili artificium judicij, seu propositionis mentalis.

161 Nostram ergo sententiam sic intellige, ut artificium simplex prorsus identificetur cū eo simplici conceptu, cujus est proprium: artificium verò compositum identificetur adæquatè cum partibus simul sumptis, v. g. in Syllogismo cum tribus judicij; cum singulis autèm, non nisi inadæquatè.

162 Quòd si velis, ut tria Syllogismi judicia, prout simul sumpta, importent superadditos modos durationis, aut etiam unionis cum eodem Intellectu, quod ad præsens attinet, non repugnabo: de his enim modis naturaliter, etiam sine arte, pulsulantibus, non loquuntur Ad-

versarij ; sed de modo quodam reali , vel rationis , per artem superinducto , qui sit tota forma denominans conceptus artificiosos.

163 Ut Objectiones præcaveas , observa sequentia. 1. : rectitudo moralis , sumpta pro tendentiâ in objectum honestum , indistincta est ab actibus Voluntatis. Et hæc sola rectitudo comparanda est cum logicâ rectitudine conceptuum , quæ est certa quædam tendentiâ repræsentativa objectorum. Ex artificio autem vocali nulla huc paritas duci potest ; cum illud importet significationem vocibus extrinsecam , & accidentariam.

164 2. : stantibus iisdem conceptibus , artificio logicum variari nequit , aut deficere. Si consistat in actu realiter indivisibili , res est clara. Si autem in actu realiter composito ( qualis est syllogismus , & juxta plures propositio mentalis ) , idem semper erit , illæsa talium collectione partium. Nam ex eisdem præmissis , & conclusione syllogismi A. fieri nequit syllogismus B. : quia conclusio mentalis , ut alibi dicemus , est iudicium essentialiter illativum , & connexum cum talibus determinatè præmissis.

165 In iudicio autem ( si compositum est ) conceptus copulæ connectitur essentialiter cū talibus extremis , determinatque , ut hoc præ illo sit prædicatum ;

undè , si extrema transiunt , vel si quid alterutri demas , vel addas , conceptus copulæ diversus erit. Quod attinet artificio definitionis , concedi poterit sine incommodo , quòd constituatur de obliquo , seu de connotato , per carentiam redundantiam , sicut artificio statuæ , vel pictæ imaginis. Idcirco enim de artificio *saltem positivo* locuti sumus n. 158.

166 3. : quòd artificio debeat esse realiter superadditum materiæ , solum est verum in artibus factivis , quæ in externam , ac præsuppositam materiam agunt , & tendunt in opus permanens : minimè verò in artibus activis , quarum opus consistit in ipsis actibus , aut motibus Agentis. Hæ quippè materiam iam existentem non poliunt , aut emendant , sed ad existentiam dirigunt propriæ materiæ , quæ superte naturæ sit recta. Exemplo sit ars citharizandi , cujus artificio ( saltè positivum , & præcipuum , ne morulas excludam ) institutum est à talibus citharizantis motibus. Est autem Logica ars maximè activa.

167 4. : artificio conceptuum non est *naturale* , si vox ista sumatur pro *neccessario* , quod semper sit uniformiter , aut Agentis arbitrio non subest : debet tamen dici *naturale* , si hæc vox sonet id , quod essentialiter convenit certis actibus in specie , qui tamen indifferentes sunt , ut existant

tant, vel alijs ineptis locum cedant, pro arbitrio agentis. Res est perspicua in actibus Voluntatis ex objecto honestis, quos dirigit Ethica, cum actus merè naturales, id est, necessarios, dirigere non possit.

### OBJECTUM LOGICÆ

*formale sunt actus Intellectûs secundum artificium sibi proprium.*

168 **A**SSERTIO proposita, quam Schola nostra tuetur contra Thomistas, probatur 1. auctoritate Doct. Angelici, in *Proœm. Ethic.* expressè docentis, quod Logicæ pro objecto respondet *Ordo, quem Ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos adinvicem; sicut Ethicæ, id est, Philosophiæ morali, respondet Ordo, quem Ratio considerando facit in operationibus Voluntatis; & sicut artibus mechanicis respondet Ordo, quem Ratio considerando facit in exterioribus rebus, sicut in arcâ, vel domo, & sicut Philosophiæ naturali respondet Ordo rerum naturalium, quem Ratio non facit, sed solum considerat.* Loquitur autem D. Thomas de objecto formali, ut evidens est ex contextu, & ex comparatione cum arte mechanicâ, & cum Philosophiâ naturali.

169 Undè planè infertur, quòd ordo artificialis conceptuum est objectum Logicæ formale: non quidem ordo fictus in objecto, ut Thomistæ volunt, sed

factus in proprio actu, sicut ordo arcæ, vel domus in externâ materia. Nec obstat illa phrasis, *quem Ratio considerando facit*: nam eadem utitur D. Thomas circa ordinem actuum Voluntatis, & artefacti externi, solumque significat considerationem, quâ Logica respicit ordinem conceptuum, esse practicam, qualis non est consideratio Physicæ circa ordinem rerum naturalium.

170 Benè nota comparationem Logicæ cum Ethicâ, ut scilicet altera respiciat rectitudinem propriam actuum Intellectûs, sicut altera rectitudinem propriam actuum Voluntatis. Hæc enim comparatio, cujus vim expendimus in *Log. fus.*, nostram sententiam validissimè probat.

171 *Prob. Afferio 2.* Logica respicit pro objecto formali Modum sciendi, ut omnibus in confesso est; sed quidditas Modi sciendi propriè convenit actibus Intellectûs: ergo &c. *Prob. Min.* Modus sciendi communiter, etiam à Thomistis, definitur: *Oratio ignoti manifestativa*: ergo quidditas ejus est manifestatio ignoti. At evidens est, quòd nulli signorum generi tam propriè convenit manifestare ignotum, quàm actibus Intellectûs: id quod expressè docet D. Thomas q. 4. *de Verit. art. 3.*

172 *Confirm.*: actus Intellectûs propriè sunt *Definitio, Divisio, Propositio, Syllogismus,*

De-

*Demonstratio*; quibus nominibus significantur omnes species Modi sciendi. *Probat*ur ex D. Thomâ, qui 1. *contr. Gent. c. 58. n. 5.* ex professo docet, quòd rei *definitio*, ut etiam *propositio affirmativa*, seu *negativa*, est *conceptio*, seu *verbum* mentis: Et ibi cap. 57. n. 6., *Ratiocinatio*, inquit, est *quidam motus Intellectûs*. Idem est autem *ratiocinatio*, ac *sylogismus*.

173 Quòd verò *Demonstratio* sit etiam rationis actus, res est luce clarior apud Aristotelem 2. *Poster.*, præfertim c. 1., ubi inter alia sic ait: *Demonstrationem dico Ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit: eam verò scientiam efficere dico, quâ scimus, eam ipsam habendo*. Idem ergò formalitèr est *habere demonstrationem*, & *scire*. At *scire* est *cognoscere rem per causam*, ut ibi docet Philosophus; cuius verba nostrum ad sensum exponit D. Thomas *ibid. lect. 4.* Immoramur in in re perspicuâ. Sed autoritate Principum Philosophiæ stabilicudus fuit usus, & proprietates nominum, quæ moderni Thomistæ totis viribus alienare conantur ab actibus Intellectûs, ut vidimus n. 75.

174 Apud ipsos Thomistas *definitio formalis*, *propositio formalis*, *sylogismus formalis*, sunt actus Intellectûs; nam intentiones, in objecto fictæ, solum dicuntur *sylogismus objectivus*,

*definitio objectiva*, &c. At Scholæ usu tritissimo additum *formalis* non alienat, sed signat magis proprietatem nominis; ut cum dicitur *objectum formale*, pars *formalis*, calor *formalis*. Immo foret implicatio in terminis, si calor idem diceretur *formalis*, simulque purè *vialis*, aut *causalis*. Quære à Thomistis, num imago hominis sit *homo formalis*? Et num actio ædificantis vocetur *palatium formale*?

175 Deniquè ratio à priori nostræ Assertionis est: quia Logicæ instituto plenè satisfat rectitudine propriâ actuum Intellectûs: quamvis enim Logica nihil dictet, prætet illum specialem repræsentandi modum, qui proprius est Definitionis formalis, Demonstrationis formalis, &c., dictat, quod plenè sufficit ad acquisitionem scientiarum, & ad usum Rationis formandum, removendo confusionem, ambiguitatem, errorem. At non ob aliud instituta est Logica, juxta communem sensum Philosophorum.

176 Ex dictis totâ Disp. facilè colliges, *objectum formale* adæquatū Logicæ suum esse in artificio intrinseco operationum Intellectûs. Undè intrinseca rectitudo conceptuum erit *ratio formalis sub quâ* respectu Logicæ: & eadem rectitudo, prout arte *dirigibilis* (sub quo nomine respectum dicit ad regulas), erit *ratio formalissima sub quâ*.

## CAP. VIII.

*Argumenta contraria, & solutiones.*

177 **A**rgumenta non pauca, quæ hic obijci possent, in superioribus præoccupata, vel soluta manent. Nominatum meminisse oportet I., quòd, cum dicitur Logica respicere conceptus *ut dirigibiles*, sermo est de dirigibilitate objectivâ, explicatâ n. 156. & sequ. quæ nihil est aliud, quam artificium, conceptibus intrinsicum, id est, intrinseca rectitudo repræsentationis eorum, ex se digna, quæ dicitur ab arte Logica. Hoc sensu dicitur Ethica respicere Voluntatis actus *ut ordinabiles*, & omnis ars, aut facultas practica suum objectum *ut operabile*. Quare *dirigibile*, sic acceptum, idem sonat, ac *artis directione dignum per se*, & *propter se*.

178 2., quòd artes *activæ* (qualis est Logica) non intendunt, sicut *factivæ*; opus aliud ab actione distinctum; sed pro fine respiciunt ipsam actionem, & exercitium Agentis; ut docent Arist. *lib. I. Magn. Mor. c. ult.*, & D. Thomæ in 6. *Ethio. lect. 3.*, & sæpè aliàs. Quare Logica nullum intendit, saltem primariè, artefactum distinctum ab actibus Intellectûs, sed pro artefacto respicit actus ipsos quatenus rectè repræsentates objecta, diciturque, ut isti præ alijs non ita rectis eliciantur: quò modo rec-

tos Voluntatis actus dicitur Ethica.

179 3., quòd actus à Logicâ directi non repræsentant in objectis ordinem, aut dispositionem artificialem, sed in se ipsis habent modum repræsentandi ordinatum & artificiosum. Undè, quoties Thomistæ talem objectorum ordinem asserunt, aut supponunt, negandum est asserum, aut suppositum. Cum autem dicunt, artificium esse in cognitione *repræsentativè*, *signatè*, vel *tanquam in signo*; concede, si voces istæ denotent, artificium esse in cognitione velut modum repræsentandi, & significandi; negaverò, si denotent esse velut quid repræsentatum, aut significatum.

180 4., quòd actus Intellectûs dici possunt actiones artificis, sed immanentes. Actio autem immanens, quoad præsens attinet, in hoc differt à transeunte, quòd hæc terminatur ad aliquod factum, in quod tendit impetus Agentis; illa verò non; ideòque *impetus Agentis tendit in ipsam actionem*: quæ est doctrina D. Thomæ 3. *cont. Gent. c. 2.*

181 5., quòd objectum materiale proximum, seu materia intrinsicè denominabilis ab artificio logico, non debet realitèr distingui ab objecto formali (sicut distinguitur in artibus factivis), sed sat est, quòd virtualitèr distinguatur, aut per rationem; nimirum quatenus continet alia



alia prædicata, quæ Logica de materiali respicit, puta spiritualitatem, & vitalitatem: vel potius quatenus se habet ad artificium, tamquam genus ad differentiam, aut speciem. Nam representatio formalis in communi sumpta, prout metaphysicè indifferens ad varias representationis species, rectas, aut vitiosas, est veluti materia formabilis à Logica; cujus regulis ductus Intellectus contrahit illam rationem communem ad actus essentialitèr præditos rectitudine logicà, dum eos elicit omiffis alijs à Logica reprobatis.

182 Atque hoc modo dicitur Logica formam artificialem adaptare propriæ materiæ: eodemque sensu *recta cognitio* est artefactum logicum ex materia, & formâ, non realitèr, sed solum formalitèr distinctis. Exemplum habes in Ethicâ, quæ, licèt non sit ars, est Scientia practica, & modum servat artis activæ. Illa quippè similiter invenit in actibus Voluntatis objectum formale, & materiale proximum, nimirum, & rectitudinem honestatis, & materiam ejus intrinsecam, cum sola distinctione rationis. Quomodo autem artificium conceptuum dici possit quid *naturale*, vide supra num. 167,

183 Sed aduc *objic. I.*: nulla ars instrumentaria pro objecto respicit actus facultatis

illius, cui ministrat, ut patet in frænofactoriâ, quæ ministrat equestri; sed formales definitiones, syllogismi, &c., sunt actus aliarum Scientiarum, quæ Logica ministrat instrumenta sciendi: non ergo Logica pro objecto respicit formales definitiones, &c. Hæc *objectio* præoccupata manet Disp. I. n. 57.

184 *Objic. 2.*: actus Intellectus non propriè sunt artefacta, quæ intendit Logica. Nam 1. conceptus non est propriè *definitio*. Tum quia non explicat essentiam rei per se, sed per objectiva prædicata essentialia, ideò que interroganti, *Quid est Homo?* non respondetur, *Est cognitio representans animal rationale*. Tum quia partes cognitionis non sunt genus, & differentia, quibus constare debet definitio. Tū quia definitio, & definitum formalia non dicuntur ad convertentiam.

185 2., actus mentis non sunt propriè *subjectum*, & *predicatum*; quia non sunt id, de quo dicitur aliquid, & id, quod de alio dicitur. Nec item sunt propriè syllogismi *extrema*; quia non identificantur cum tertio, nec inter se. Cognitio item non est propriè *consequentia*; hæc enim est objectiva connexio unius cum alio; & qui inter arguendum negat consequentiam, non negat, Intellectum arguentis inferre unum ex alio, sed

unum objectum cum alio connecti.

186 *Confirm.* : restitudo, vel pravitas cognitionum pendet, & specificatur ab exigentia objectorum, quæ exigentia est regula, & mensura rectitudinis actuum; eatenus enim Intellectus rectè prædicat, definit, &c. quatenus objecta exigunt sic præsentari: ergo à Logicâ magis attenditur exigentia objecti, quàm restitudo actus. Sic Architectura magis attendit formam domus, à quâ specificantur actiones manuales, quàm actiones ipsas.

187 *Ad object.* (cui maxime fidunt Thomistæ moderni) *neg. assump.*, quin obtent probationes. *Ad 1.* : *explicitare est manifestare clarè, ac distinctè*: hoc autem *per se* convenire actibus Intellectus, evidens est. Quòd interroganti, *Quid test Homo?* non respondeatur, *Est cognitio &c.*, quid refert? Nam quid aptè respondebitur, *Est ens rationalis, aut ficta relatio animalis, & rationalis?* Roganti ergo, quid est res? respondet quidem Definitio, at non ut significata, sed ut significans quidditatem rei; nec enim Definitio est quidditas Definiti, sed explicatio quidditatis. Quare Definitio debet esse responsio ipsa, non objectum responsionis.

188 Cognitio definiens constat genere, & differentiâ for-

malitèr sumptis, id est, secundum formam, quâ objectum denominatur prædicabile *ut quod*. Id ipsum tenentur dicere Thomistæ de intentione fictâ, cujus partes certè non alitèr sunt genus & differentia; nec sunt de pluribus prædicabiles *ut quod*.

189 *Convertentia*, sive conversio definitionis cum definito in sensu strictè logico non est ipsa realis identitas objectorum, maxime apud Thomistas, apud quos ea conversio est passio, quam Logica demonstrat de suo objecto formali, id est, de ente rationis. Est ergo mutua colligatio veritatis formalis ita ut de quocumque objecto verificatur formalis definitio, verificetur quoque definitum formale, & vice versâ.

190 *Ad 2. Intellectus*, inquit D. Thomas 1. p. q. 16. art. 2., *in omni propositione aliquam formam significatam per Prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ per Subjectum, vel removet ab eâ*. Vides, ut prædicatum, & subjectum appellentur à D. Thomâ, non objecta significata, sed eorum signa formalia. Nec verum est semper (ut hoc obitèr moneam) quòd nomen indifferentè dictum de signo, & signato, huic propriè convenit, illi solùm impropriè. Nam, ut testatur D. Thomas 1. p. q. 34. art. 1., hoc nomen *verbum* dicitur de conceptu mentis, & de

re per illum significatâ; sed de conceptu propriè, de re tantum impropiè.

191 Porro unus conceptus de alio dicitur cum suppositione formali, seu more signi: & hoc ipsum dici per modum signi, propriè, & formalitèr pertinet ad Logicam; quæ nec apud Thomistas potest respicere formalitèr id, quod de alio dicitur per modum objecti, cum pro formali respiciat intentiones fictas prædicati, & subjecti, quarum altera de alterâ non dicitur.

192 Quod additur de syllogismi extremis, æquè premit Thomistas: neque enim fictæ intentiones extremorum majoris, & minoris, identificantur cum tertio, nec inter se. Doctrina igitur de identitate extremorum, & medij, respicit identitatem objectorum, non de formali (alioquin formale objectum doctrinæ Logicæ foret ens reale, huiusque adeo Thomistis ingratum), sed de materiali, quatenus scilicet est fundamentum extrinsecum ad rectitudinem Syllogismi mentalis: non alitèr ac Pictoria considerat faciem nativam Cæsaris, ut rectam ejus imaginem formet.

193 Quod subditur de consequentiâ, probat contra Thomistas, objectum formale Logicæ esse ens reale: nam citra dubium realis est objectiva connectio, v. g. Solis cum luce, Ignis cum calore, Rationalis cum ri-

sibili; & qui inter arguendum negat consequentiam, non negat ab arguente fingi ens rationis, sed negat, unum objectum re ipsâ connecti cum alio. Sumus igitur in causâ pares.

194 Itaque objectorum connectio est consequentia objectiva, quam Logica non regulat, sed præsupponit tamquam fundamentum consequentiæ formalis, id est, mentalis. Hæc sola regulatur à Logicâ, quia sola erroris est capax: & consistit in dependentiâ unius judicij ab alio, vel alijs, quantum ad veritatem, ita ut judicium consequens nequeat esse falsum, si verum sit antecedens.

195 Qui negat consequentiam, non negat ab arguente inferri judicium aliquod; sed negat inferri, vel exprimi judicium illud, quod Logica dicat, nempe quod in veritate pendeat ab antecedenti. Causalis ista, *ideo Intellectus rectè infert, quia veritas una sequitur ex aliâ*, vera est in sensu formali, si loquatur de veritate judiciorum: si autem de veritate purè objectivâ, eatenus admittenda est, quatenus ly *quia* denotat fundamentum extrinsecum à Logicâ præsuppositum, quo sensu dicimus, *ideo Pictor Annibalem rectè pingit luscum, quia Annibal ipse luscus erat.*

196 Ad Confirm. num. 181. Similitèr illa probat, formale

objectum Logicæ esse ens physicum, & reale; non enim ficta est exigentia rerum, ut rectè cognoscantur. Profectò, juxta Thomistas, rectitudo, vel pravitas intentionum rationis, pendet ab exigentiâ objectorum; prava quippè erit intentio, si sit objecto indebita, v. g. si rationali tribuatur intentio generis, aut animali intentio differentiæ; magis ergo attendet Logica rerum exigentiam, quàm fictarum intentionum rectitudinem, cum hæc ab illâ pendeat, & specificetur tamquam à regula, & mensurâ.

197 Itaque, ut pro omnibus respondeam, rectitudo conceptuum pendet ab exigentiâ objectorum, tamquam à mensurâ, vel specificativo extrinseco de lineâ naturali; quod genus specificativi non intendit ars pro formali, cum non sit regulis factibile, sed aliundè oblatum præsupponit. Quod ars formalitèr attendit, est specificativum de lineâ artificiali, quod in re nostrâ est specifica, vel generica differentia repræsentationis, per quam differt actus rectus à pravo.

198 Habes etiam exemplum in arte Pictoriâ; quæ pro formali non respicit naturale prototypon, vel objectum, quamvis hoc dicatur mensura, & specificativum rectitudinis imaginum; eatenus quippè recta est imago, quatenus imitatur objectum, &

illi conformatur. Exemplum Architecturæ non est ad rem: quia manuales actiones specificantur à formâ domus, tamquam ab specificativo de lineâ artificiali, quod ars non præsupponit, sed efficit.

## CAP. IX.

## QUODNAM SIT IN LOGICA

*Objectum Attributionis?*

199 **O**bjectum attributionis in Scientijs, & Artibus, illud est, quod per se primò intenditur, ita ut in ordine ad ipsum, sive ad pleniorrem ejus notitiam, considerentur cætera objecta Scientiæ, vel Artis, quæ idcirco vocantur *objecta attributa*, seu *communitatis*. A multis confunditur cum ratione formali *sub quâ*, prout à nobis explicata est suprâ n. 7. & re ipsâ in nonnullis Scientijs, v. g. in Mathematicis, non aliud assignatur attributionis objectum: nisi fortè dicatur (ut aliqui volunt) esse concretum coalescens ex materiali, & formali, sicut statua ex marmore, & figurâ: quo tamèn sensu accipitur etiam in communi, ut tam latè pateat, quàm ratio formalis in abstracto sumpta.

200 Communis tamèn loquendi modus in plerisque saltem Scientijs distinguit objectum attributionis à formali adæquato, ut partem à toto, vel objectum particulare à communi; censetque esse inter particularia objecta formalia speciale quoddam;

dam; ut in Theologiâ Deum, in Metaphysicâ Substantiam completam *ut sic*. Et quia objectum particulare, communem rationem formalem contrahens, alij vocant formale *quod*, alij materiale *per se*; idcirco iisdem nominibus donari solet objectum attributionis.

201 Tres conditiones communiter ipsi tribuuntur. Prima: ut sit unum quid unitate saltém rationis, possitque unicâ definitione proponi. Secunda: ut ex eo sumatur Scientiæ diversitas à cæteris; idcirco enim vocatur *Specificativum*. Tertia: ut in ordine ad ipsum considerentur cætera Scientiæ objecta. Cum hoc tamen ordine cohæret, quòd objectum attributum verè sit formale; quia propter se attingitur per actus in eo sistentes, licèt hi actus sint velut imperati ab intentione Logicæ generali, per quam referuntur ad cognitionem objecti attributionis.

202 Hinc objectum attributionis non incongruè definitur, *Finis objectivus intrinsecus Facultati*. Dicitur *finis*, quia propter ipsum considerantur objecta reliqua: *intrinsecus*, ne confundatur cum *sine*, qui non est Scientiæ, sed *scientis*; ut si quis Logicæ studeat propter Cathedram; nec item cum *sine extrinsecò* Scientiæ ipsius, qualis est respectu Logicæ acquisitio habituum aliarum Scientiarum: *objec-*

*tivus*, quia debet esse objectum attractum per actus proprios, & præcipuos Scientiæ, vel artis. Quando objectum attributio nis plures comprehendit partes, aut species, illa, quæ nobilior est, aut scitu dignior, vocatur *objectum principalitatis*, ut in Metaphysicâ Deus, in Physicâ Homo,

203 Objectum attributionis ita explicatum, ut discernatur à formali adæquato, seu ratione formali *sub quâ*, vocatur *Subjectum attributionis*, cum ratio formalis vocetur *subjectum adæquationis*: vocatur item *specificativum per modum finis*, cum ratio formalis vocetur *specificativum per modum sphaeræ objectivæ*, circumscribentis amplitudinem totius Scientiæ. Quæ differentia explicari potest exemplo Voluntatis, cujus finis, & quasi attributionis objectum est Beatitudo; ratio verò formalis, & quasi sphaera objectiva, est Bonum *ut sic*: & utrique tribuitur munus specificandi.

204 Jam circa objectum attributionis in Logicâ opiniones diversæ numerantur supra viginti. Præcipuæ sunt tres. Prima illud coarctat ad solam demonstrationem. Secunda illud statuit in syllogismo perfecto, prout complectente probabilem, & demonstratibam. Tertia illud collocat in Modo sciendi, prout comprehendente definitionem, divisionem, & argumentationem.

Hæc

Hæc tertia sententia, quæ plures in omni Scholâ patronos habet, præferenda videtur.

205 *Prob.* Objectum attributionis Logicæ in primis non est aliquid latius Modo sciendi; aliud non est aliquid arctius: ergo, &c. Utraque præmissa probanda est. *Prob. Maj.:* quia præter Modum sciendi solum restant Prædicabilia singillatim sumpta, necnon Propositio cum suis speciebus, & partibus. At hæc omnia nequeunt esse finis, & scopus Logicæ: non enim sunt digna labore artis, nisi quatenus deservire possunt ad Modum sciendi.

206 Nam quid refert scire, qualiter formari debeat genus, aut differentia, nisi ut definitionem conficere noverimus? Quid item opus erat Propositionis naturam, & proprietates tam subtiliter examinare, nisi ut ex unâ in aliam arguere sine periculo deceptionis sciamus? Hæc igitur omnia tractantur alterius objecti gratiâ, proindeque ut objecta merè attributa.

207 Deindè *prob. Min.* Logica juxta omnes inventa est, ut alijs Facultatibus ministraret instrumenta sciendi, quibus artificiosè penetrantur intima rerum, & ignota viscera: ergo finis Logicæ complectitur ea instrumenta, quæ per se immediate penetrationem ejusmodi perficiant. At nulla res plenè scitur, aut penetratur, donèc tria hæc

pateant, *Quid sit, Quotuplex, & Quas proprietates habeat;* quorum ad primum per se immediate necessaria est definitio, ad secundum divisio, ad tertium argumentatio.

208 *Profecto*, non solum syllogismus, aut demonstratio, sed etiam definitio, ac divisio, artificium continent per se valdè optabile: quis enim parvi faciat certâ methodo rimari posse, quid sit res, quasvè partes, aut species habeat, etiam immemor, aut inscius ulterioris artis? Ut igitur Artes aliæ pro fine respiciunt artefacta omnia per se, ac seorsim æstimabilia, nec sibi pro attributionis objecto seligunt unum potius, quam aliud: v. g. ars fabricandi arma, non potius gladium, quàm scutum; Architectura, non potius palatium, quàm templum; & sic de alijs: ita in arte Logica censendum.

209 *Objic. I.* Modus sciendi non est objectum attributionis Logicæ, nec prout actualiter complectitur omnes species suas, quia sic non habet unitatem, quam refundat in Logicam; nec aliunde prout est ratio generica à speciebus abstracta, quia sic non est operabilis, nec utilis adquirendis Scientijs, cum nemo sciat per modum sciendi ut sic. Verùm hæc objectio æquè oppugnat sententias omnes: nulla quippe restringit objectum attribu-

tionis Logicæ ad unicum individuum; sed omnes illud collocant in aliqua ratione communi, v.g. in Demonstratione ut sic. Quæcumq; autem ratio communis assignetur, in eâ militat eadem objectio, ut applicanti constabit.

210 Respondeo igitur, in objecto attributionis Logicæ comprehendi, non solum Modum sciendi ut sic, sed etiam species ejus ut tales; has enim sub proprijs conceptibus considerat Logica ut fines parciales. Qualis autem unitatem inter se habeant, & qualiter eam refundant in Logicam, vide Disp. I. num. 84. & seq. Modus sciendi ut sic, etiam in statu abstractionis, est operabilis (atque adeo utilis ad Scientias) operabilitate exercenda, non pro illo statu, sed pro statu contractionis ad actus individuos: sic enim, & non aliter operabile est objectum cujuslibet Artis, aut Scientiæ practicæ, quæ semper suum objectum respicit in universali, & in hoc ab experientia differt.

211 *Objic.* 2. Sola Demonstratio est finis intrinsecus Logicæ. 1. quia sola generat scientiam, & facit scire, adeoque sola est propriè Modus sciendi. 2. quia definitio, & divisio respiciuntur à Logica tamquam partes demonstrationis, quam sæpè componunt: & cum pertineant ad primam, aut secundam opera-

tionem Intellectus, naturaliter ordinantur ad tertiam. 3. quia demonstratio est instrumentum sciendi, quod maxime appetitur ab intellectu, & à reliquis Scientijs, quibus ministrat Logica.

212 Respondeo. Hæc omnia ut summum probant, demonstrationem esse objectam *principalitatis* (vide supra num. 202.), non tamen esse totum attributionis objectum. Sola quidem demonstratio facit scire, sumpto *scire* in sensu stricto: secus verò, si sumatur in sensu latiore, non improprio, prout sonat artificiosam manifestationem ignoti, quam exigit integritas Scientiarum: ideoque nemo negat, definitionem, & divisionem esse propriè Modos sciendi.

113 Definitio, ac divisio possunt esse partes demonstrationis: at non præcisè considerantur à Logica hoc titulo; nam præscindendo à munere partium, habent ratione sui, cur à Logica intendantur, nempe quia per se immediatè deserviunt ad alias Scientias, quarum interest nosse quid, & quotuplex sit objectum suum. Quatenus ergo per se manifestant quid, & quotuplex sit res (qui est earum conceptus primarius) respiciuntur à Logica ut objectum attributionis; licet respiciantur etiam ut objectum attributum quatenus possunt se

esse partes demonstrationis, qui est earum conceptus secundarius.

214 Nec Logica quoad attributionem unius objecti ad aliud debet semper sequi naturalem ordinem objectorum, sive operationum Intellectus: alioquin Scientiæ omnes pro attributionis objecto Deum respicerent, cum earum omnium objecta naturaliter ordinentur ad Deum. Transeat autem, quod demonstratio maximè appetatur ab Intellectu, & ab alijs Scientijs: non ideo erit unicum objectum

attributionis, sed principalitatis ad summum.

215 Alia plura supersunt pro alijs sententijs argumenta: sed de his consule Logicam futuram. Tantum hic observa, quod propositio sæpè continet definitionem, aut divisionem, aut etiã argumentationem virtuales, qualis imbibitur in causalibus, & conditionalibus. Tunc autem sub attributionis objecto comprehenditur, quatenus vim habet Modi sciendi. Et hactenus de Proœmiali Tractatu.

## TRACTATUS SECUNDUS.

### DE UNIVERSALIBUS GENERATIM.



TRACTATUS hic, duoque continuo sequentes præcipue incumbunt simplicibus apprehensionibus eliminandis, à quibus judicandi, ac discurrendi rectitudo plurimum pendet. Nec tamèn in hisce Tractatibus Logica impermixta procedet: plurima siquidem à Methaphysicà mutuare cogitur, tam cognitione rerum, tum consuetudine Scholarum: atque in primis identitatum, ac distinctionum varium genus excutere omnino debet, ne deinceps propria ipsius doctrina singulis ferè lineis tenebrescat.



## De Identitate, &amp; Distinctione.

## CAP. I.

De Identitate, ac Distinctione in  
communi. Ubi an detur inter Gra-  
dus metaphysicos distinctio  
realis?

I



Identitas est quid  
per se notum;  
vixque potest  
clarioribus ter-  
minis explica-  
ri, quam vul-  
garibus, & usi-  
tatis, *Idem, Id ipsum*. Undè aiebat  
Mag. Augustinus Psalm. 121. : *Id  
ipsum quomodo dicam, nisi id ipsum?  
Quidquid aliud dixero, non dico id  
ipsum*. Nec certè sine clarà notione  
idētitatis posset per se notum esse,  
uti reverà est cunctis ratione uten-  
tibus, principium illud, *Impossi-  
bile est idem simul esse & non esse*.

2 Poterit tamèn Identitas  
utcumque describi, si dicatur, in eo  
consistere, *quodd hoc sit illud*; vel si  
dicatur esse *capacitas verificandi  
propositionem affirmativam unius  
de alio*, dum prædicatum in recto  
& substantivè sumitur: item, si di-  
catur ad mētem Philosophi 5. Me-  
t. ph. cap. 9., *Unitas in entitate*; ea  
quippè sunt idem inter se, quibus  
una est entitas. Undè tot modis di-  
citur unitas, quot identitas; vixque  
inter se differunt, nisi quia unitas  
explicatur terminis negativis *in-  
divisionis, & indivisibilitatis*.

3 Pro præsentī notanda est  
triplex unitatis quasi species, quæ  
pariter identitati convenit. Prima  
est unitas *individualis*, quæ voca-  
tur etiam *numerica, & materialis*;  
estque ultima rei indivisibilitas,  
fundata in prædicatis individuali-  
bus. Secunda est unitas *essentialis*,  
quæ *formalis* etiam appellatur: est-  
que indivisibilitas in plures essen-  
tias genere, vel specie diversas.  
Tertia est unitas *universalis*, quæ  
dicitur etiam *unitas rationis*, aut  
*præcisionis, & formalis intentionalis*:  
illa scilicet, quæ plura individua  
fiunt una species, aut plures spe-  
cies unum genus. De his multa in  
decursu.

4 Notandum insuper, quòd  
fundamētum ad unitatē rationis,  
vocari solet unitas; ut cūm Aristo-  
teles ait, relationes primi generis  
in *unitate* fundari. Tūc autē su-  
mitur unitas pro reali cōveniētiā  
plurium; quæ, dum conveniunt  
in substantiā, dicuntur habere rela-  
tionem *identitatis*; dum in qualita-  
te, relationem *similitudinis*; dum  
in quantitate, relationem *æqualita-  
tis*. Hæc tamen identitatis & uni-  
tatis acceptio valdè impropria est,  
cūm importet veram pluralitatē,  
realēque relationem extremorum:  
unitas quippè verè talis directè  
opponitur pluralitati, ut identitas  
distinctioni.

5 Dividitur Identitas in *rea-  
lem, & rationis*. Realis est, quæ re-  
bus

bus cōvenit independēter ab operatione Intellectūs. Rationis est, quæ a certo quodam rationis actu provenit, vel in eo consistit. An, & quas utraque species habeat, commodius explicabitur postmodum circa distinctiones utrique oppositas. Nunc moneo, identitatem realem formalitèr, id est, verè & propriè, existere a parte rei, etiam cogitante nemine. Intellectus enim per actus directos identitatem pro objecto respicit, quoties affirmat aliquid. Et alioqui nulla res propriè esset eadem secum, nisi dum cognoscitur.

6 Non possumus quidem identitatem realem concipere, vel affirmare, nisi exercitè concipiēdo extrema quasi duo, referendoque unum ad aliud, etiam cum dicimus *Homo est homo*, vel, *est idem secum*. Sed aliud est relatio identitatis, aliud identitas ipsa realis: prima non datur ante opus mentis; altera verò datur a parte rei, nec distinguitur a re, cujus est.

7 Distinctio ex diametro opponitur identitati: quare modo opposito describēda est. Consistit igitur distinctio in eo, *quod unum non sit aliud*: vel, ut magis ad normam definiendi loquamur, distinctio est *Carentia unitatis in entitate*; aut etiam *Capacitas verificandi propositionem negativam unius de alio, saltem si prædicatum sumatur in re cō & substantivè*.

8 Ex adverso identitatis potest distinctio esse vel *individualis*, vel *essentialis*, vel *formalis inten-*

*tionalis*. Sed immediatius dividitur distinctio in *realem*, & *rationis*. Realis dicitur, quæ rebus convenit independenter ab esse cognito. Rationis vocatur, quæ rebus non cōvenit nisi ut cognitis per cōceptus inadæquatos, & præcisiivos. De distinctione rationis postea fusiùs.

9 Nunc observa, sæpissimè pro eodem accipi *distingui*, *differre*, & *esse diversum*: quamquam præse loquēdo, *distingui* dicuntur, quæ non sunt idem; *differre*, quæ, cum in aliquo genere prædicamētiali conveniant, specificè discrepant; *esse diversa*, quæ in nullo genere prædicamētali cōveniunt: hæc specialiter dicuntur *primò diversa*. De cæt. ro diversitas generatim vocatur dissimilitudo quævis.

10 Tria sunt signa certissima distinctionis realis, quorum quodlibet sufficit, etiamsi alia defint. Primum est realis productio; quæ necessariò arguit realem distinctionem producentis a producto: nihil enim potest sibi dare esse, saltèr per primam productionem. Alterù lignum est realis separabilitas, qua scilicèt potest unum extremum sine alio existere in certo loco, aut tempore: nihil enim potest separari a semetipso, vel existere in loco, aut tempore sine se; alitèr posset idem simul esse & non esse aliquando, aut alicubi, quo nihil repugnantius. Et hæc ratio tenet, si ve separabilitas mutua sit, si ve nō mutua. Tertiù signū est quælibet relatio realis, ut similitudinis, æqualitatis, dominij, &c.: necessa-

riò quippè requirit extrema realiter duo.

11 Distinctio realis dividitur 1. in *positivam*, & *negativam*, & *mixtam*, juxta indolem extremorum. Positiva est, quæ datur inter vera entia realia, ut inter Solem, & Lunam: negativa, quæ versatur inter extrema ficta, vel inter carèntias entium, quas vocant entia negativa, ut inter cæcitatē, & surditatē: mixta, quæ datur inter extremum positivum & negativum, ut inter lucem & tenebras, vel inter visum & cæcitatē. Alio sēsu vocari potest distinctio negativa, quæ consistit in puro defectu idētitatis actu exercite inter extrema secundum se positiva, sed non actu existentia, ut inter animal, & rationale Antichristi.

12 Dividitur 2. in *adequatam*, & *inadequatam*. Distinctio adæquata est distinctio secundum totum esse; cujusmodi est inter Petrum, & Paulum, vel inter Hominem, & Angelum. Distinctio inadæquata est, quæ non afficit totum esse utriusque extremi, sed locum relinquit idētitati secundum aliquid. Talis datur inter totum & partes singularim acceptas, ut inter hominem & animam; & hæc etiam dicitur *distinctio includentis & inclusi*.

13 Distinctio positiva subdividitur in *realem absolutam*, & *realem modalem*. Absoluta est, quæ versatur inter duas res, quarum neutra est modus alterius, ut inter lapidem & aurum. Modalis est, quæ

inter rem, & modum ejus intervenit. Est autem *Modus*, ut in præsentibus sumitur, tenuis quædam entitas, cujus totum esse consistit in ultimâ determinatione rei ad aliquod minus obeundum, vel ad aliquam denominationem, sine quâ (saltē in individuo sumpta) res eadē potest existere absolutē. Talis est v. g. unio animæ rationalis cū corpore. Hinc datur non mutua separabilitas inter rem & ejus modum: potest enim res existere sine modo, v. g. anima sine unione; modus autē nullā potentiā existere valet sine re.

14 Sunt, qui nolint, ut modalis distinctio dicatur absolutē *realis*, sed reali minor. Merito quidē, si distinctio denominetur ab extremis: nam, sicut modus ipse, licet non sit nihil, nec ens rationis; tamē ob exilitatem non dicitur absolutē *res*, sed *modificatio rei*; ita modalis distinctio non dicitur absolutē *realis*, id est, rei à re. Omnino tamen realis est in excludēdo identitatem realem: cum enim res possit existere pereunte modo, repugnat penitus, quod sit realiter idem cum ipso; alioqui posset existere sine se, vel simul esse & nō esse. *Inter Gradus metaphysicos ejusdem rei nulla est distinctio realis.*

15 **G**radus metaphysici dicuntur ea prædicata, quibus gradatim ascēdimus ab intima ratione individui, velut a basi, ad supremam usque rationem entis: v. g. in Petro hæc prædicata, *homo, animal, vivens, corpus, substantia, ens*, in quibus etiam includantur

prædicata differentialia, ut *rationalē, sensibile, &c.*; nam homo includit genus *animal*, & differentiā *rationalē*, & differentiā *sensibile*: sic accidit in alijs. Petrus etiam includit naturam specificam hominis, & differentiā individualem, sive hæccitatē, quæ est *Petreitas*.

16 Quod ergo inter hujusmodi prædicata, seu gradus, nõ datur distinctio realis absoluta, probant, aut supponunt Peripatetici omnes contra quosdam in Logic. fusior. citatos. Probatur breviter. Quodlibet ex his prædicatis verè affirmatur de alijs in sēsu reali: verè quippè dicimus, *Petrus est homo, Homo est animal, Animal Petri est rationale*. At ea realiter indistincta sunt, quorum unum realiter est aliud.

17 Respondent Adversarij, gradum unum de alio prædicari, nõ substantivè, sed adjectivè. Undè, cum dicitur, *Homo est animal*, sensus est, *Habens humanitatem, est habens animalitatem*: quæ veritas benè cohæret cū reali distinctione formarum à subjecto, & inter se; sicut in hac prædicatione, *Album est dulce*. Sed contra 1.: ergo prædicata essentialia, in quibus tota subjecti essentia consistit, eidem subjecto adjacent instar formarum accidentium; quo nihil absurdius. Contra 2.: quia, si Petrus non est substantivè homo, nec animal, &c. consequenter non erit substantia, nec accidens, imò nec erit substantivè creatura, nec ens: in omni-

bus enim gradibus eadem ratio militat.

18 Adde, quòd animalitas, & rationalitas hominis non sunt partes realiter distinctæ, quatenus resident in animâ rationali; hanc enim non esse ex partibus cõpositam, sed realiter omninò simplicē, certum inter Catholicos est: aliundè nec distinguuntur prout includit corpus; nemo enim partes corporis distribuit inter animal & rationale. Nulla igitur ex parte distinguitur. Undè facilè percipiet tyro, quòd, licèt realiter distinguatur in homine corpus & anima, tamen rationale & animal hominis est idem realiter: tam enim *animal*, quàm *rationalē*, est nomen totius ejusdem compositi, corpus & animam includentis.

19 *Objic.* S.S. Ecclesiæ Patres hortantur, ut gratias Deo agamus, quòd nos fecerit homines, & non pecudes, lapides, aut arbores: ergo natura nostra conjungi potuit cū hæccitate pecudis; aliter quorsū gratiarum actio? Distinguitur ergo ab hæccitate, quæ habet in nobis.

20 *Resp.* Gratias debemus Deo, quòd cum naturam aliquam producturus esset, nostram potius, quàm pecudis, aut lapidis produxerit. De cetero, tam chymericum est, quòd natura hominis conjungatur cum differētiâ specificâ, vel numericâ lapidis, quàm quòd homo sit lapis, vel sit homo non homo. Objectiones alias mox diluemus circa distinctionem Scoticam.

## CAP. II.

## EXPLICATUR, ET REJITUR

*Distinctio formalis ex  
naturâ rei.*

21 **A**uthores nostri cum Thomistis distinctionem positivam actualem, quæ actu distinguit extrema ante operationem Intellectus, putat ubilibet esse æqualem, nec in genere Distinctionis admitere magis & minus; si illos excipias, qui distinctionem modalem aliquatenus minuunt, de quo suprâ. At Scotistæ cum suo Subtili Doctore distinctionem actualem, quæ ab Intellectu non pendet, subdividunt in *realem entitativam*, sive *absolute*, & *strictè realem*, & in *formalem ex naturâ rei*.

22 Istarum *primam* intercedere dicunt inter *rem & rem*, undè trahit nomen *simpliciter & absolute realis*; & sub hoc membro comprehendunt etiam distinctionem modalem. *Secundam* esse docent, quæ distinguit inter se *formalitates* ejusdem rei. Nomine *formalitarum* intelligunt prædicata metaphysica ejusdem rei, vel individui, quæ diversas quidditates, & cõceptibitates objectivas habent, suntque metaphysicè incompleta, & ordinabilia ad constitutionem unius compositi metaphysici.

23 Distinctio ista formalis, juxta suos Authores, major est distinctione rationis, cum actualiter detur in rebus ante opus mētis: minor tamen distinctione strictè realis; tum quia nõ distinguit rem à re, sed unam formalitatē ab alia; tum

quia cohæret, immò necessariò cõjungitur cum identitate reali strictâ; formalitates enim, quas distinguit, sunt una, & eadem res.

24 Hujusmodi autem distinctio formalis investigatur, inquirunt, ex *definitione*, seu *descriptione*, ex *exclusionem*, & ex *reduplicatione*: id est, tunc duo distinguuntur formalitèr ex naturâ rei, cum diversimodè definiuntur, aut unam excludit alterum à sua quidditate formali, aut uni in quantum tali convenit aliquid, quod alteri in quantum tali non convenit; suppositâ semper inseparabilitate ab intrinseco, quæ necessariò importat, aut supponit identitatem strictè realem.

25 Sic igitur explicata distinctio Scotica ponitur à suis Authoribus inter gradus metaphysicos cujusvis individui, inter Genera, & Differentias, inter naturam, & hæccitatē; immò & ad Divina trasferitur. Sed rejicitur communiter in Scholâ nostrâ, & Thomisticâ, plurimis argumentis, è quibus modò seligam unum, aut alterum.

26 *Arg. I.*: animalitas, & rationalitas hominis, si distinguuntur actualiter ante operationem Intellectus, non habent inter se identitatem strictè realem, ideòque strictè realiter distinguuntur. Sequela hæc etiam Scotistis absurda est: sed probatur. Si animalitas, & rationalitas Petri distinguuntur actualiter ante opus mentis, verè sunt à parte rei extrema duo positiva; quorum unum reverâ non est aliud, sed potest

test de alio verè negari, siquidem diversas in re quidditates habent juxta Scotistas.

27 Hoc autem omninò pugnat cum idètitate strictè reali. Tū quia realis identitas communi sensu hominum consistit in eo, quòd unum re ipsa sit aliud, ideòque in utroque sit unitas essentiæ, vel entitatis. Tum quia A., & B., esse realiter idem ipsum, & tamen à parte rei A. non esse B., tam videtur in terminis implicare, quàm A. non esse idè secum ipso à parte rei, seu non esse id ipsum quod est. Tum quia unū esse aliud à parte rei, omninò pugnat cū distinctione strictè reali: ergo pariter è cōverso.

28 Dices: distincō Scotica non facit unum non esse aliud *realiter*, aut *simpliciter*, sed solū *formaliter*, eo quòd extrema non sint propriè *res*, sed *formalitates*, *realitates*, & *aliquitates* ejusdem rei. Sed *rejicietur* 1.: quia nec modi sunt *res*; & tamen juxta Scotistas distincō inter duos modos, vel inter modum, & rem, verè realis est. 2.: quia rationalitas hominis, & rugibilitas leonis, puræ formalitates sunt; & tamen secundū esse quidditativum, & formale, realiter distinguuntur inter se.

29 3.: quia gratis, & sine causā negatur gradibus metaphysicis nomē *res*. Si enim relationes, si modi omnes, si formæ accidētales, si partes cōpositi physici, verè sunt *res* quoad terminandum distincōnem strictè realem; cur nō mereatur *res* appellari humanitas Petri,

prout cōdistincta formalitèr à Petreitate? cū sit tota Petri substantia, immò tota ferè perfectio; Petreitas enim ex se vix perfectionem importat.

30 4.: quia (ut recursus Adversariorum præcludamus) non obstat *in primis* incompletio graduum, & ordinabilitas ad constituendum unum compositum metaphysicum. Nam, si materiæ, & formæ incōpletio, & ordinabilitas ad constituendum unum compositum physicum, sinit eas esse propriè *res*, & inter se distinguui *realiter*; cur nō idem dicis in gradibus, qui per te non minùs verè sunt plures entitates à parte rei, & quidditates habent se se invicè excludentes? Sane in tuis principijs nullū apparet discrimen, nisi de solo nomine, inter partes compositi physici, & metaphysici.

31 Nec deindè obstat inseparabilitas graduum inter se. Nā cur magis inseparabiles erunt partes metaphysicæ, quā physicæ? Si respondeas: quia realiter idemificantur: principiu petis. Hæc enim ipsa realis identitas est, quam toto argumento impugnamus, ut infociabilem cum tuā distincōne formali. Præterea, juxta Scotistas cōmuniter (ut videbimus Disp. seq.), nec humanitas Petri ex se repugnat separari à Petreitate, nec Petreitas ab eà humanitate, cui de facto cōjungitur; adeòque non sunt inseparabiles ab intrinseco. Cur ergo non po erunt saltè de potentiā Dei absolūtā separari.

32 Frustrá verò dixeris, esse ab intrinseco inseparabiles ratione compositi, quod cõstituent. Compositum namque metaphysicum non distinguitur à suis partibus simul sumptis, ut in præsentì supponunt Scotistæ, adeoque in toto Petro non est aliquid præter humanitatẽ, & Petreitatem, quibus nulla competit inseparabilitas ab intrinseco. Quòd verò totum compositum stare nequeat sine partibus nõ separatis, nimis verum est; sed hoc ipsum convenit cõposito physico.

33 Denique non obstat defectus propriæ existentia, aut productionis, quasi gradus metaphysici non existant, aut producantur immediatè, ac ratione sui, sed solum ratione individui; & idcirco non sint propriè *res*. Non, inquam, hoc obstat. Tum quia plurimi Scotistæ tot existentias multiplicant, quot gradus; ex quo sequitur etiam multiplicatio productionũ. Certè argumenta pro distinctione Scotica inter animal, & rationale Petri, æquè probant distinctionem inter existentias, vel inter productiones utriusque gradus; ut applicanti liquidum erit.

34 Tum insupèr, quia, cum Petrus metaphysicè nõ sit aliud ab humanitate, & Petreitate simul, ut nupèr aiebam; vel existit & producitur immediatè ratione solius Petreitatis, vel simul etiã ratione humanitatis. Si hoc secundum dicas: ergo humanitati verè convenit ratione sui existentia & productio. Si primum: ergo saltè Petreitas, for-

malitèr sumpta, propriè *res* est: ergo à fortiori *res* erit humanitas, quæ multò plus habet realitatis.

35 Arg. 2. Humanitas Petri nõ distinguitur ex naturã rei à singularitate, seu hæcceitate numerica: ergo idem de cæteris gradibus tenendum. *Prob. Antec.* Humanitas Petri secundum suum esse quidditativum, realiter distinguitur ab humanitate Pauli, & aliorum hominum; ut concedunt plerique Scotistæ; & oppositum quàm sit absonum, patebit Disp. sequ. : sed non distinguitur genericè, nec specificè, ut est evidens: erg. purè numerice: ergo secundum suum esse quidditativum, habet esse hanc, & nõ aliam, facereque numerum cum aliis ejusdem speciei. Hoc autem est munus proprii hæcceitatis numericæ, singularitatis, individuationis. Alia argumèta dedimus in Logic. infior.

## CAP. III.

## ARGUMETA SCOTISTARUM

soluta.

36 **O** Bje. 1., & principaliter: animal & rationali hominis cõveniunt à parte rei prædicata ex se cõtradiçtoria; nam animal est ratio assimilandi hominem equo; rationale verò nõ item, cum potius sit ratio dissimilandi: sed talia prædicata cõvenire nequeunt, nisi subjectis verè distinctis ante operationem Intellectus: ergo inter animal & rationale hominis vera distinctio est independens ab Intellectu; quæ, cum non sit strictè realis, erit formalis ex natura rei.

Hæc

37 Hæc obiectio *instatur* 1.: quia probat contra Scotistas distinctionem strictè realem inter animal hominis, & rationale, cum in sensu strictè reali conveniant ipsis ea prædicata. Instantiam hanc, & formam objectionis, ut à me propositam in *Logic. fusio.*, novissimè carpit Scotista perdoctus, quasi confundentem *quod cum quo*, contra mentem & terminos Scotistarum: quippè qui rationale, vel animal, sumptum pro toto homine, nõ ponunt tamquàm rationè assimilandi, vel dissimilandi, sed tamquàm subiectum, *quod cõvenit cum equo per animalitatem*, & ab eo differt per rationalitatem, quæ sunt homini rationes conveniendi, & differendi, & sumptæ in abstracto non sunt strictè *res*, sed *realitates*, & *aliquitates*.

38 Sed Author iste instantiam relinquit insolutam. Cõcedit enim, quòd rationalitas, & animalitas identificantur strictè realitè cum homine, & inter se: undè homo in sensu strictè reali verè, & propriè est animalitas, & rationalitas, adèò que verè, & propriè ratio assimilandi & dissimilandi se ipsū equo, absque ullo discrimine inter *quod*, & *quo*. Concedit item, quòd homo strictè realitè cõvenit cum equo, & strictè realitè differt ab equo.

39 Hinc autem plenè sequitur, quòd *convenire*, ac *differre*, vel *assimilari*, ac *dissimilari* relatu ad equum, simul verificantur de subiecto eodem, nempe homine, in eo sensu, in quo est expers distinctio-

nis, & secum identificat *quod & quo*, videlicèt in sensu physico & strictè reali. Quæro igitur, an prædicata illa cõtradictionem importent? Si abnuas; quid illa proderunt distinctioni Scoticæ? Si asseras; ergo simul dabis *esse & non esse* ejusdè prædicati in subiecto eodè, sive in eo sensu, in quo est prorsus idem, omnisque distinctionis expers, quod apertè repugna. Sumus igitur in causâ pares. Nec hujusmodi contradictionè molit distinctio Scotica; siquidem in sensu strictè reali non facit unum & aliud, sed relinquit subiectum omninò idem.

40 *Instatur* 2. eadem obiectio: quia probat etiam cõtra Scotistas in omni formalitate quantūcūque simplici distinctionè graduum ex natura rei. Nam rationalitas v. g. similis est rugibilitati in ratione *differentiæ specificæ*, simulque dissimilis in ratione *differentiæ humanæ*: Petreitas etiam cum Pauleitate convenit in ratione *differentiæ individualis*, simulque differt in ratione *talis*: atque idem valet inquavis formalitate, quæ in ratione *formalitatæ*, aut *realitatæ metaphysicè incompletæ*, *cognoscibilis*, *definibilis*, *distinctæ à nihilo*, necessariò convenit cum alijs; à quibus tamen in ratione *talis* necessariò discrepat.

41 Negant Scotistæ, nominatim Recentior modò laudatus, quòd ulla sit consonantia, vel similitudo inter differentias, nisi in Intellectu eas imperfectè concipiente: quia scilicèt *differentiæ se totis differunt* idèò-



ideoque vocantur *primò*, *diversæ*. Sed *rogo*, cur homo, & leo sunt à parte rei similes in esse animalis? Cur item Petrus, & Paulus in esse hominis? Non alià certè causà, nisi quia tam leo, quam homo, à parte rei est animal, & utrique propriè convenit nomen *animal*: pariterque tam Petrus, quàm Paulus, reipsà est homo, & nomen *homo* propriè convenit utrique.

42 Atqui evidens est, quòd tam rugibilitas, quàm rationalitas (si ex naturà rei distinguuntur à cæteris gradibus) à parte rei est *differentia animalis*, & hoc nomen utrique propriè convenit; ut etiam quòd tam Petreitas, quàm Pauleitas, reipsa est *individuatio naturæ humanæ*, & nomen *hæcceitas humana* propriè convenit utrique. Vel igitur differentijs hijs concedenda est similitudo à parte rei; vel neganda paritèr homini, & equo, aut Petro, & Paulo.

43 Differant quidem formalitates istæ se totis: sed simul se totis realitèr conveniunt: eodemq̄ modo leo, & homo differunt, & conveniunt se totis in sensu reali. Nulla in hoc repugnantia, ut mòx dicam. Dicuntur autem differentiæ *primò diversæ*, quia in nullo genere, vel specie conveniunt de lineà prædicamentali. Hoc tamèn non tollit veram convenientiam in alijs alteriùs lineæ prædicatis, quæ sint instar generis, & speciei.

44 Nam respectu Petreitatis, & Pauleitatis v. g. *individuatio* ut sic, vel etiam *hæcceitas viven-*

*tis*, aut *animalis*, est instar generis; & *individuatio humana*, instar speciei: licèt fortassis prædicata istiusmodi non propriè dicantur *genus*, aut *species*, quia ratione nostrà formalitèr transcendunt suas talitates; quod nihil detrahit veræ similitudini. Profectò nulla extrema magis *primò diversa* juxta omnes, quam Deus, & creatura: & tamen *Deus cum rebus omnibus similitudinem habet*, & *dissimilitudinem simul*, ut ait D. Thomas I. contr. Gent. c. 29.: & quòd Deus fecerit hominem *ad imaginem*, & *similitudinem suam*, de Fide est.

45 Ex dictis facile repelles alia, quæ Recentior memoratus allegat contra similitudinem differentiarum: v. g. quòd unus homo admittit coexistentiam alterius hominis: Petreitas autem nequit coexistere alteri Petreitati. Hoc nihil est dictu. Quia Petreitas coexistere potest alteri differentiæ individuali: & posità distinctione graduum tam verè datur multiplex hæcceitas naturæ humanæ, quàm multiplex homo.

46 Jam ad *Object.* n. 36. directè resp. Esse aliquomodo simile, ac aliquomodo dissimile alteri, nec involvit contradictionem, nec distinctionem arguit ex naturà rei. Nam similitudo mixta dissimilitudini, est quid transcendens res, & formalitates omnes, quantumcúmque simplices; ut constat ex dictis in 2. *instantià*. Ideò autem similitudo, & dissimilitudo amico fædere sociantur; quia dissimilitudo non destruit id ipsum, quod.

quod similitudo adstruit in eisdem extremis.

47 Patet hoc in materiâ ipsâ objectionis. Animal esse rationem assimilandi hominem equo, significat, utrumque esse animal, sive esse duo animalia: rationale vero esse rationem dissimilandi hominem equo, significat, non esse duo rationalia, sive non utrumque, sed solum hominem esse rationalem. At in his propositionibus, *Homo, & Equus sunt duo animalia, Homo, & non equus, est rationalis*, nulla contradictio est: nam secunda non negat de homine, & equo animalitates, quas affirmat prima, sed de solo equo rationalitatem, quam prima in equo non adstruit; ac proinde non sunt affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, & secundum idem. Pariter ergo nulla contradictio erit in his alijs sensu æquipollentibus, *Animal est ratio assimilandi hominem equo, Rationale non est ratio assimilandi hominem equo, sed potius dissimilandi.*

48 Hinc ad *object. neg. Maj.*, quin obstat adjuncta probatio. Nam ratio assimilandi hominem equo, dum asseritur sub nomine *animal*, & negatur sub nomine *rationale*, non sumitur in eodem sensu, juxta communem acceptionem; sed in sensu valde diverso, & à contradictione libero, ut explicatum est.

49 Quod si utroque nomine significetur objectum, ut est à parte rei; negandum est, quod verificetur aliquid de animali hominis, quod non verificetur de rationali, &

è converso; ut etiam Scotistæ fatentur in sensu physico, & strictè reali. Utrumque igitur à parte rei est ratio conveniendi cum equo, convenientiâ significante, hominem, & equum esse animalia: & utrumque est ratio differendi, differentiâ significante, hominem, & equum non esse duo rationalia: & in eodè sensu utrumque est ratio assimilandi, & utrumque non est ratio assimilandi, sed potius dissimilandi.

50 *Replie.* Petrus à parte rei similior est Paulo, quàm equo: ergo non est similis equo secundum se totam; aliter quomodo posset esse magis similis Paulo? Datur ergo in Petro realitas aliqua, quæ nullatenus sit equo similis. *Insto:* Petrus strictè realiter est similior Paulo, quàm equo: ergo non est similis equo secundum totam suam esse strictè reale; in quo proinde excipi debet, non solum realitas, sed res non similis. Iterum *insto:* Petrus similior est Pauleitati, quàm Bucephaleitati: ergo non est Bucephaleitati similis secundum se totam. Itaque *concess.* *Antec. neg. conf.:* quia tam major, quàm minor similitudo respectu diversorum, fundatur in toto esse reali Petri.

51 Similitudo non dicitur major, aut minor, ex quantitate perfectionis extremorum, sed ex certâ ipsorum indole, quæ fundet plures, aut pauciores conceptus, quibus ab Intellectu nostro univoceatur eadem extrema. Et ex adverso dissimilitudo non dicitur major, aut minor, nisi per ordinem ad concep-

ceptus discretivos, quos fundat. Unde, quia Petrus, & Paulus ita se habent à parte rei, ut fundamentum præbeant Intellectui ad univocandum utrumque, non solum sub cōceptibus genericis (ad quos dumtaxat fundamentum præbēt Petrus, & equus) sed etiam sub infimo conceptu specifico, vel differentiali, nempè *homo*, aut *rationalē*; idcirco à parte rei similitudo Petri ad Paulum dicitur major, quam Petri ad equum. Id tamen fundamentum utrobique præbet tota entitas Petri, licet non sola, sed simul cum termino, cui confertur.

52 Hinc inferes, quod Petrus, & Paulus se totis assimilantur, & dissimulantur invicem; magis tamen sunt similes, quam dissimiles: & licet utriusque similitudo & dissimilitudo realiter idem sint, potest altera dici major, altera minor, absque ulla contradictione. Sensus enim est, quod totus Petrus, totusque Paulus, fundamentum præbent ad plures cōceptus univocos, quam discretivos; non enim inter se discernuntur ab Intellectu, nisi per conceptus individuales, cum univocentur per conceptus, *homo*, *animal*, *vivens*, &c. Nulla est autem contradictio in eo, quod eadem entitas se tota fundet conceptus unius lineæ plures, alterius lineæ pauciores.

53 *Objct. 2.*: animali, & rationali diversæ definitiones correspondent, videlicet *Principium sentiendi*, *Principium discurrendi*: ergo etiam diversæ quidditates. Sed

hæc etiam obiectio *instatur* in quolibet differentia, vel formalitate simpliciter. Pariter enim Petreitas v. g. aliter definitur quatenus est *individuatō talis*, & aliter quatenus est *individuatō naturæ humanæ*, vel quatenus *hæcœcitas numerica*, sub his præcisè terminis. Intellectus etiam aliter definitur ut apprehensivus, aliter ut judicativus, aliter ut discursivus: nec tamē hic agnoscunt Scotistæ distinctionem suam.

54 *Dices*: non semper diversitas definitionum arguit distinctionem Scoticam, sed tunc solum, cum definitiones sunt adæquatæ definito, cujusmodi sunt definitiones animalis, & rationalis; altera enim adæquatè exprimit gradum vitæ sensitivæ, altera gradū vitæ intellectualis.

55 *Sed* nonnè vides à me statim negandum, quod definitiones istæ sint adæquatæ definito, prout est à parte rei? Definitio ista *Principium sentiendi*, exprimit quidem adæquatè gradum vitæ sensitivæ prout substantè conceptui *animali*, qui semper est inadæquatus, utpotè præcisivus: at non exprimit adæquatè gradum hunc, prout est realiter in homine; sic enim eandē essentiam, & realitatem habet cum gradu vitæ rationalis.

56 Immo nec definitio naturæ humanæ in specie per *animal rationale* (licet dicatur adæquata relatu ad Scientias, quæ non curant de differentijs purè numericis) adæquatè exprimit definitum, ut est à parte rei: quia non exprimit individuationem, sine quâ realiter in-

diſtinctà, nullum eſt à parte rei animal rationale, nulla natura humana. Non ergo eſt magis adæquata, quàm ſit Petreitati definitio hæc, *Formalitas contrahens naturam humanam ad indididum*, quæ indifferenter convenit omnibus differētijs hominum purè numericis.

57 *Objic.* 3. Independentèr à noſtris conceptibus exiſtunt *formaliter* in homine perfectiones, quæ alibi realitèr diſtinguantur inter ſe v. g. vita vegetativa, & vita ſenſitiva: in Deo etiam *formaliter* exiſtunt juſtitia, miſericordià, potentia, &c. quæ realitèr diſtinguantur in creatis: ergo tam in Deo, quam in homine perfectiones iſtæ ſunt diſtinctæ *formaliter*: diſtinguantur enim eo modo, quo ſunt, cum unitas, & diſtinctio ſequatur ad eſſe. Hoc etiam probat contra Scotiſtas diſtinctionem ſtrictè realem: cum enim ex perfectiones ſtrictè realitèr exiſtant in Deo, & homine, inibi diſtinguantur ſtrictè realiter, ſiquidem diſtinguantur eo modo, quo ſunt.

58 Concedo igitur perfectiones illas in Deo, & homine exiſtere *formaliter*, id eſt, *non purè virtualiter, aut eminentèr*; quo ſenſu idem ſonat *formaliter ac verè, & propriè, ſeu non metaphoricè*. Sed *neg. conſeq.* non benè probatam; quia perfectiones diſtinguantur quidem eo modo, quo ſunt, ab omni, quod non ſunt; ſed hoc non probat diſtingui inter ſe, donec probetur unam non eſſe alteram.

59 Diſtinctio ſequitur ad eſ-

ſe, diſtinctio ſcilicet ab omni eo, quod non habet idem eſſe. At unde probas, non idem eſſe habere perfectiones illas in Deo, vel homine? Non habent, inquis, idem eſſe *formale*. Concedo, ſi hoc ſumatur pro *eſſe rationis*: nego tamèn, ſi accipiatur pro *eſſe proprio, ac veriſſimo* à parte rei.

60 Si plura deſideras, noſtram adito Logic. fuſior. Interim *nota* 1., quòd, licèt animal à parte rei ſit tota eſſentia hominis, falſò dicitur, *Homo ſolum eſt animal*, ſi tò *ſolum* denotet, animal hominis eſſe à rationali ſeparatum, diſtinctumvè: ſi tamen ea locutio reddat hunc ſenſum, *Homo non eſt aliquid non animal, ſeu quòd non ſit animal*, omninò vera eſt. Et quare ab Scotiſtis, an verè dicatur, *Homo ſtrictè realitèr ſolum eſt animal*?

61 *Nota* 2., quòd à parte rei nulla eſt actualis compositio metaphyſica, nec gradus contrahens, & contrahibilis, genericus, & ſpecificus, communis, & ſingularis: hæc enim omnia ſupponunt diſtinctionem rationis, nec inveniuntur in rebus niſi fundamentalitèr. Si forte inferas: ergo à parte rei natura humana eſt eſſentialitèr ſingularis. *Neg. conſeq.*; quia tò *eſſentialiter* ſonat impræſcindibilitatè à ſingulari, aut excluſionem alterius naturæ ſimilis (hoc ſenſu natura Divina eſt eſſentialiter ſingularis): ſi tamèn ſolum denotet indiſtinctionem actualem à parte rei inter naturam, & ſingularitatem, *conſeq.*

## AN DETUR IN CREATIS

*Distinctio virtualis intrinseca?*

62 **V**irtualis distinctio contraponitur actuali, & non tam est distinctio, quam distinctio æquivalentia, quã nimirum res una multis æquivalet in perfectione, vel in munere aliquo. Hujusmodi æquivalentia spectari potest 1. *in essendo*, quando res una secum identificat perfectiones, quæ multiplicantur in rebus alijs. 2. *in causando*, quando res unica varios præstat effectus, qui præstari solent à multis. 3. *in fundando diversitatem conceptuum*, quando res in se unica fundamentum præbet, ut cognoscatur per conceptus diversos, quibus in mente appareat quasi multiplex: & hæc vocatur *fundamentalis distinctio rationis*, nec non *virtualis extrinseca*. In hac triplici acceptione dari distinctionem virtuales in rebus, extra dubium est.

63 4. denique sumitur virtualis distinctio pro æquivalentiã distinctionis realis *in suscipiendo prædicata intrinseca ex se contradictoria*. Sola hæc in præsentì vocatur *distinctio virtualis intrinseca*: definirique solet, *Capacitas intrinseca unius rei, antecedens operationem Intellectus, ad suscipiendum sine contradictione prædicata intrinseca ex se contradictoria*. Talis ponitur à suis Authoribus inter rationale, & animal hominis; ita ut, licet hæc extrema sint realiter unum, & idem, neque ullam habeant inter se dis-

inctionem actualem à parte rei, habeant tamen intrinsecam virtutem, & capacitatem, ut alterum verè dicatur, & sit à parte rei *simile bruto*, alterum *non simile bruto*, perinde ac si forent duo subjecta realiter distincta.

64 Hin virtualis distinctio differt à Scoticã; quia non est distinctio actualis à parte rei, nec facit, ut rationale, & animal hominis sint actualiter extremaduo, vel duæ formalitates propriè distinctæ ante operationem Intellectus; idèoque non est propriè distinctio, sed umbra distinctionis, ut sæpè admonet P. Lynceus convenit tamen cum Scoticã in eo, quod cohæreat cum idèitate reali, & independentèr à præcisione rationis verificet de subjecto realiter eodem prædicata opposita realia.

65 Sic explicata distinctio ista virtualis, an detur inter Essentiam, & Relationes Divinas, Theologi disputant, nec una est omnium sententia. Nunc solum quærimus an detur in creatis? Sententiæ affirmantis præcipuus Author, & illustrator est Lynceus noster, qui plurimos pro se citat Authores, præsertim Thomistas. Sed amplectenda est sententia negans in Scholâ nostra communis, cui suffragantur, saltem voce tenus, Thomistæ Recetiores cum Colleg. S. Thomæ Compl.

66 *Prob. I.* Repugnat entitati reali capacitas suscipiendi prædicata ex se contradictoria sine ulla verà, & propriã distinctione: ergo repugnat distinctio virtualis. *Prob.*

*Antec.*: repugnat entitati reali capacitas, ut sit chymera; sed ex terminis nulla est chymera manifestior, quam subjectum simul in se conjugens duo contradictoria sine ulla distinctione verè tali: repugnat igitur entitati reali capacitas suscipiendi. &c.

67 Si dicas, eam conjunctionem non esse chymeram, quando datur virtualis distinctio; petis principium. Nam virtualis distinctio nihil est aliud, quam capacitas suscipiendi contradictoria sine ulla distinctione verà, & proprià. Dicere ergo, quòd contradictoria non repugnant in eodem subjecto, dum adest virtualis distinctio, est dicere, quòd non repugnant, dum adest vera capacitas eorum, id est, quòd non repugnant, dum non repugnant. At hoc ipsum quærimus, quomodo non repugnant sine distinctione verè tali?

68 2.: admissa distinctione virtuali, quælibet absurda defendi poterunt impunè, nihilque firmum erit in Philosophiâ. Probatur: quia nulla est efficacior via refutandi absurditatem ab alio invecam, quam deductio duplicis contradictorij. At, qui se munire velit distinctione virtuali, facile quævis contradictoria sine scrupulo devorabit. Nam quâ ratione convinceretur à Virtualistis, qui propugnaret, eandem rem producere se, & produci se? vel produci simul, & non produci? aut existere simul, & non existere? scilicet secundum diversas virtualitates, vel penes esse virtualiter du-

plex. Undè probabis, quòd *existere* excluditur à subjecto per *non existere*, si *esse simile* non excluditur per *non esse simile*?

69 Profectò, cum animal, & rationale à parte rei sint unum, & idem sine ulla distinctione propriè dictà, ut Virtualistæ cōcedunt, si ratio assimilandi hominem equo verè affirmatur de animali à parte rei, & verè negatur de rationali, sequitur, quòd de subjecto propriè uno, & eodem verificatur simul esse & non esse rationem assimilandi hominem equo. At hoc, apertè repugnat principio illi per se noto, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*: quod certè loquitur, non solum de *esse, & non esse absolutè* sed etiam de *esse, & non esse tale prædicatum*, comprehenditque affirmationem, & negationem de tertio adjacente, ut inductione cōstat.

70 Adde, quòd violatur etiam illud principium omninò firmum saltèm in creatis, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Nam rationale, & ratio assimilandi sunt eadem uni tertio, quod est animal: & tamen non sunt idem inter se; siquidem juxta Virtualistas rationale à parte rei verè non est ratio assimilandi. Hæc, & alia non levitèr expensa dedimus in Logic. sup.; ubi etiam responsiones P. Lynce refutavimus.

#### CAP. V.

*Argumenta pro Distinctione virtuali solvantur.*

71 **P**Ræter argumenta cap. 3. soluta, quibus etiam

ntuntur Virtualitæ; *Objic. 1.*, & principaliter ex P. Lynce. Actus contritionis, quo detestamur peccatum propter Deum ut summè bonum, est realiter amor Dei, & odium peccati: sed amor, & odium realiter identificatis in tali actu, cõveniunt à parte rei prædicata contradistinctoria; nam amor terminatur ad Deum, odium autem non terminatur ad Deum, alioqui Deum denominaret *odium habitum*, sicut amor denominatur *amatum*: ergo, &c. Eodem modo probari potest, odium, & non amorem, terminari ad peccatum.

72 *Neg. Min.* cum probatione adjuncta. Nihil enim à parte rei convenit tali amori, quod non pariter odio tali, & è converso. Notanter loquor de *amore tali*, & *odio tali*: quia non datur in actu contritionis amor ut sic, aut odium ut sic, indifferentes ad hanc, vel illam speciem: sed solum inibi datur species odij avertantis peccatum ut contrarium bonitati Dei, & species amoris respicientis Divinam bonitatem ut motivum detestandi peccatum.

73 Tales autem species sunt impræscindibili er una, & eadem, respiciens indivisim Deum ut amabilem, & peccatum ut odibile, adeoque terminata simul ad utrumque objectum, sed alterum denominando *amatum*, alterum *odium habitum*. Quare tam odium, quam amor talis speciei, verè terminatur ad Deum, nec non ad peccatum: Deusque denominatur *amatus* à tali odio, & peccatum *odium habitum* à tali amore, quin permutentur denominationes istæ in objectis.

74 *Replio. 1.*: Deus est subiectum denominabile ab odio: ergo, si odium terminatur ad Deum, necessariò denominatur *odio habitum*. *Prob. consequ.*: quia forma communicata subiecto capaci, præstat illi suum effectum formale: idcirco voluntas ab actu contritionis denominatur *amans*, & *odio habens*: idcirco etiam, quod terminat cognitionem, productionem, unionem, denominatur *cognitum*, *productum*, *unitum*.

75 *Dilb. Antec.*: Deus est subiectum denominabile ab odio qualicumque, *neg.*: ab odio, quod oriatur ex cognitione representante Deum, ut odibilem (quale non est odium contriti, quod potius oritur ex cognitione Dei ut summè amabilis) *conc. antec.* Sed *neg. consequ.* de odio contriti, quin obstet probatio. Nam, dum forma diversos continet effectus formales, diversis terminis, aut subiectis præstandos (ut continere solent formæ intentionales, & modales physice), sicui subiecto, vel quasi subiecto communicatur, præstat quidem ipsi suum effectum formalem, at non omnem, quem continet, sed illum duntaxat, cujus est capax tale subiectum à tali formâ. Deus autem non est capax denominationis *odio habiti* ab odio contriti: quare à tali formâ non suscipit hunc effectum formalem, sed alium in eadem formâ contentum, nempe denominationem *amati*.

76 Exemplum voluntatis nihil probat: quia voluntas est capax utriusque denominationis à tali

li actu suscipiendæ respectu diversorum. Reliqua exempla retorquetur. Nam eadem cognitio sæpè respicit objecta duo, & alterum denominat *formule*, & alterum *materiale*: eadem productio denominat causam *producentem*, & effectum *productum*: eadem unio formam denominat *informantem*, & materiam *informatam*: nec denominationes hæcè permutare licet. Obiter nota, quòd hujusmodi denominationes, licèt ab eadem formà proveniant, realitèr inadæquatè distinguuntur, utpotè includentes etiam subjectum: quare potest una, & non alia præstari subjecto alicui, sine contradictione.

77 *Replie.* 2. si odium contriti terminantur ad Deum; ergo est odium Dei: vel, si non est; ergo in eodem actu amor est Dei, & odium non est Dei, quæ sunt contradictoria. *Neg.* 1. *conseq.*: quia nomen, *odium Dei*, communi usu loquentium indicat speciem odij, non utcumque terminati ad Deum, sed tendentis in Deum sub ratione odibilis; hæc autem odij species non invenitur in actu contritionis. Tum *dist.* 2. *conseq.*: amor est Dei, & odium non est Dei amor, *neg.* & odium non est Dei odium, *conc.* *conseq.* Nulla hic umbra contradictionis: quia tam de odio, quam de amore contriti, verificatur esse Dei amorem, & de utroque pariter non esse Dei odium, id est, non identificari cū illà odij specie, quæ appellatur *odium Dei*.

78 *Replie.* 3. : hæc proposi-

tiones, *Contritio est amor Dei*, *Contritio est odium Dei*, solum differunt penès voces *amor*, & *odium*; sed voces istæ per nos idem significant sine ullà distinctione à parte rei: ergo, si prior propositio vera est, debet etiam vera esse posterior. *Dist. Min.*: illæ voces idem significant, quando alteri apponitur obliquum *Dei*, alteri obliquum *peccati propter Deum*, *conc.*; quando utriusque apponitur obliquum *Dei*, *neg.* *Min.* & *conseq.*: ut enim modò notavimus, vox hæc, *odium Dei*, significat speciem odij longè diversam ab eà, quam denotat vox, *odium peccati propter Deum*; & hæc secunda species odij sola est, quæ in contritione reperitur identificata cum amore.

79 *Objic.* 2. in Angelo Substantia, & perfectio virtualiter distinguuntur: nam Angelus in perfectione excedit hominem, quem non excedit in substantià; ut enim dici solet, substantia non recipit magis, & minus. *Resp.* Angelus in sensu reali excedit hominem in substantià: est enim substantia melior, & perfectior. Dicitur autem Substantia non recipere magis, & minus; quia non intenditur, & remittitur in eodem subjecto gradatim, sicut Qualitas.

80 Sed aliter objectio *instauratur*: similitudo duorum Angelorum inter se, realiter cum eorum excitativà perfectione identificatur: & tamen similitudini, & perfectioni conveniunt contradictoria. Nam similitudo duorum Angelo-



rum (ponimus, eos esse ejusdem speciei) est id, in quo duo Angeli non excedunt duos homines: tam enim sunt inter se similes duo homines, quam duo Angeli: perfectio autem entitativa est id, in quo duo Angeli proculdubio excedunt duos homines.

81 *Resp.* Nulla in his contradictio: quia excessus, & non excessus, prout hic accipiuntur, diverso sensu procedunt. Illa similitudo Angelica eatenus dicitur non excedere humanam, quatenus non plures fundat conceptus univocos; nam per ordinem ad hoc genus conceptuum similitudo vocatur major, aut minor, ex dictis cap. 3. Perfectio autem Angelica eatenus humanam excedit, quatenus est objectum excellentius. At quænam, rogo, est contradictio in eo, quod duo Angeli totidem sibi fundent conceptus univocos, quot sibi fundant duo homines; suis tamen conceptibus offerant objectum excellentius? Hoc in sumâ est, eos conceptus non esse plures, esse tamen melioris objecti.

82 De cætero, excessus, aut non excessus, qui convenit perfectioni, eodem sensu convenit similitudini, & è converso: nam utraque excedit excessu significatæ Angelos esse melius objectum; & utraque non excedit excessu significante, Angelos fundare plures conceptus univocos. Alia, quæ Lynceus objicit, soluta invenies in Logicis.

Corollarium.

83 **A**D extremum advertente oportet, tam Scotistas, quam Virtualistas, frequenter ad mysterium Trinitatis Divinæ recurrere, tum ut suas probent distinctiones, tum ut argumenta, quæ opponimus, instent. Certum quippè est, Divinam essentiam realiter identificari cum Relationibus; & nihilominus de Essentiâ, & Relationibus verificari quædam prædicata in speciem contradictoria, v. g. *Essentia communicatur, Paternitas non communicatur; Filiatio producitur, Essentia non producitur.*

84 Sed verò importunè hinc arguitur ad res creatas. Tum quia propter ejusmodi contradictoria mysterium Trinitatis censetur incognoscibile solo naturæ lumine, nec aliter creditur, nisi captivando Intellectum in obsequium Fidei. At nec similem captivitatem exigunt Adversarij pro rebus creatis; nec, si exigent, Philosophos agerent.

85 Tum quia talia prædicata non verificantur in Trinitate sine distinctione reali in tertio; non enim posset Filiatio realiter produci, & Essentia realiter non produci, nisi Filiatio realiter distingueretur à Patre, à quo non distinguitur Essentia. At nullus Scotista, vel Virtualista in creatis admittit realem duorum distinctionem in tertio sine reali distinctiône inter se.

86 Tum quia ad verificanda contradictoria in sensu reali absoluto, non sufficit distinctio nec formalis ex naturâ rei, nec purè vir-

tualis, ut fatetur P. Lynce, videtur que evidens. Illa autem prædicata Divinæ Triados realiter absolutè verificantur. Tum quia recursu isto defendere quis posset, in homine v. g. rationale produci, animal non produci, vel etiam rationale distingui realiter ab equo, animal non distingui realiter ab equo. Id autem cunctis Adversarijs foret absurdum.

87 Itaque distinctio virtualis (idem à fortiori dicito de distinctione Scoticá), vel omninò neganda est in Divinis, ut re ipsá negatur à pluribus Theologis; vel non debet admitti pura, sed involvens in suo conceptu distinctionem realem in tertio; proindèque relegari debet ab alijs prædicatis Divinis præter ea, quæ propria sunt Trinitatis; & insuper sic restringenda est, ut non sit capacitas ad quælibet prædicata ex se contradictoria sed ad ea tantum, quæ Fides docet, vel ex doctrinâ Fidei planè colliguntur; addendumque, talia prædicata nõ cohærere nisi in subjecto illimitato, & infinitè perfectò, nec nisi in eo sensu, quo tale subjectum superat humanum captum. Hoc minus

CAP. VI. *Explicatur distinctio rationis, & opposita Unitas, vel Identitas.*

88 **D**istinctio rationis, ut nunc accipitur, illa est, quæ per rationem, id est, per operationem Intellectus, fit inter extrema realiter indistincta, v. g. inter rationale & animal hominis, dum alterum quodammodò cognoscitur sine altero, vel redditur

ab altero diversum in esse cogniti. Sic per conceptum *animal*, objectum sensitivum quodammodò in mente existit sine rationali; quia potest commodè explicari tota illius conceptus energia, quin dicatur, objectum esse rationale. Similiter per hos duos conceptus, *animal*, *rationale*, simul habitos, objectum sensitivum, & discursivum apparent diversa; quia tota utriusvis conceptus energia diversimodè explicatur, videlicet per ordinem ad diversas operationes, sentiendi, & discurrendi, quin alteruter conceptus subsidium petat ab altero.

89 Triplex distinctio rationis circumfertur. Nam alia dicitur distinctio *rationis ratiocinatae*, quæ scilicet fundamentum habet in objecto, ex quo fundamento elici possint circa objectum realiter idem plures conceptus inter se diversi, quorum singuli non exhauriant totam objecti cognoscibilitatem, etiã quoad nos. Alia vocatur distinctio *rationis ratiocinantis*, quæ scilicet fundamentum caret, fitque vel per conceptus synonymos, vel per iterationem ejusdem conceptus, ut inter subjectum & prædicatū propositionis identicæ, v. g. *Homo est homo*. Hæc non est propriè distinctio, etiam in lineâ rationis.

90 Alia demum appellatur distinctio *penès implicitum*, & *explicitum*, quæ nimirum fit per conceptus, non reddentes objectum diversimodè definibile, sed quorum unus est explicatio alterius, vel ad ejus explicationem & quasi medullam

lam pertinet; ideoque dicitur ob-  
jectum unius in objecto alterius  
contineri formaliter *implicitè*. Talis  
distinctio fit v. g. per hos duos  
conceptus, *homo*, *animal rationale*,  
qui differunt penes majorem, & mi-  
norem explicationem, non tamèn  
penes medullam, ut ita loquar; cum  
alter sit explicatio medullæ in alte-  
ro involuta. Sed nec ista est distinc-  
tio propriè talis in lineâ rationis: ni-  
hil enim frequentius, quàm identi-  
tatem formalem, sive rationis, ag-  
noscere inter definitionem & defi-  
nitum. Quare de sola distinctione  
*rationis ratiocinatæ* deinceps dis-  
curremus.

91 Igitur distinctio ista divi-  
ditur in *fundamentalem*, & *actua-*  
*lem*, sive *formalem*. Fundamentalis  
(de quâ inferius) non tam est dis-  
tinctio, quàm fundamentum dis-  
tinctionis, quod occasionem præbet  
Intellectui ad distinguendum. Act-  
ualis, sive formalis, est quæ per  
actus intellectus actualiter fit. Hæc  
alia dicitur *præcisiva*, alia *positi-*  
*va*. Utraque fit per conceptus præ-  
cidentes; atque adeo utraque in  
hoc sensu præcisiva est.

92 Sed specialiter *præcisiva*  
dicitur, quæ fit ab Intellectu con-  
cipiente unum rei prædicatum, ni-  
hil tunc cogitando de aliis ejusdem  
rei prædicatis quâ talibus. Sic, po-  
sito solo conceptu *animal*, manet  
animal in mente distinctum à ratio-  
nali pure præcisivè. Hæc distinctio  
vocatur etiam *incompleta*; quia ex-  
pectat conceptum alium, ut com-  
pletatur in mète dualitas extremo-

rum. Poterit quoque vocari *nega-*  
*tiva*, vel *mixta*, sicut realis distinc-  
tio rei existentis à non existente.

93 *Positiva*, quæ etiam *com-*  
*pleta* dicitur, tum fit, cum duo, vel  
plura prædicata ejusdem rei simul  
apparent, unumquodque proprio  
conceptu, ut cum Intellectus hos  
duos conceptus *animal*, *rationale*,  
simul habet: tunc enim positivè, &  
completè ponitur in mente duali-  
tas quædam extremorum.

94 Sed, quoniam diximus  
distinctionem rationis fieri per cõ-  
ceptus inter se diversos, quæres,  
quanta esse debeat diversitas con-  
ceptuum? *Resp.* Distinctio rationis  
requirit conceptus ita dissimiles, ut  
reddant extrema diversimodè defi-  
nibilia, nec alter conceptus per al-  
terum, nec per ejus explicationem  
definiatur. Ut enim passim docet ex  
Aristotele D. Thomas, idem sonat  
*formalis ratio* alicujus objecti, ac  
*definitio* ejusdem; & tunc dicitur  
unum esse *de ratione* alterius, cum  
ponitur in *definitione* illus; aut esse  
*extra rationem*, cum est *extra defi-*  
*nitionem*. Illa igitur prædicata pro-  
priè distinguuntur *ratione formali*,  
quæ differunt *definitione*: ergo con-  
ceptus, qui reddunt prædicata di-  
versimodè definibilia, propriam  
efficiunt distinctionem rationis.

95 Sed notandum, quod sua  
quoque *ratio formalis* convenit his  
prædicatis, quæ nequeunt strictè de-  
finiri per genus & differentiam pro-  
priè dictam; cujusmodi sunt, supra-  
ma genera, & attributa Divina. In  
his ergo *ratio* sumitur pro defini-

tionelate sumptâ, id est, pro expressione, qua detegitur quidditas talium prædicatorum, prout substantiarum vulgari cujunque nomine, vel usitato conceptu.

96 Nec distinctioni rationis obstat, quòd in definitione unius prædicati fiat mentio alterius in obliquo, seu per modum connotati, ut cum *Petreitas* definitur, *ultima differentia contractiva hominis ad hoc individuum*: ubi fit quidem mentio *hominis*, sed in obliquo, & tamquam termini connotati, eo ferè modo, quo Deus ponitur in definitione creaturæ ut talis, & objectum in definitione sciëntiæ, vel artis. Stat ergo distinctio rationis, dummodò unus conceptus, nec per se, nec per explicationem sui, ingrediatur definitionem alterius in recto. Vel, quod eodem redit, stat distinctio rationis inter A. & B., dummodò ad explicandum, quo jure, vel quo titulo objectum A. mereatur hoc nomen, non sit necesse dicere, *A. est B.*

97 Porro diversitas conceptuum de eodem objecto, diversas importantium definibilitates, aut definitiones, fundamentum habet multiplex, & varium pro varietate objectorum. Sæpè fundatur in fæcunditate objecti ad operationes valde inter se diversas: sæpè in æquivalentiâ perfectionis objecti ad perfectiones multas alibi dispersas: sæpè, immò ferè semper, in reali similitudine, simulque dissimilitudine talis objecti cum aliis: interdum etiam, in tenuitate, vel remissione specierum intentionalium; sicut ac-

cidit, cum homo procul visus mittit speciem primò ad conceptum *corpus*; tum propius accedens, ad conceptum *animal*, deinde ad conceptum *homo*; ac demùm ad conceptum *Petrus*. In quolibet ex fundamentis hisce, simul cum imperfectione Intellectûs humani, qui nequit unico intuitu totam rei perfectionem exactè percipere, sicut *Divinus*, aut *Angelicus*, consistit *fundamentalis distinctio rationis*.

98 Ex dictis facilè colliges, quid sit rationis Identitas. Est etenim conceptus (sive unus, sive multiplex), quo constituitur objectum uniformiter definibile, id est, excludens diversitatè expressionum, quarum altera non explicetur per alteram, nec per ejus explicationem. Quare prædicatum A. esse idem ratione cum prædicato B., est esse definibile per B., seu non posse explicari, quin dicatur esse B. Hæc identitas, apud Authores negantes distinctionem Scoticam, vocatur *Identitas formalis*; sicut etiam distinctio rationis appellatur *distinctio formalis*; undè passim pro eodem accipitur *distingui formalitèr*, ac *distingui ratione*, & *esse idem formalitèr*, ac *esse idem ratione*.

99 Sufficit autem ad identitatem formalem definibilitas mediata, ita ut, si A. definiatur per B., & B. per C. & hoc per D., formalitèr identificetur A., non solum cum B., sed etiam cum C., & D. Idcirco formalitèr imbibit *homo* prædicata omnia superiora. Tam identitas, quam distinctio formalis, potest

test esse vel mutua, vel non mutua: nam sub iis conceptibus *homo, animal*, datur identitas hominis cum animali non mutua, simulque distinctio animalis ab homine non reciproca.

100 **Unitas formalis**, sive rationis, recurrit cum identitate formali nunc explicatâ. Sæpè cõvenit objectis realiter indistinctis: sæpè etiam realiter pluribus, per conceptum à pluralitate præscindentem, sub quo redduntur omnia uniformiter definibilia. Sic conceptus *homo* est unitas formalis omnium individuorum naturæ humanæ in ratione *hominis*, & conceptus *animal* est unitas formalis brutorum & hominis in ratione *animalis*. Huic unitati contraponitur pluralitas rationis, quæ fit per distinctionem rationis completam, & mutuam, vel etiam per expresionem pluralitatis realis ut talis.

101 Supposuimus hætenus, distinctionem rationis cõsistere in ipsis conceptibus præcisivis, atque adeò extrinsecam esse objectis. Duplicet hoc Thomistis, qui putant, distinctionem rationis esse fictam, & objecto intrinsecam. Sed, præter dicta Tract. I., Disp. 2. cap. 4. & 5., istiusmodi fictio refutabitur Cap. sequ.

## CAP. VII.

*Utrum per objectivam præcisionem, an per formalem dumtaxat, fieri possit distinctio rationis?*

102 **P**Ræcisionis nomen, à materiali scissione derivatum, tribuitur illis actibus

Intellectis, qui ex prædicatis realiter identificatis unum sibi quodammodo decerpunt, ac repræsentant, omittis alijs. Quod si cognitio præcisiva ita unum attingat prædicatum objecti, ut cætera realiter identificata verè relinquat incognita, & intacta, vocatur *præcisio objectiva*, sive *præcisio ex parte objecti*. Si verò cognitio attingat reipsâ totam realitatem objecti, sed adeò tenui repræsentationis claritate, ut vi illius perinde appareat objectum, ac si unicum prædicatum haberet, appellatur *præcisio formalis*, sive *præcisio ex parte actûs*, vel *ex parte modi*.

103 Sic v. g. cognitio *animal* erit præcisio objectiva, si per eam talis divisio fiat in entitate hominis, ut realitas animalis maneat attacta, cognita, repræsentata; & realitas rationalis verè maneat non attacta, non cognita, non repræsentata. Erit autem præcisio formalis, si totam hominis entitatem attingat, sed imperfectâ, & tenui claritate, perinde ac si homo foret dumtaxat animal, & nihil ultrâ.

104 Quoniam ergo distinctio rationis per conceptus præcisivos fieri debet, quærimus nunc, quâ præcisione fieri possit? objectivâ nè, an formali? Pro objectivâ pugnant Thomistæ, nec non Scotistæ, ut supponit Maftrius, etiam ubi non adest distinctio Scotica: pugnant etiam è Nostris plurimi. Sed pro solâ formali militat communior in Scholâ nostrâ sententia, cui suffragantur Exteri complures. Hæc sententia, quæ

quæ nobis tenenda est, probabitur satis, modò rejiciatur objectiva præcisio ut impossibilis.

105 *Rejicitur* ergo argumento communi, & efficaci. Si datur objectiva præcisio, de subjecto uno & eodem verificantur prædicata contradictoria, sive affirmatio & negatio ejusdem prædicati; sed hoc repugnat: ergo & repugnat objectiva præcisio. *Prob. Maj.*: positâ præcisione objectivâ, verificatur animal hominis cognosci cognitione animal, & rationale non cognosci eadem cognitione, cum tamèn animal & rationale sint unum & idem subjectum: sed cognosci & non cognosci eadem cognitione, sunt prædicata contradictoria, sive affirmatio & negatio ejusdem prædicati: ergo &c.

106 Nec refert, quòd prædicata ista sint extrinseca, sive ab extrinsecâ formâ provenientia; nec item quòd sint intentionalia. Nam istiusmodi prædicata comprehenduntur etiam illo principio, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, utpotè conjungentia verum aliquòd esse (videlicet esse cognitum) cum suo non esse, seu cum carentiâ sui: undè juxta Adversarios, animal á rationali præcisum cognosci simul & non cognosci cognitione A., prorsus est impossibile; ut etiâ quodlibet objectum simul esse & nõ esse visum, aut comprehensivè cognitum. Adde, quòd ex præcisione objectivâ sequuntur etiam contradictoria intrinseca, cujusmodi sunt in Intellectu cognoscere simul &

non cognoscere idem objectum, & in cognitione ipsâ simul esse & non esse repræsentationem objecti ejusdem.

107 Adde præterea, quòd, admisâ tali præcisione, fallet nos forma syllogistica, tametsi legitima. En syllogismus in *Barbara* constructum: *Omne animal cognoscitur cognitione A.; Omne rationale est animal: ergo omne rationale cognoscitur cognitione A.* En alium expositivum in prima figurâ: *Hoc rationale non cognoscitur cognitione A.; hoc animal (nempe hominis) est hoc rationale: ergo hoc animal non cognoscitur cognitione A.* Uterque tamèn syllogismus fallit, datâ præcisione objectivâ.

108 Communis Recentiorum nostrorum solutio est, quòd prædicata cõtradictoria solum requirunt distinctionem subjectorum sibi proportionatam. Si contradictoria conveniunt rebus in statu physico & reali (ut *produci & non produci*, aut *esse & non esse album*), requirunt in subjectis distinctionem realem: sed, si solum conveniunt rebus in statu intentionali, in quo res subsistant actibus Intellectûs, verificari possunt cum solâ subjectorum distinctione rationis, dum proveniunt á cognitione inadæquatâ & præcisivâ: nec distinctio illa præsupponi debet, sed fat est, quòd exercitè fiat per cognitionem ipsam in genere causæ formalis.

109 Hinc inferunt, prædicata *cogniti & non cogniti* cognitione animal, verificari de animali & ra-

tionali sine contradictione, quia non dicuntur de subiecto eodem in lineatione, sed potius de duobus ratione distinctis, utique per ipsam cognitionem *animal*, quæ præcisiva est, adeoque distincta, & exercitè dividens essentiam hominis in extrema duo.

110 Verùm hæc solutio impugnatur 1.: quia distinctio rationis valdè impropria est in genere distinctionis; cum sit vel ficta juxta Thomistas, vel objecto extrinseca juxta Nostros, & utrovis modo cõhærens cum identitate verè tali. Nihil notius, quàm quòd res quælibet non nisi per se ipsam propriè distinguitur ab omni non ipsa. Tum sic: cognosci & non cognosci cognitione *animal*, sunt prædicata, quæ verè & propriè verificantur de animali & rationali juxta Contrarios: ergo requirunt distinctionem subiectorum propriè dictam, qualis nõ est distinctio rationis. Patet *Consequ.*: quia repugnat contradictoria propriè verificari simul de subiecto impropriè duplici, propriè autem uno & eodem.

111 Impugnatur 2.: quia rationale & animal ratione distingui per conceptum *animal*, nihil est aliud, quàm alterum cognosci, alterum non cognosci tali conceptu. Dum ergo dicis, ideò hoc sine contradictione contingere, quia ratione distinguuntur animal & rationale, in summâ dicis, ideò contingere, quia contingit; quæ mera est petitio principij. Hoc abs te quærimus, quomodò id contingere pos-

sit, ubi non est alterum, & alterum, sed unum & idem? Nec potest cognitio exercitè facere alterum, & alterum, ubi non sunt, nisi objectum exercitè dividat à semetipso, reddatque aliud ab eo, quod in se est.

112 Sanè cognitio præcisiva verùm & reale animal attingit; & denominatio, quam præstat, licèt sit extrinseca, & intentionalis, cadit tamen super esse intrinsecum & reale objecti, neque illud immutat intrinsecè, transferendo ad statum intentionalem, sive ad statum *cogniti*. Totum hoc Adversarijs est certum. Animal igitur intra statum intentionalem retinet suum esse reale intrinsecè invariatur: ergo tam est intrinsecè rationale in eo statu, quàm in statu physico: ergo denominatio *cogniti*, dum cadit super esse intrinsecum animalis, nequit non indivisim cadere super rationale.

113 ubi Dices: quod cognoscitur cognitione *animal*, est quidem esse animalis intrinsecum & reale, sed non totum; quia cognitio illa est inadæquata. Sed *contra*: ubi non est totum & pars, aut totum cognoscitur, aut nihil, ut argumentatur D. Thomas infrâ referendus: animal autem intrinsecè sumptum in sensu, quo de loquimur, partibus caret, nec in eo est aliquid, nisi totum. Si ergo non totum cognoscitur, sed aliquid ejus, nihil ejus cognoscitur, sed aliud ab eo.

114 Nec prodest Thomistis ponere distinctionem rationis objecto intrinsecam, fictam scilicèt ab

Intellectu; quasi non aliter distinguatur animal á rationali per rationem, nisi quatenus concipitur intrinsecè distinctum á rationali. Nā *contra* est 1., quòd ficta distinctio inter animal & rationale non sufficit ad verificandum, animal reverà cognosci, & rationale reverà nō cognosci cognitione *animal*, prout volunt omnes Objectivistæ. Tum quia sunt hæc contradictoria vera, & realia, quæ sine distinctione subjectorum verà & reali' cohærere nō possant. Tum quia vi istius distinctionis tantum dici poterit, quòd rationale *fictè* non terminat cognitionem *animal*, secus autem quòd *verè* non terminat.

115. *Contra* 2.: cognitio præcisiva non fingit, nec rem concipit aliter ac est, ut sæpè docet D. Thomas, approbans tritum Scholarum proverbium, *Præscindentium, & Abstrahentium non est mendacium*: ergo cognitio *animal* inducit prædicata contradictoria, priusquam adit ficta distinctio. *Contra* 3.: si cognitio apprehendit animal intrinsecè distinctum á rationali, non apprehendit animal verum, & reale, sed chymericum; non aliter ac, si apprehenderet animal intrinsecè identificatum cum lapide, chymericum animal apprehenderet: tam enim repugnat animali vero, quod in homine existit, intrinsecè distinguí á rationali, quam intrinsecè identificari cum lapide.

116. Denique, ut recursus ad distinctionem rationis, & ad prædicata intentionalia præcludatur,

objectiva præcisio rejicitur ex contradictione physica. Si animal cognoscitur, & rationale non cognoscitur cognitione A., verificantur de animali, & rationali contradictoria physica, & intrinseca, quod repugnat etiam juxta Adversarios. Probatur sequela: si animal cognoscitur cognitione A., est intrinsecè capax, ut eam cognitionem terminet; & si rationale non cognoscitur cognitione A., non est intrinsecè capax, ut talem terminet cognitionem: atqui esse intrinsecè capax, & non esse intrinsecè capax respectu ejusdem cognitionis, sunt contradictoria physica & intrinseca: ergo &c. Hoc argumentum valide confirmatum invenies in nostrâ Logic. fus.; ubi etiam responsionem adhiberi solitam efficaciter impugnavimus.

*Præfertur, & explicatur ex D. Thomâ Præcisio formalis.*

117. **O** Missis alijs Doctoris Angelici testimonijs in Logic. fus. videndis, unum hic perspicuum allégabimus. Sed prius observa, quòd S. Doctor inter attributa Divina passim agnoscit distinctionem rationis ratiocinatae, nominatim in 1. dist. 2. q. 1. ar. 2., ubi docet, quòd sapientia, bonitas, & alia Dei attributa, licet sint unum *re*, sunt diversa *ratione*, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.

118. Audi nunc D. Thomam q. 2. de Verit. ar. 1. ad 3.: ubi, cum sibi objecisset, quòd nomen *Scientia* non potest dici de Deo, quia non significat totam perfectionem ipsius, &



& si non significat totam, nihil ipsius significat, cum in Deo non invenitur pars: tantum abest, ut respondeat, in Deo inveniri partem per objectivam præcisionem, ut potius argumentum solvat his verbis: *Cum nomina sint signa intellectuum, secundum hoc se habet nomen ad totalitatem alicujus rei significandam, secundum quod se habet Intellectus in intelligendo. Intellectus autem noster totum Deum intelligere potest; sed non totaliter totum: quia necessarium est, ut de ipso aut totum intelligatur, aut nihil, cum in eo non sit pars & totum: sed dico non totaliter, quia non perfectè cognoscit ipsum, secundum quod ipse est in sui naturâ cognoscibilis... Similiter & nomina, quæ de Deo dicuntur, ipsum totum, sed non totaliter significant.*

119 En tibi sententiam nostram cum sua ratione fundamentali, quæ militat in omni objecto realiter impartibili, sive ubicumque datur realis identitas. Hic conceptus *animal*, vel hic alius *sapientia Dei*, præcisius est. Sed cur? quia talis conceptus, inquit Objectivitate, non intelligit totum hominem, aut totum Deum, sed tantum aliquam realitatem ejus, relinquendo cæteras incognitas, & intactas.

120 Contra reclamant nostræ sententiæ Authores argumento ipso D. Thomæ. Si conceptus ille attingit hominem, aut Deum, necessariò attingit totum; quia necessarium est, ut de ipso aut totum in-

intelligatur, aut nihil, cum in Deo non sit pars & totum, sicut nec in homine, dum spectatur, non secundum partes phyficas, sed secundum prædicata realiter idèntificata. Dum ergo dicitis, quòd ille conceptus non intelligit totum, contradictoria dicitis, videlicet totum intelligi, & totum non intelligi per eundem conceptum. Sic rejicimus præcisionem objectivam.

121 Formalem autem cum eodem Doct. Angelico explicamus hoc modo. Conceptus ille præcisius est, & inadæquatus, non quia totum hominem, aut totum Deum non intelligat, sed quia non intelligit totum totaliter, id est, quia non perfectè cognoscit ipsum, secundum quod ipse est in sui naturâ cognoscibilis. Cum enim homo v. g. sit cognoscibilis totâ claritate, quæ respondet his vocibus simul sumptis, *animal rationale risibile &c.*, dum cognoscitur solâ claritate respondente voci *animal* (idem puta de cæteris singulatim), cognoscitur quidem totus, sed non totaliter, quia non cognoscitur totâ claritate, quam sup te naturâ meretur, & fundare potest etiam quoad nos.

122 Sic unicus Gratia gradus totam sanctificat animam, sed non totaliter. Sic etiam, ut exemplo utar D. Thomæ loco cit., quælibet creatura est imitatio Dei, est physica representatio Dei, totius quidem, sed non totaliter; ideoque rectè dicitur imitatio inadæquata, representatio partialis.

123 Conceptus ergo nostri

de re indivisibili, dicuntur *inadequati*, non objectivè, sed formaliter, non terminativè, sed subjectivè, non ex parte objecti, sed ex parte actus: & in eodem sensu dicuntur *præcisivi*; quia scilicet inadequatione suâ faciunt, ut loquamur de objecto, quasi esset scissum in partes.

## CAP. VIII.

*Cum præcisione formali benè cohæret  
Distinctio rationis.*

124 **P**Ræcisio formalis indè maximè impetitur, quòd non cohæreat cum distinctiōne rationis inter extrema realiter identificata. Si enim animal, & rationale, v. g. necessariò terminant cognitionem eandem, sine ullâ objecti partitione, numquam erunt aliud, & aliud in Intellectu, nec duo per rationem, sed potiùs erunt semper in statu intentionali unum, & idem, ita ut utrique conveniat idem esse intentionale, sicut convenit idem esse reale. Numquam ergo poterunt ratione distingui.

125 Ut hæc difficultas evanescat, *Not. 1.*: Extrema realiter identificata distingui ratione, nihil est aliud (ex dictis cap. superiori), quàm representari per conceptus definitivè diversos: nec sufficit conceptus unus, v. g. sola cognitio *animal*. Ut enim ait D. Thomas in 1. dist. 2. art. 3. ad 6., *Tunc aliquid est unum re, & ratione multiplex, quando una res respondet diversis conceptionibus, & nominibus.*

126 Hinc distinctio *purè præcisiva, sive incompleta*) de qua su-

prà n. 92.), non est distinctio rationis, nisi relatu ad alium conceptum possibilem: non enim conceptus *animal* distinguit animal a rationali nudè sumpto, sed à rationali ut representabili per conceptum *rationale*, & ita quidem, ut denominatio *representabilis* sit extrinseca, desumpta scilicet à possibilitate conceptus.

127 Itaque distinctio rationis ratiocinatae sic definiri debet: *Duplex cognitio inadequata ejusdem objecti, per quam objectum ipsum reduitur diversimodè definibile.* Sed quare, rogas, duplex hujusmodi cognitio dicitur distinguere prædicata objecti? *Resp.*: quia reddit objectum quasi duplex in Intellectu, quasi aliud, & aliud, eo quòd, positis diversis conceptibus inadæquatis ejusdem objecti, perinde illud ab Intellectu definiatur, & explicetur, ac si re ipsa duplex esset, sive aliud, & aliud. Sicut enim de homine, qui diversis temporibus apparet sui dissimilis, v. g. manè ingeniosus, vesperè rudis, vulgò dicitur, non eundem esse hominè vesperè, ac manè, sed alium, & aliū: ita de objecto substantive diversis conceptibus, ac definitionibus, loquantur Logici, ac Metaphysici.

128 *Nota 2.* Distinctio rationis non est verè, & propriè distinctio, sed impropria quædam veræ distinctio imitatio. Si ficta est, ut Thomistæ volunt; clara est improprietas. Si verò est objecto extrinseca, ut malunt Nostri, multū recedit à proprietate distinctio-

nis. Vera quippè distinctio imbibitur in unitate transcendentali, est quæ passio intima enti unicuique, quod per se ipsum distinguitur ab omni non ipso.

129 Cùm distinctio est *rationis ratiocinatae*, dicitur quidem propriè talis, sed in lineâ rationis: quia totam habet proprietatem, quam lineâ ista patitur; & quia in eadem lineâ datur alia distinctio multò magis impropria, nempe *rationis ratiocinantis*. Ceterùm in genere distinctionis simpliciter dictæ, semper est impropria, utpotè coherens cum idèntitate verà, & reali: undè meritò dicitur *distinctio apparens*, eo nimirum sensu, quo pratorum amænitas est *risus apparens*, & serpentis instinctus *prudèntia apparens*.

130 Nota 3. : extrema, vel subjecta, quæ denominantur ratione distincta, non sunt conceptus ipsi formales; hi namque realitèr inter se distinguuntur. Sunt quidem ipsi conceptus distinctio rationis, seu forma denominans objectum ratione distinctum; sed non ideò sunt ratione distincti. Sic actus visive potentiæ non est visus, & tamen est visio, seu forma constituens visum. Sic etiam cognitio alterius Mundi possibilis, est existentia intentionalis alterius Mundi; & tamen ea cognitio non existit intentionalitèr, sed physicè. Alijs terminis, conceptus formales non sunt ratione distincti *ut quod*, sed *ut quo*.

131 Extrema igitur ratione distincta *ut quod*, sunt ipsa prædi-

cata realitèr idèntificatà, prout cognita diversis conceptibus, ly *prout* reduplicante conceptus, non per modum subjecti, quod denominatur *ratione distinctum*, ne partialitèr quidem, sed per modum formæ purè denominantis; non alitèr, ac Mundus possibilis non dicitur intentionalitèr existens *ut quod*, nisi prout cognitus; quin ideò reduplicetur cognitio per modum subjecti, etiam partialis, sed tantùm per modum formæ.

132 Dices: prædicata realitèr idèntificata, prout cognita diversis conceptibus, sunt concreta realitèr inadæquatè distincta, scilicet penès formas, sive conceptus denominantes: ergo nequeunt esse extrema distinctionis rationis, nisi distinguatur realitèr, saltèm inadæquatè. *Concess. Antec. d. sb. Consequ.:* nisi distinguantur realitèr, penès id, *quod* sunt extrema, *conced.* penès id, *quod* est extremum, *neg. consequ.*

133 Prædicata non constituuntur actu distincta, nisi per distinctionem; quam proinde constitutivè involvunt in esse extremorum actu distinctorum. Cùmque distinctio rationis consistat in duobus conceptibus realitèr inter se distinctis, ac definitivè diversis (quod etiam apud Objectivistas Scholæ nostræ, distinctionem fictam excludentes, verum est) sequitur, quòd extrema distinctionis rationis in esse talium constituuntur *de obliquo*, & *ut quo*, per conceptus realitèr distinctos, suntque duo concreta

intentionalia realiter inter se distincta penes formas.

134 Hinc tamen non sequitur, extrema ista debere inter se distingui realiter inadæquatè secundum id, quod extremum est, seu quod denominatur *ratione distinctum*: hanc enim denominationem suscipit solum objectum, quod solum *in recto* importatur, & ut quod; duplex autem conceptus non illam suscipit, ne partialiter quidem, sed purè præstat, eamque constituit purè ut quo, & *in obliquo*.

135 *Nota. 4.*: quando extrema realiter identificata sumuntur ut actu distincta per rationem, poterit aliquid verè affirmari de uno, & negari de altero: quia tollitur contradictio per distinctionem realem formarum denominantium, quamvis subjectum sit realiter idè. Hinc verè dicimus, *rationale est differentia, Animal non est differentia*; & sic de alijs hujuscemodi. Tunc enim animal, & rationale sumuntur ut jam cognita per diversos conceptus inadæquatos, & distinctivos: & sensus est, quòd homo per conceptum *rationale* discernitur à brutis, non verò per conceptum *animal*: in quo nulla est contradictio.

136 Atque hoc sensu loquimur, quoties utimur terminis secundæ intentionis, cujusmodi sunt, *prædicabile, genus, differentia, præcisum, abstractum, ratione distinctum*. Item, quoties utimur reduplicatione aliqua, vel formâ loquendi alludente ad conceptus nos-

tros inadæquatos, & præcisivos: ut cum loquimur de rationali, *quatenus tali, in esse talis, in ratione talis*, vel cum utimur nominibus abstractis, *rationalitas, animalitas*; vel cum addimus *formaliter*, aut *in sensu formali*.

137 Unde colliges, rationale non esse omninò idem *in sensu reali, & in sensu formali*, (id ipsum puta de animali, & quovis alio prædicato): nam *in sensu reali* acceptum, solam dicit entitatem hominis specificativè sumptam, ut est à parte rei: at acceptum *formaliter*, sive *in sensu formali*, dicit entitatem hominis, prout cognitam conceptu respondente nomini *rationale*; & hoc est accipi *sub ratione* rationalis; ut enim ait D. Thomas I. p. q. 13. art. 4. *Ratio, quam significat nomen, est conceptio intellectus de re significatâ per nomen*.

138 His prænotatis, facile percipies, præcisionem formalem coherere cum distinctione rationis: non enim impedit, quòd tota realitas objecti terminet diversos conceptus inadæquatos (inadæquatione explicatâ n. 123.), per eosque reddatur quasi duplex, dum reditur diversimodè definibilis. Quare animal, & rationale sine ullâ objecti partitione possunt esse aliud, & aliud in Intellectu, seu duo per rationem (alietate ac dualitate impropria, ex n. 127.), non ex vi unius tantum cognitionis ut constat ex *Not. 1.*, sed ex vi duarum, quæ diversum importent esse intentionale. Sunt quidem unum, & idem in statu inten-

tionali constituto per solam cognitionem *animal* (idem intellige de quavis aliâ solâ), sed sunt quasi duo in statu intentionali constituto simul per duos conceptus *animal*, & *rationale*.

139 Dices: si uterque conceptus indivisim respicit *animal*, & *rationale*, hæc prædicata sub utroque sunt unum, & idem. *Dist.*: hæc prædicata ut *talia*, vel *sub ratione talium*, *neg.*; quia sic realiter inadequate distinguuntur, ex *Not.* 4.: hæc prædicata specificativè sumpta, seu quoad *rectum*, sunt unum, & idem sub utroque conceptu, *subdist.*: verè, & propriè, *conc.*; impropriè, & apparenter, *neg.*: quia ipsa diversitas conceptuum, ac definitionum efficit, ut homo sub conceptu *rationale* videatur quasi aliud à se sub conceptu *animal*.

140 Diversitas conceptuum, & acceptio objecti, præ oculis habenda est, ut omnia contradictoria, quæ objici solent, dissipentur. Non enim animali hominis convenit aliquid, quod non conveniat rationali, & è converso, si utrumque sumatur secundum esse purè reale: nam utrique à conceptu *animal* convenit esse genus (indivisim cum animali belluino) & utrique à conceptu *rationale* convenit esse differentiam.

141 *Objic.*: *animal* hominis per conceptum *animal* præscinditur, & ratione distinguitur à rationali, & non à se ipso: ergo jam aliqua partitio fit ex parte objecti, & aliquid uni parti convenit, quod

non alteri. *Neg. conseq.*: quia in *Antec.* sumuntur *animal*, & *rationale* sub ratione talium; quo sensu partitionem habent, non ex parte objecti, sed ex parte actus, aut actuum, id est, cōceptuum diversorum, quos de obliquo important. Et sensus est: quod *animal* hominis sub conceptu *animal* non præscinditur à se ipso ut cognito per hunc ipsum conceptum, sub quo illi respondet nomen *animal*: præscinditur tamèn à rationali, & consequenter à semetipso, ut cognito per conceptum *rationale*, sub quo nomen hoc ipsi respondet.

142 Attamèn, si de realitate objectivâ loquamur, nihil uni convenit, quod non alteri: nec *animal* præscinditur, ac distinguitur à rationali magis, aut aliter, quàm a se ipso. Nam à rationali distinguitur, non prout incognito ex parte objecti (eodem quippè conceptu *animal* cognoscitur *rationale* objectivum), sed prout repræsented, vel repræsentedibili per conceptum *rationale*: & hoc eodem modo distinguitur etiam à se ipso, nempe ut repræsented, vel repræsentedibili per eundem conceptum *rationale*, quo cōceptu indivisim cognoscitur *animal* hominis objectivum. Undè colliges, quod nec impropriè, & apparenter distinguitur *animal* hominis à rationali magis, quàm à se ipso; quia ipsummet est, quod per diversos conceptus redditur apparenter duplex.

143 Clamant hic Adversarij, absurdum esse, quod non admittatur distinctio rationis, nisi impro-

propria & aparens: hoc enim eſt ad metaphoras, & apparentias reduce-  
re fabricam metaphyſicam, quæ tota  
nititur diſtinctione rationis. Sed  
verò abſurdum iſtud æquè premit  
Adverſarios omnes: imprimis Tho-  
miſtas; apud quos fabrica metaphy-  
ſica, cum innitatur diſtinctione fic-  
tâ, nimis aëreâ baſi ſubſtruitur: de  
inde Noſtros; apud quos metaphyſi-  
ca fabrica fundatur in extrinſecâ  
diſtinctione non immutante intrin-  
ſecè realitatem objecti, adeoq̄ tota  
pendet à combinatione concep-  
tuum formalium certo modo ten-  
dentium, quæ pro arbitrio concip-  
ientis diſſipatur.

144 Itaque diſtinctio rationis  
ab omnibus dicenda eſt impropria,  
& umbratilis in genere diſtinctio-  
nis, ut notavimus n. 128. Cum  
hoc tamen cohæret, quòd ſit vera,  
& propria in genere cognitionis di-  
verſimodè repræſentantis objectū.  
Id eſt, duplex cognitio, quam dici-  
mus eſſe diſtinctionē rationis, red-  
dit objectum verè, & propriè cog-  
nitum, ac diverſimodè definibile:  
ſed eo ipſo reddit objectum in duo  
diſtinctum impropriè tantum; quia  
objectum fieri diverſimodè definibi-  
le, non eſt fieri duplex, niſi impro-  
priè, nec fieri aliud, & aliud, niſi  
apparentèr. Sic alterius Mundi cog-  
nitio, cum propria ſit in genere cog-  
nitionis, impropria eſt in genere  
exiſtentiaſ ſui objecti, quod non red-  
dit exiſtens niſi intentionaliter,  
adeoque impropriè.

145 Fabrica ergo metaphy-  
ſica, ut in decurſu explicabitur, pro

formali conſiſtit in diverſitate con-  
ceptuum, impropria quidem in ge-  
nere diſtinctionis objecti, ſed vera,  
& propria in genere repræſentatio-  
nis, habenteque reale fundamen-  
tum in objecto ipſo. Quare fabrica  
illa, licèt alioqui metaphorica, vel  
analogica, non caret fundamento  
ſolido (de quo ſuprà n. 97.), quod  
benè noſſe multum intereſt Scien-  
tiarum.

146 Thomiſtis vehementèr  
diſplicet diſtinctio rationis extrin-  
ſeca, in cognitione conſiſtens. 1.:  
quia non erit diſtinctio rationis, ſed  
realis, utpotè conſiſtens in cog-  
nitione reali. 2.: quia repugnat iden-  
titas extrinſeca; nam, cum identi-  
tas reddat unum ſummè intrinſe-  
cum alteri, ſequeretur, unum eſſe  
alteri ſummè intrinſecum extrinſe-  
cè, quod implicat in terminis: pari-  
ter ergo repugnat diſtinctio extrin-  
ſeca. 3. quia cognitio repræſenta-  
tively diſtinguit prædicata objecti: ac  
proinde non eſt diſtinctio, ſed re-  
præſentatio diſtinctionis, & plurali-  
tatis: per hos enim conceptus *ani-  
mal*, & *rationalè*, non minùs repræ-  
ſentantur extrema ut plura, quam  
per iſtos, *Petrus*, & *Paulus*. Hæc  
nullius ſunt roboris.

147 *Reſp. ad. 1.*: licet cog-  
nitio ſit in ſe realis, non eſt diſtinctio  
realis prædicatorum objecti, cum  
non excludat realem eorum identi-  
tatem: diſtinctio enim non dicitur  
realis, niſi à munere excludendi  
identitatem realem. Sic alterius  
Mundi cognitio, quæ utique realis  
eſt, dicitur exiſtentia ſui objecti, ſed

intentionalis, non realis; quia existentia non vocatur realis, nisi à munere ponendi rem extra causas. Sic etiam serpentis instinctus, licet sit propriè talis, & vocetur prudentia, tamen non est prudentia propriè talis.

148 *Ad 2. neg. Antec.*: nam homo, & brutum sub conceptu *animal* habent identitatem extrinsecam: nec implicantia est in eo, quòd unum sit summè intrinsecum alteri extrinsecè, si utrumque sumatur secundùm esse extrinsecum. Solis autem identitati, ac distinctioni realibus convenit esse intrinsecas enti reali; sicut soli existentiaè reali, non autem intentionali, convenit esse rebus intrinsecam.

149 *Ad 3.*: verum est, quòd cognitio repræsentativè distinguit, si tò *repræsentativè* denotet modum repræsentandi præcisivũ, & inadæquatam: secus verò, si denotet distinctionem repræsentari à cognitione directâ. Sic cognitio Angelica repræsentativè cõprehendit hominem; & tamen non est repræsentatio comprehensionis, sed ipsamet est comprehensio. Quòd per cõceptus, *animal*, & *rationalè*, repræsententur extrema, ut plura; sicut per istos *Petrus*, & *Paulus*, falsum omninò est: nam per illos nihil repræsentatur ex parte objecti oppositum identitati reali: per istos verò repræsentantur Petreitas, & Pauleitas, quæ realem identitatem penitùs excludunt.

CAP. IX.

*Objectiones aliæ depulse.*

150 **O** *Bjic. I.*: qui videt hominem à longè

se moventè, cum nondum figura humana percipitur, ex motu cognoscit animal; sed non cognoscit rationale; siquidem interrogatus, an objectum illud sit homo? Respondet, *nescio*: ergo præscindit objectivè. *Neg. Min.* Nam eodem modo, quo tunc cognoscitur animal, cognoscitur etiam rationale objectivum, sive reale, scilicet cognitione, vi cujus dici potest, totum illud objectum esse principium sentiendi. Qui interrogatus, an illud objectum sit homo? respondet, *nescio*; non negat omnem cognitionem terminatam ad rationale objectivum, sed tantùm negat cognitionem sufficientem, ut applicetur objecto nomen *homo*, vel *rationalè*.

151 Mens ergo respondentis hæc est, aut esse debet: Cognosco totum objectum, sed non totalitèr, quia non illud cognosco totâ claritate, qua potest cognosci; & ideò nescio, an ei conveniat nomen *rationalè*. Hinc verè tunc dicet, *Cognosco, illud objectum esse animal, & non cognosco esse rationalè*; quia hæc sunt propositiones reflexæ, quæ pro objecto respiciunt cognitiones directas *animal*, & *rationalè*: undè æquivalent his, *Habeo cognitionem animal, & non habeo cognitionem rationalè*; vel istis, *Cognitio, quam habeo de toto objecto, sufficit, ut illi tribuam nomen animal, & non sufficit, ut illi tribuam nomen rationalè*;

le; ubi nulla certè contradictio est.

152 Nec rectè dixeris, cognoscei tunc animal clarè, rationale confusè: quia utrumque objectivè sumptum, id est, secundùm totam suam realitatem physicam, cognoscitur clarè, & evidenter, claritate, & evidentià discernente illud à rebus inanimis, quæ propria est cognitionis *animal*; & utrumque non cognoscitur clarè, & evidenter, claritate, & evidentià discernente illud à brutis, quæ propria est cognitionis *rationale*.

153 Itaque his terminis, *dubito, nescio, ignoro hoc, vel illud*, non excluditur omnis cognitio, nec omnis evidentià illius objecti; alioqui falsò, & implicatoriè diceret homini perigrino repenti obvio, *non cognosco te*: falsò etiam diceret, te ignorare, in quo consistat essentia *continul*, dum evidenter noscis, lignum esse continuum; nulla quippè res objectivè præscinditur ab essentià suâ. Solum ergo excluditur cognitio, vel evidentià correspondens nomini, de quo agitur. Hoc ipsum est, quod alij dicunt, accipi verbum *cognosco*, vel *ignoro*, nunc in rigore scholastico, nunc in sensu civili, & ad familiarem sermonem accomodato.

154 Dices: in casu hominis procul visi non cognoscitur discursus, sive intellectio: ergo non cognoscitur rationalitas, quæ est ordo transcendentalis ad discursum: nequit enim ordo ad terminum cognoscei sine termino. *Neg. consequ.*, quin obstet addita probatio: nam

ordo ad terminum, licet non possit sine termino cognoscei cognitione cōparativâ, seu connotante terminum ipsum, bene tamen cognitione absolutâ, vel etiam connotante terminum alium, si plures terminos habeat idem ordo.

155 In casu nostro totus ordo ad discursum est indivisim ordo ad sensationem: ideoque totus cognoscitur cognitione, *animal*, quæ sensationem connotat. Possit etiam cognoscei cognitione absolutâ, nullam operationem connotante, nimirum qualibet ex his, *corpus, substantia, ens*. Tunc, fateor, non cognosceretur ordo ut talis; quia *tò ut talis* reduplicat cognitionem connotativam termini: cognosceretur tamen specificativè sumptus quoad totam sui realitatem.

156 *Objic. 2.*: non bene impugnatur objectiva præcisio ex eo, quod verificet contradictoria de subjectis realiter indistinctis. Nam juxta D. Thomam q. 7. de pot. art. 1. ad 5., *de eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, ut dicit Philosophus 3. Ppysic.* Nec fieri potest, quin de animali, & rationali v.g. verificentur contradictoria intentionalia, nisi respuantur locutiones in omni Scholâ receptæ. *Resp.* Non impugnatur objectiva præcisio ex contradictorijs utcumque, sed ex eo, quod simul ponat esse, & non esse ejusdem formæ (v.g. cognitionis *animal*) in subiecto eodem, nullamque habente distinctionem verè talè, etiam inadæquatam:



tam: sic enim contingeret, si per eandem cognitionem, animal esset cognitum, rationale non cognitum ex parte objecti.

157 De cætero nos etiam concedimus cum D. Thomâ, de subjecto realitèr eodem, & ratione distincto, quatenus ita distincto, verificari posse prædicata, quæ sine tali distinctione forent contradictoria, v. g. de rationali, & animali hominis esse differentiam, & non esse differentiam, discerni, & non discerni à brutis. Hoc tamen ab Adversarijs distamus, quod illi prædicata ista tribuunt eidem subjecto secundum eandem formam, v. g. secundum conceptum rationale; ideòque nullâ ex parte contradictionem evitant: nos autem illa tribuimus eidem subjecto secundum formas realiter diversas, quas necessariò importat distinctio rationis; ideòque contradictionem tollimus. Non enim aliud sonat apud nos illa contradictio, nisi quod totus homo à cognitione rationale denominatur differentia, & totus ipse non ita denominatur à cognitione animal.

158 Locutiones in Scholâ receptas libenter admittimus, dummodò intelligantur in sensu formali, de quo supra n. 137. Concedimus v. g., quod rationale non est formalitèr animal, quod est extra rationem animalis; quod non pertinet ad essentiam ejus Metaphysicam; hæc enim in summâ nihil aliud significant, nisi quod ex his conceptibus, animal rationale, neuter definitur aut explicatur per alterum.

159 Objic. 3.: Voluntas in amando præscindere potest objectivè: ergo & Intellectus in cognoscendo. Prob. Antec.: quia potest voluntas amare bonum in communi, nõ amando bonum delectabile turpe; alioqui non posset sine peccato amare suum specificativum. Neg. Antec., quin obstat probatio. Nam, si bonum in communi sumatur ut indifferens ad bonum etiam delectabile vitium, non potest amari sine peccato, sive præscindatur objectivè, sive formalitèr. Non enim fas est diligere objectum, quod nullatenus à se excludit turpitudinem; nec repugnat identificari realiter cum quolibet scelere.

160 Itaque distinguendum est duplex specificativum voluntatis; alterum per modum finis; & hoc est Beatitudo, ad quam voluntas naturalitèr propendet, & in cujus amore non peccat: alterum per modum sphaeræ objectivæ; & hoc est bonum in communi, non quidem objectivè præcisum (aliter voluntas, antequam adveniat objectiva præcisio, carebit specificativo, nec erit potètia certæ speciei), sed complectens omnia bona particularia, quæ à voluntate amari possunt, seu licitè, seu illicitè: quæ bonorũ collectio non alia ratione dicitur specificare potètiã volitivã, nisi quia discernere nos facit extensionem ejus ab aliarum extensione potètiarum. Cum autè collectio ista comprehendat etiam objecta vitiosa, certum est, nõ posse indiscretè, & adæquatè amari sine peccato.

161 Propendet quidem Voluntas in bonum ut sic: verum hæc propensio, si merè naturalis est, & non à peccato primi parentis derivata, non respicit nisi bonum propriè, & simpliciter dictum, quod solum est honestum, nec ad delectabile turpe contrahitur, nisi per errorem partitum.

162 Denique *objic.*: si non datur objectiva præcisio, plurima sequuntur absurda. Nam 1. non poterit evidenter cognosci lumine naturali existentia Dei, quin cognoscatur Trinitas Personarum. 2., qui elicit conceptum *ens*, cognoscet omne cognoscibile, nec ignorabit secreta cordium, & decreta Dei, etiam in particulari, sive in individuo. 3., omnis cognitio erit comprehensiva, cum ita cognoscat totum objectum, ut nullum ejus prædicatum, nulla formalitas lateat cognoscentem. 4. Intellectus non magis præcisivus erit, quam potètia visiva materialis, cum hæc possit etiam attingere suum objectum, nunc clare, nunc confuse.

163 Verum hæc absurda facile evanescent, *Ad 1.*: cum Deus lumine naturali cognoscitur, eodem modo cognoscitur Trinitas Personarum objectivè sumpta, videlicet cognitione, vi ejus dici possit, *Deus existit, est unus, est sapiens, &c.*; non tamen cognoscitur nec existentia Dei, nec Trinitas, cognitione, vi ejus dici possit, *Deus est Trinus in Personis*; & relatè ad ejusmodi cognitionem dicunt Theologi mysterium Trinita-

tus esse supra lumen rationis naturalis, & naturaliter incognoscibile. Undè verè dicitur, cognosci naturaliter, Deum esse unum, & non cognosci, Deum esse trinum, juxta dicta n. 151.

164 *Ad 2.*: non est absurdum, quòd ea omnia cognoscantur sub confuso conceptu *ens*; sed quòd cognoscantur sub claris, & discretivis expressionibus. Concedi tamen potest non cognosci secreta cordis in particulari, vel in individuo; quia locutio ista reflexa est, solumque negat cognitionè discretivam unius ab alio. Dices: per conceptum *ens* cognoscitur ratio entis clarè, & discretivè: ergo similiter cognoscuntur omnes differentie entis. *Dist. Antec.*: cognoscitur clarè, & discretivè, claritate, quà discernatur *ens* à non ente, videlicet ab omni carentià, & chimerà, *conced.*; claritate, quà discernatur unum *ens* ab alio ente, *neg. Antec.* & sub eadem distinctione *Consequ.*: nam etiam differentia per conceptum *ens* clarè discernuntur à non entibus; non verò inter se. Tota ergo claritas, discretio, vel confusio, quæ convenit enti objectivè sumpto, in eodem sensu convenit differentiis.

165 *Ad 3.*: nego sequelam: quia, ut cognitio sit comprehensiva, non sufficit, quòd attingat totum objectum, nisi attingat totaliter, id est, tota perfectione, & claritate actus, quam meretur objectum. Vid. D. Thom. q. 7. de pot. art. 1. ad 2., ubi eodem modo solvit objectionem hanc, Si Deus to-

tus attingitur à Beatis, ab his comprehenditur.

166 Ad 4. : Intellectus non magis præcisivus est ex parte objecti, quàm potētia visiva; magis tamen præcisivus est ex parte actus: quia plures actus habere potest magis, ac magis abstractivos, & universales, quibus idem objectum attingat. Potest enim attingere colorem sub ratione talis, & sub ratione coloris (hactenùs, & non ultra, potest potentia visiva), & insuper sub ratione qualitatis, accidentis, dependentis à Deo, & tandem sub ratione entis. Plura alia huc spectantia, & hæc ipsa distinctiùs explicata dedimus in Logic. suf.

167 Nunc observa sequentia. I., cùm dicimus, animal cognosci sine rationali, non *ex parte objecti*, sed *ex parte actus*; sensus est, animal non cognosci sine rationali objectivè, seu specificativè sumpto; cognosci tamen animal sine actu, vel cognitione discretivà hominis à bruto. Quare locutio ista, *rationale non cognoscitur ex parte actus per cognitionem animal*, non negat omnem actum terminatum ad rationale objectivum, sed actum duntaxat

respondentem nonnisi *rationale*.

168 2. : non rectè dicitur, per conceptum genericum cognosci animal *explicitè*, rationale *implicitè*; quia hæc prædicata, realiter sumpta, æquè subsunt expressioni genericæ; sumpta verò in sensu formali, sunt definitivè diversa; adeoque neutrum in altero continetur *implicitè*. Vide supra n. 90.

169 3. : quotiès D. Thomas distinctionem rationis significat esse in objecto, loquitur de distinctione fundamentali; vel, si formalem intelligit, eam in objecto collocat, non *subjectivè*, sed *verificativè*, quatenùs in objecto est perfectio sufficiens ad verificandas conceptiones diversas Intellectus nostri; ut explicat ipsemet Angelic. Doctor *In I. dist. 2. q. 1. art. 3. ad 5.* Denique: cognitio intuitiva, immò, & ipsa visio beata, potest præscindere formaliter, non cognoscendo objectum totà claritate, quàm cognoscibile est. Non tamen visio beata distinctionem rationis in Deo facit: quia nunquam datur dualitas visionum, quibus Deus appareat quasi duplex, ac definitivè diversus.

## DISPUTATIO II.

### De Constitutione Universalis.

#### CAP. I.

Quid sit Universalis? & an detur à parte rei?

I **U**niversalis dicitur, quod unum cùm sit, extendi-

tur ad multa. Sic Lex, pro omnibus lata, dicitur Universalis in *obligando*. Sic prima causa, atque etiam Sol respectu sublunarium, dicitur universalis in *causando*. Sic

etiam vox, aut conceptus, *omnis homo*, dicitur Universalis in significando, vel in representando.

2 In presenti solum agitur de Universalis in essendo, & Universalis in predicando: è quibus primum dicitur Universalis metaphysicum, definiturque ex Aristotele, *unum aptum esse in multis*, scilicet, per identitatem realem cum ipsis; alterum dicitur Universalis logicum, & ex eodem Aristotele definitur *unum aptum predicari de multis*. Hæc in nostris principiis solum inter se differunt penes implicitum, & explicitum, vel tanquam essentia, & proprietates ratione distincta.

3 Duo igitur pertinent ad essentiam Universalis, unitas, & aptitudo ad multa. Unitas, juxta principia mox stabilienda, nequit esse intrinseca naturæ, quæ dicitur Universalis; sed debet esse extrinseca, sita scilicet in actu Intellectus præcisivo, & abstractivo. Aptitudo ad multa supponit realem identitatem illius naturæ cum multis, vel existentibus, vel saltè possibilibus, & addit actum Intellectus, quo natura sic exprimitur, ut possit multis uniformiter convenire prout ita concepta.

4 V. g. Natura humana, prout expressa per conceptum *homo*, est Universalis; quia est una apta esse in multis, & predicari de multis; una; quia, ut sic concepta, nullam præfert pluralitatem, aut divisionem sui in plures homines, adeoque manet intentionaliter indivisa; apta esse in multis, & de ijs præ-

dicari; quia & realem habet identitatem ex parte objecti cum multis individuis, & ita exprimitur, ut eã possit Intellectus uniformiter applicare multis.

5 Sed notandum, quòd aptitudo debet esse ad multa ejusdem nominis, & rationis cum natura communi, quæ in ipsis multiplicatur, aut dividatur; ita ut terminus, sub quo natura dicitur Universalis, v. g. terminus *homo*, possit efferi pluraliter, conjungique numeralibus *duo, tres, &c.* Unde natura humana sub conceptu *homo* ideò est Universalis, quia potest esse multiplicata in individuis, de quibus verè dicatur, *sunt duo homines, tres homines, &c.*, quorum singulis absolutè conveniat nomen *homo*, & ratio, seu definitio hominis. Hinc vides, cur natura Divina conveniens pluribus Personis non sit Universalis: quia nimirum semper in dividua manet in esse naturæ, nec multiplicatur in tres naturas, sive in tres Deos, sed in tres Personas, quæ sunt unus, & idem Deus.

6 Non tamèn debet identificari realiter natura Universalis cum inferioribus secundum universalitatem, id est, secundum indifferentiam, & unitatem, quam accipit à cognitione indefinita. Solum ergo identificari debet secundum rectum, quod suscipit extrinsecam denominationem *Universalis*; quod rectum vocari solet *ratio objectiva*, quia est objectum correspondens rationi formali, id est, cõceptioni *homo* v. g. & definitioni *animal rationale*.

7 Præmissa hac Universalis notitiâ, quæritur nunc, an, & quo modo dari possit Universalis? Veteres aliqui nihil esse Universale asseruerunt. Nominales admittebant quidem Universalia, sed solum *in significando*, quæ scilicet in solis nominibus universaliter significantibus consistenter; unde *Nominalium* appellatio fluxit. Contra hos omnes dicere sufficiat, *Universale in essendo*, & *predicando*, importans *ut quod* naturam realem, & intentionem rationis *ut quo*, nullatenus posse negari; cum evidens experientia sit, naturam realem hominis, aut animalis, aut arboris, &c., passim à nobis ita concipi, ut ab omni hæcæitate, divisione, & multiplicitate præscindatur: realem autem naturam ut sic conceptam, & nihil aliud, intelligimus nomine *Universalis*.

8 Alij ex adverso statuunt Universalis a parte rei, & ante opus mentis, non quidem Universalis logicum (ad hoc enim requirunt omnes actum Intellectus), sed metaphysicum, & *in essendo*, cum actuali unitate, & aptitudine ad *essendum* in multis. Hoc in primis præstitit opinio vetusta, (quam Platoni tribuit Aristoteles, fortasse per calumniam) asserens, existere in Luna concavo naturas universales, æternas, incorruptibiles, ingenerabiles, & à singularibus separatas, quas *Platonis Ideas* appellant, & quæ per productionem ad singularia descendunt, sic tamen, ut nec producto singulari generentur, nec pereunte corrumpantur.

9 Hæc sententia; eujuscunque fuerit, delirium est. Tum quia ens positivum æternum, & indefectibile, non est nisi Deus, cum sibi vendiceret attributa Divina. Tum quia ejusmodi natura, vel idea, realiter distingueretur à singularibus, utpotè ab his separata, vel separabilis; simulque realiter cum iisdem identificaretur, utpotè de ipsis verè affirmabilis tanquam propria ipsorum natura, vel essentia.

10 Sunt, & aliæ opiniones varijs modis inducentes Universalis à parte rei, quæ nonnullis, sed paucis Recentioribus placent, & quas explicatas, & impugnatas dedimus in Logic. fus. Nunc solum in referendo, ac rejiciendo Scotistarum doctrinam paulisper immorabimur.

Proponitur, & impugnatur sententia Scotistarum.

11 **S**cotistæ, suâ distinctione formali ex natura rei insistentes, tuentur Universalis à parte rei. Sed non omnes uno modo; ut videre est apud Mastriam, tum disp. 4. Log. q. 2., tum disp. 9. Metaph. q. 5. Docent quidem omnes, naturam humanam, v.g. esse à parte rei identificatam realiter absolute cum individuis, & eorum singularitatibus, sive hæcæitatibus, simulque ab iisdem esse distinctam formaliter ex natura rei. Sed, ut ejus universalitatem statuunt, in duos opinandi modos dividuntur.

12 Nam alij dicunt, naturam humanam esse unam, & communem pluribus *per inexistentiã*. ita

ita ut una, & eadem humanitas realiter sit in omnibus hominibus, nec humanitas Petri, & humanitas Pauli v. g. distinguantur, nisi extrinsecè, ratione scilicet hæcœccitatum.

13 Hæc opinio à Mastriocum alijs Scotistis impugnatur, & merito. Nam inde sequitur 1., non dari plures homines, sed plures tantum singularitates, quemadmodum in Trinitate non sunt tres Dij propter unitatem Deitatis, seu naturæ Divinæ. Unde arduitas mysterij Trinitatis transfertur ad creaturæ; siquidem in individua humana sunt realiter eadem uni naturæ, simulque realiter inter se distincta. Sequitur 2., eandem humanitatem esse in Christo Domino, & in Juda proditore: unde eadem erit adorabilis, & detestabilis; amica, & inimica Deo; damnata simul, & glorificata.

14 Sequitur 3., non posse Deum annihilare Petrum, manentibus cæteris; manebit enim in Paulo tota natura, & essentia Petri, solaque destrui poterit singularitas. Similiter non poterit Deus novum hominem creare: creatio enim est productio ex nihilo; nunc autem, quicumque producat homo, aliquid ejus præcedit, nempe humanitas, quæ in alijs hominibus præexistit. Sequitur 4., humanitatem Antichristi nunc existere, & non existere: existere; quia nunc existat alij homines; & non existere; quia nunc non existit singularitas Antichristi, cui humanitas realiter identificatur: & repugnat, quod è duobus realiter identificatis alterum existat sine altero.

15 Nec his absurdis medentur Scotistæ, dum asserunt, humanitatem omnium non esse unam numericè, sed formaliter, & essentialiter. Nam 1., unitas formalis est vera, & propria unitas, & identitas à parte rei, juxta Adversarios: erg. de humanitate verè, & propriè unà, & eadem verificatur esse in Cælo, & in Inferno, &c. 2.: multiplicatio, juxta Adversarios, unice se tenet ex parte singularitatum, quin naturam multiplicet in esse naturæ: erg. quidquid sit de nomine unitatis numericæ, non magis multiplicatur in individuis natura humana, quam natura Divina in Trinitate; nec magis erunt plures homines, quam plures Dij. Vide alia apud Mastrium loc. cit. Metaph. à num. III.

16 Propter hæc plerique Scotistæ, nominatim Merinerus, Mastrius, & novissimè Gonzalez, agnoscunt totidem naturas, sive humanitates, quot sunt homines. Sed tamè admittunt à parte rei naturam communem *per indifferentiam*, quod vocant *Universale negativum*. Hoc nomine intelligunt naturam cujusque hominis, v. g. Petri, quæ pro ut distincta formaliter ex natura rei à Petreitate, non dicit ex se repugnantiam, ut conjungatur cum quavis hæcœccitate aliorum hominum disjunctim, seu divisivè, licet sit extrinsecè impedita per Petreitatem, cui de facto identificatur.

17 Hanc indifferentiam, seu communitatem dicunt esse, non positivam, sed negativam, id est, ut ipsi explicant, non expeditam, & li-

beram ab impedimento, sed actualiter impeditam extrinsecè per Petreïtatem, per quam de facto contrahitur natura; sic tamen, ut in ipso contractionis statu retineat nõ repugnantiam ad alias hæcceitates. Unde manet indifferens ad multa per aptitudinem, non proximam, sed remotam: eo ferè modo, quo materia, sub unà formà exiltens, manet indifferens ad alias.

18 Hæc etiam opinio *rejicitur* 1.: quia in eà non salvatur a parte rei *Universale* metaphysicū; siquidem natura Petri, v. g. non ponitur multiplicabilis in esse nature, sed permanens una, & eadem, dicitur identificabilis divisivè cum multis hæcceitatibus. Hoc autem haud sufficit ad universalitatem metaphysicam. Tūm quia tot alioqui forent intra humanam speciem naturæ universales, quot sunt homines. Tūm quia potiori jure natura Divina dicenda esset universalis, cum non repugnet identitati cum pluribus Personis, & quidem conjunctim, sive in sensu composito. Tūm quia singularitas Petri, & cujusvis hominis, pariter vocanda foret communis, sive universalis; siquidem, juxtà hos Scotistas, est etiã ex se indifferens, ut identificetur divisim cum qualibet humanitate.

19 Negat hanc sequelam M. Gonzalez: quia, sicut in physicis non forma, sed sola materia dicitur communis, tametsi forma ignis v. g. sit ex se conjungibilis cum materia ligni, non alia ex causà, nisi quia forma ex se determinata est ad cõ-

stituendum ignem potiùs, quàm lignum, cum quacumque materia: ita in metaphysicis sola natura dicenda est communis, non verò Petreïtas, seu Petri hæcceitas; quia hæc ex se determinata est ad constituendum Petrum præ alio individuo, cuicumq; humanitati conjungatur.

20 Verùm hoc eodem exemplo redarguitur Adversarius. Nam, si materia prima non esset ex se indifferens, nisi ad plures formas ejusdem speciei, sicut forma ignis ex se indifferens est ad plures materias speciei unius; proculdubio non magis communis esset materia, quàm forma, nec minùs determinata ad certam speciem cõpositi. Cum igitur humanitas Petri non sit ex se indifferens, nisi ad plures hæcceitates speciei humanæ, si Petreïtas est etiã ex se indifferens ad plures humanitates ejusdem speciei, tam communis, & universalis erit una, quàm altera, nihilque dabitur in Petro singularare.

21 At, inquis, Petreïtas cum quavis humanitate non constituet nisi Petrum; humanitas verò potest constituere, vel Petrum, vel Paulum, vel Joannem, &c. Sed nihil proficis: nam Petreïtas cum aliã humanitate non constitueret eundem Petrum, qui nunc est, sed alium hominem inadæquatè distinctum, utpotè cõstantem aliã humanitate, seu naturã, ut nos docet ipse Gonzalez in præsentì disp. 2. n. 121.: idemque accideret, si humanitas Petri conjungeretur cum Pauleitate; solum quippè constitueret alium hominẽ

inadequatè distinctum à Petro, qui nunc est. Tam ergo Petreitas, quàm humanitas Petri, potest ex se constituere multa individua humana inadequate distincta. Cur igitur altera præ altera erit communis?

22 *Rejicitur* 2. eadem opinio. Vel potuit Deus facere, ut humanitas Petri, saltèm in Primâ sui productione, conjungeretur cum Pauleitate? vel non? Si *primum* dicas cum Maftrio disp. 9. Metaph. & alijs Scotistis; non poterit ea humanitas nunc esse identificata realiter cum Petreitate, contra quod omnes Scotistæ docent. *Probatur*: quia humanitas Petri, & Petreitas separabiles erunt, cum potuerint existere realitèr separatè; separabilitas autèm non cohæret cum identitate reali, juxta Scotistas, & omnes. Negat Maftrius esse separabiles, postquam existunt. Sed gratis negat: si enim Deus impedire potuit realem identitatem in primo instanti, quin tolleret existentiam extremorum; cur non poterit eam postea destruere, illâs extremis?

23 Si verò *secundum* optes cum Gonzal. cit. disp. n. 120.; consequentiam in te desidero. Cùm enim nec humanitas Petri, nec Pauleitas, ex se repugnet mutue conjunctioni, ut contendis; quid prohibet eas conjungi ex decreto Dei? Quænam contradictio sequeretur, ex cõjunctione extremorum, quæ ex se apta sunt conjungi? Sequeretur, inquires, realiter separari ea, quæ realitèr identificantur, nempe naturam Petri, & Petreitatem, quod

est chymericum. Utiq; sed hoc absurdum tibi est devorandum; siquidem ponis in naturâ, & Petreitate veram indifferentiam, & aptitudinem intrinsecam ad separationem: unde vel separatio realiter identificatorum nõ erit chymérica, vel dabitur ad separationem chymericam aptitudo vera. Mitto alia brebitatis ergo.

## CAP. II.

*Probatur generatim repugnancia Universalis à parte rei: & contrarijs argumencis occurrit.*

24 **S**ententia negans Universale à parte rei, communis est in Scholâ nostrâ, & Thomisticâ: & præter dicta cap. præced. probatur breviter. Repugnat Universale à parte rei, si repugnat a parte rei unitas, & communicabilitas ejusdè entis ad plura, quibuscum realiter identificetur, & in quibus realiter multiplicetur secũdũ nomen, & rationem propriam; sed talis communicabilitas, & unitas omninò repugnant à parte rei: ergo &c.

25 *Prob. min.*: unitas à parte rei est unitas intrinseca, & realis, & communicabilitas illiusmodi importat pluralitatem intrinsecam, & realem sub eodem nomine, eademque ratione; sed realis unitas, & pluralitas ejusdem entis in eadem ratione, repugnat omninò; siquidè essent intrinseca divisio, & indivisio, intrinseca unitas, & non unitas in eodem sensu, efficerentq; ut à parte rei plures homines forent intrinsecè unus homo: ergo &c.



26 Quapropter á parte rei solùm est Universalis fundamentaliter, quatenus datur fundamentum, ut Intellectus naturam realem abstrahat, & præscindat á multiplicitate reali, atque ita constituat formalitèr Universalis. Illud autem fundamentum sunt plura individua realitèr similia inter se, quæ promensurâ similitudinis occasionem præbent intellectui, ut ea confundat conceptu indefinito, generico, vel specifico. Potest etiam fundamentum desumi ex unico individuo naturæ finitæ, ac limitatæ, quæ idcirco non repugnat coexistentiæ aliorum similium: nam ex hac non repugnantia fundamentum sumit Intellectus, ut naturam talis individui, v. g. Solis, á singularitate præscindat.

27 *Objic. 1.* pro Ideâ Platonis: Scientiæ dicuntur esse de necessaris, æternis, immutabilibus, quæ nec generantur, nec corrumpuntur; sed scientiæ sunt de Universalibus: ergo dantur Universalia his attributis prædita, atque adeò realiter separata á singularibus. *Confirm.*: quia, nisi detur natura communis á singularibus separata, falleretur Intellectus, dum eam sine singularibus concipit.

28 *Resp.*: ea omnia tribuntur objectis scientiarum, non in existendo, sed in verificando propositiones scientificas. Quia enim hæc propositio, *Homo est animal rationale*, hoc sensu exposita, *Quantumque existat homo, quidditas ejus est animal rationale*, vera est

ab æterno in Intellectu Divino, & foret etiam vera in intellectu creato, si existeret ab æterno, & quia verificatio ejus est necessaria & immutabilis, nec pendet ex eo, quod generetur, aut corrumpatur homo; idcirco ipsius objectum, quod est homo universaliter cõceptus, dicitur æternum, necessarium, &c.; quin requiratur separatio realis á singularibus; nam his etiam eadem attributa conveniunt eodem sensu, prout substant conceptui homo.

29 *Ad confirm.*: falleretur quidem Intellectus, si conciperet naturam objectivè sejunctam á singularibus: at non ita concipit; sed præcisè naturam intelligit non cogitando singularia, id est, non illa exprimendo sub ratione talium: in quo nulla falsitas; juxta illud, *Præscindentium non est mendacium.*

30 Notandum hic, quòd singulare, prout existens á parte rei, non est correlativum Universalis, nisi forte *secundum dici*, eo modo, quò ens reale & ens chymericum sunt correlativa. Ut summum ergo dabitur verà relatio inter Universalis, & singulare secundò intensionaliter acceptum.

31 *Objic. 2.* pro alijs sententijs: uno tantum hominè existente, daretur á parte rei natura humana una, & multiplicabilis: ergo foret natura Universalis. *Dist. Antec.*: multiplicabilis per divisionè sui in plures naturas humanas, *neg.*; multiplicabilis, id est, non excludens possibilitatem, & existentiam aliarum similium, & solo numero diffe-

rentium, *conc. Antec.*; hoc enim sensu sola natura Divina est immultiplicabilis essentialiter. Sed *neg. Conseq.*: quia multiplicabilitas sic accepta non sufficit Universalis, cum non reddat naturam illam aptam esse in multis.

32 *Replc.*: illa natura saltem ab intrinseco non repugnat communicationi sui ad plura individua; aliás, dum per Intellectum concipitur communis pluribus, conciperetur cum predicato sibi repugnante. *Dist.*: non repugnat communicationi sui solius, aut seorsum acceptæ, ut est á parte rei, *neg.*; communicationi sui ut confusæ per Intellectum cum alijs similibus, *conc.* Unde natura illa non concipitur cum predicato sibi repugnante: quia non concipitur communis, nisi prout confusè concepta cum alijs; cui communitati non repugnat ab intrinseco, sed illi fundamentū præbet.

33 *Objc.* 3.: natura omnium hominum á parte rei est unicâ definitione definibilis: ergo habet unam essentiam, seu quidditatem; nam quidditas definitioni respondet. *Concedo* Consequentiam, loquendo de unitate fundamentali, quæ est unitas similitudinis. Sed, loquendo de unitate formali, sive actuali, *dist. Conseq.*: habet unam essentiam, unitate præsuppositâ ante operationem Intellectus, *neg.*; unitate præstitâ per operationem Intellectus, nimirum per conceptum homo, vel per ipsam definitionem animal rationale, quæ etiam exercitè præscindit á singularitatibus, &

naturas omnium hominum adunat, *conc. Conseq.*

34 Ut aliás objectiones præcidas, *observa.* 1., quod á parte rei non alia datur unitas inter individua realiter distincta, nisi unitas similitudinis, quæ non est unitas propriè dicta, formalis, aut actualis, sed impropria, & purè fundamentalis, quatenus ex eâ fundamentum sumit Intellectus, ut plura individua confundat sub uno conceptu indefinito. Non, inquam, est propriè unitas. Tum quia similitudo pluralitatem importat, cum sit relatio realis, vel fundamentum ejus; ideòque nemo dicitur sibi similis: unitas autem opponitur pluralitati, seu multitudini. Tum quia daretur alioqui realis unitas inter Deum, & creaturam, præsertim hominē, qui factus est *ad imaginem, & similitudinem Dei*, Genes. 1. Ipsæ quòque hæc ceitates, humanæ v.g., cum verè assimilentur in contrahendo naturam humanā, potius quàm equinam, forent á parte rei una hæc ceitas, nec minùs universalis, quàm humana natura.

35 Dum autem Aristoteles docet, relationes similitudinis, equalitatis, & identitatis, in unitate fundari, sumit unitatem pro conformitate, quâ unum se habeat sicut aliud, vel in qualitate, vel in quantitate, vel in substantiâ. Sed, cum ista cõformitas necessariò importet unum, & aliud, adeòque multitudinem, nequit esse propriè unitas, vel identitas, quàmvis itá vocari soleat sensu vulgari.

36 *Observa 2.*, quòd ad excludendam diversitatem non requiritur unitas propriè dicta, sed sufficit unitas impropria, & fundamentalis, id est, similitudo. Cùm enim diversitas idem sonet, ac dissimilitudo notabilis, satis excluditur per similitudinem. Excluditur etiam à fortiori per veram unitatem, ubi hæc invenitur; quia ubi non dantur multa, non dantur diversa: sed talis unitas non est necessaria. Hinc inferes, quòd natura humana, quæ est in omnibus hominibus, licet à parte rei non sit multiplex natura diversa, non ideò à parte rei est propriè una, sed est multiplex natura similis: quemadmodum hæcceitas humana, licet non sit à parte rei multiplex individuatio diversarum naturarum, non ideò est propriè individuatio una.

37 *Observa 3.*, quòd *unitas formalis* interdum sumitur pro unitate intentionali, interdum pro verà, & actuali (& neutro modo datur à parte rei inter naturas numero distinctas), interdum pro indivisione in plures naturas specie, vel genere diversas: & hoc modo verè datur à parte rei unitas formalis, non solum in naturá Petri v. g., identificata cum unitate numericá, sed etiam in naturis omnium hominum simul sumptis, quæ proinde verè dicuntur in hoc sensu natura *formaliter una*; quia non habent divisionem in plures naturas genere, vel specie diversas. Sed formalis unitas ejusmodi, quando coheret cum pluralitate numericá,

non est unitas propriè, cùm consistat in similitudine specificá, per quam satis excluditur divisio in plura diversa, ut nuper diximus.

38 *Dices*: ubi datur propriè indivisio, datur propriè unitas; quia unitas per indivisionem definitur: sed in naturá humaná, numericè multiplicatá, datur propriè indivisio in plures naturas specie diversas: ergo. *Dist. Maj.*: ubi datur propriè indivisio excludens multitudinem, *conc.*, excludens præcisè diversitatem, sed locum relinquens multitudini, *neg. Maj.*, & *concessá Min.*, *neg. conseq.* Indivisio, per quam definitur unitas, debet esse, non solum in plura diversa, sed etiam in plura talia, quæ sint multa simpliciter; nam unum & multa immediatè opponuntur. Cùm ergo indivisio naturæ humanæ in plures specie diversas, non excludat multitudinem naturarum (verè quippè sunt multæ naturæ humanæ à parte rei), non sufficit ad unitatem propriè dictam. Et quo modò erunt propriè una duæ naturæ, quarum altera destrui, & annihilari potest, alterá illæsá, & integrá?

39 *Observa* demùm, quòd nomen *species*, aut *genus*, in sensu logico, & metaphysico, cùm sit nomen secundæ intentionis, non verificatur ante operationē Intellectus, nisi fundamentaliter, seu quatenus sonat similitudinem individuorum, quæ fundat conceptum specificum, aut genericum. Unde, cùm Petrus, & Paulus dicuntur à parte rei esse unius, & ejusdem speci-

eiei, tō unius & ejusdem solūm significat non esse notabiliter dissimiles, sicuti sunt Petrus & Bucephalus. Vid. alia in Logic. sup.

## CAP. III.

## EXPLICATUR UNIVERSALE

per Intellectum.

40 **U**niversale fieri per Intellectum, omnes Scholæ consentiunt. Sed qualiter fiat, non omnes uno modo explicant. In nostris principijs fit per conceptum indefinitum, id est, ita exprimentē objectum realiter multiplex, aut multiplicabile, ut illud præscindat à reali unitate, & pluralitate: cujusmodi est quilibet ex his conceptibus, *homo, leo, animal, corpus &c.* Posito enim conceptu *homo* v. g., natura humana per illum redditur formalitèr, sive intentionaliter una, simulque apta convenire multis; ac proinde redditur universalis.

41 In primis redditur una; quia tota, quā latè patet, redditur uniformiter definibilis, ita ut sub illo conceptu non aliter definiatur humanitas, quæ est in Petro, quàm humanitas, quæ est in Paulo, aut alio quovis; nam quicumque definitur ut *homo*, definiri debet *animal rationale*. Omnes igitur naturæ humanæ sub tali conceptu sunt unius definitionis, adeoque unius rationis, cum idem sit *ratio* rei, ac *definitio*, juxta Aristotelem, & D. Thomam. Fieri autem unius rationis, est fieri ratione unum, seu formalitèr unum.

42 Adde, quòd natura hu-

mana sub eo conceptu ita præscinditur à multitudine reali, ut non appareat realiter multiplicata, nec per multitudinē definibilis: nullam ergo in intellectu divisionem habet. Quo autem sensu non habet divisionem, una est. Una, inquam, non quidem unitate intrinsecâ & reali (ab hac enim præscinditur); sed unitate extrinsecâ & intentionali, præstitâ per conceptum *homo*, qui divisionem rationis excludit.

43 Deinde per illum conceptum natura humana redditur apta convenire multis, seu communicari pluribus. Nam aptitudo & communicabilitas propria naturæ Universalis, est actualis indifferentia, ut sine fictione cognoscatur identificata realiter cum pluribus. Hæc autem indifferentia supponit ex parte objecti realem identitatem illius naturæ, quæ fit intentionaliter una, cum pluribus saltem possibiliibus, vel, quod eodem redit, supponit aptitudinem & communicabilitatem radicalem, seu fundamentalem (quæ juxta Thomistas est materialitas naturæ, juxta alios est finitudo & limitatio perfectionis); & addit præcisionem ab omni pluralitate, & differentiâ inferiori. Natura enim humana, dum præscinditur, & quasi denudatur ab omni differentiâ individuante, nihil retinet, unde repugnet Petro, nec Paulo, nec alijs hominibus individujs.

44 Ne tamen putes, naturam humanam esse indifferentē, ut cognoscatur identificata cum pluribus per solum conceptum *homo*; aliàs

aliàs per illum non præcinderetur à pluralitate, nec fieret una. Per hunc ergo conceptum redditur indifferens, ut, quoties prout sic concepta comparatur cum individuis hominibus, statim appareat conveniens illis per identitatem: hæc autem comparatio necessarii fieri debet per alios conceptus, vel apprehensivos, vel judicativos.

45 Porro, si natura humana ita existeret à parte rei, sicut apparet sub conceptu *homo*, præcisâ scilicet ab omni differentiâ individuante, nec habens actualem divisionem, foret absdubio Unversale à parte rei: si ergo per Intellectum acquiritur conditiones istas, erit Unversale per Intellectum.

46 Ex dictis inferes, Unversale esse concretum ex subjecto & formâ: subjectum, quod suscipit denominationem *Unversalis*, est natura realis, quæ multiplicata, est à parte rei: forma denominas, est cognitio abstractiva, v. g. *homo*, per quam natura præcinditur à multiplicitate reali; ab hac enim formâ, licet extrinsecâ, denominatur objectum unum, & commune pluribus, modo explicato. Unde ipsa est unitas, & communitas in abstracto, & *intentio Unversalitatis*, ut contra Thomistas pro ente rationis pugnantes, ostendimus tract. I. disp. 2. cap. 4. & 5. Quamvis autem subjectum sit reale, & sola forma proveniat ab Intellectu, tamen Unversale dicitur potius esse per Intellectum, quàm à parte rei; quia ponenti ultimum determinativum, tribuitur totum.

47 Notandum hîc, aliud esse loqui de naturâ humana *secundum se*, aliud de eadem *in esse Unversalis*. Primo modo consideratur natura in statu abstractionis, non tamen secundum prædicata extrinseca, quæ illi proveniunt à tali statu; sed secundum prædicata penitus intrinseca, per quæ in tali statu definitur, nempe *animal*, & *rationalis*, & quæ in his formalitèr includuntur: & hæc dicuntur prædicata *primæ intentionis*, & propria naturæ *in suppositione personali*: & hæc eadem sunt, quæ possunt cognosci identificata cum pluribus.

48 Secundo modo consideratur natura secundum prædicata in ipsam derivata ab statu abstractionis, idest, à cognitione præcisivâ, nempe secundum denominationes *unius*, *communis*, *indifferentis*, *unversalis*, *generis*, *speciei*, &c.: hæc dicuntur prædicata *secundæ intentionis*, & propria naturæ *in suppositione simplici*, nec possunt convenire individuis quâ talibus, aut cum eis identificari. Unde colliges, quare dicatur, quod natura *secundum se* non est una, nec multiplex: quia scilicet nec per unitatem, nec per multiplicitatem definitur in suppositione personali.

49 Contra doctrinam traditam *objic.* 1.: natura humana in statu abstractionis est intrinsecè ens; ergo est intrinsecè una; nam unum & ens convertuntur, & unitas est passio entis metaphyca. Transmisso *Antec.*, *dist. conseq.*: est intrinsecè una, unitate indivisionis in plures

res species, seu naturas diversas (quæ dici solent *unitas formalis* ex num. 37.) *conc.*; unitate indivisionis in plura individua similia, *neg. conseq.* Illa tamen *formalis unitas*, quatenus præcisa ab unitate individuali per conceptum *homo*, non est propriè unitas intrinseca, & realis, utpotè non excludens divisionem in multa. Relege num. 38.

50 *Instabis*: ergo homo ut *sic*, non erit propriè ens, siquidem non est propriè unum reale. *Dist. conseq.*: non erit propriè ens positivè distinctum à multitudine, seu non erit potiùs ens, quàm entia, *conc.*; non erit propriè ens, quod sit non positivè distinctum à multitudine, sed ab eâ præscindens, seu quod sit non potiùs ens, quàm entia, *neg. conseq.*. Cùm dicitur unitas converti cum ente, sumitur *ens* prout in se excludens divisionem, quâ possit pluraliter vocari *entia*; si enim ita vocari potest, non est ens, sed multitudo entium, in quâ datur unitas, non unica, sed multiplex. Dùm autem ens ita sumitur, ut non positivè distinguatur à multitudine, sed ab eâ purè præscindat; tunc non convertitur cum uno reali; quia cùm non potiùs sit ens, quàm entia, non est potiùs unum, quàm multa.

51 Atque ita se habet humanitas sub conceptu *homo*; quæ, sicut præscindit ab eo, quod sit natura una, vel multiplex, ita & ab eo, quod sit ens, vel entia. Si queratur (inquit D. Thomas cap. 4. de Ent. & Essent.), *utrùm ista natura possit*

*dici una, vel plures? neutrum concedendum est; quia utrumque est extra intellectum humanitatis.* Nota, quòd huic argumento non occurritur per Thomisticam unitatem fictam, quæ certè non est passio entis.

52 Hæc de unitate intrinsecâ & reali. Ceterùm unitate rationis extrinsecâ, & intentionali, natura sub conceptu *homo* est utique una positivè per denominationem à conceptu ipso (alioquin non foret universalis). Quàmvis enim conceptus ille sit purè præcisivus ab unitate, & pluralitate reali, attamen positivè adunat intentionaliter objectum suum: quia positivè excludit divisionem, per quam objectum sub ipso conceptu appareat ratione multiplex, aut divisum: expressio quippè indefinita *homo*, repugnat identificari cum expressione pluralitatis objectivæ ut talis, in quâ expressione consistit divisio, ac pluralitas rationis.

53 *Objic. 2.*: quòd cognitio in se sit una, non sufficit, ut naturam denominet unam; sicut quòd sit in se singularis, & spiritualis, non fat est, ut naturam denominet singularem, & spiritualementem; & alioquin divina cognitio, quæ unica repræsentat res omnes, eas denominaret Unum, & Universale *Resp.* Non ideò naturam dicimus fieri unam à cognitione, quia cognitio in se una est; sed quia habet modum tendendi adunativum, id est, præcisivum à multiplicitate reali naturæ.

54 Patet hoc in his conceptibus, *homo*, & *homines*. Uterque est

est unus in se: sed non reddit uterque naturam humanam extrinsecè & intentionaliter unam; idque ob diversum tendendi modum: nam secundus exprimit ex parte actûs pluralitatem objecti ut talem: primus verò á pluralitate præscindit, ideòque naturam humanam, quæ ex parte objecti est multiplex, ita proponit ex parte actûs, ut Intellectus eam definiat, & explicet quasi unam: & hoc est habere modum tendendi adunativum, & objectum realiter multiplex exercitè constituere, seu denominate unum per rationem.

55 Nec ideò debet cognitio denominare objectū singulare, vel spirituale: talium quippè denominationum á formâ extrinsecâ incapax est objectum. Nec item divina cognitio objectum in se multiplex facit unum, aut Universale; cum præscindere nequeat ex parte actûs á pluralitate objectivâ.

56 Observa, quòd conceptus *homo* est unitas singularis respectu sui, non respectu objecti; & est unitas universalis respectu objecti, non respectu sui: quemadmodum est representatio objecti, & non est representatio sui: vel quemadmodum est physica existentia sui, & intentionalis existentia objecti, non è converso; quâ in re nulla est difficultas, cum certum, & obvium sit, non omnes denominationes, quas forma suscipit *ut quod*, posse tribui subjecto, vel objecto; nec omnes, quas forma continet respectu subjecti, posse affi-

cere formam ipsam *ut quod*.

57 *Objic. 3.*: unitas rationis est impropria, sicuti distinctio rationis: ergo non constituit propriè Universale; quemadmodum unitas similitudinis, quia impropria est, Universali non sufficit. *Confirm. 1.*: Universale est essentialiter unum, cum per unitatem definiatur: ergo non est unum extrinsecè tantum. *Confirm. 2.*: si præcisiva cognitio esset unitas Universalis, multiplicatâ cognitione *homo*, multiplicarentur species humanæ; sicut multiplicatâ unitate individuali, multiplicantur individua. *Confirm. 3.*: natura Universalis est unus conceptus objectivus: ergo habere debet unitatem objectivam. *Confirm. 4.*: cognitio accipit unitatem ab objecto: ergo nequit tribuere objecto unitatem.

58 *Resp.* Unitas rationis impropria est, si comparatur unitati reali: propria tamen est in lineâ rationis; verè enim, & propriè excludit divisionem de lineâ rationis, consistentem in expressione plurium, ut plurium. Sic unitas amicitiae, vel unitas politica partium Reipublicæ, impropria est, si unitati physicæ comparatur, cum tamen sit propria in lineâ morali.

59 Hinc patet disparitas ad unitatem similitudinis: hæc enim, cum non pertineat ad lineam intentionalem, sed ad realem physicam, deberet excludere divisionem realem, ut foret unitas propria in sua lineâ; quam tamen divisionem minime excludit, sed potius positivè præ-

præfert pluralitatem. In nullâ igitur lineâ est unitas propriè talis, nec reddit naturam indivisam realiter, nec intentionaliter.

60 Hinc etiam inferes. Universalis per Intellectum, quamvis dici possit improprium comparativè ad Universale à parte rei, si daretur, tamè absolute esse proprium: tum quia impossibile est aliud magis proprium: tum quia tantam habet proprietatem, quantam requirunt Scientiæ, quæ certè contentæ sunt Universalitate rationis, utpotè sufficiente, ut totam speciem humanam v. g. unicâ definitione definiant, ac de eâ differant, quasi esset realiter una.

61 *Ad 1. Confirm.*: Universalis adæquatè sumptum, seu prout est concretum ex subjecto, & formâ, nempe ex naturâ, & cognitione, intrinsicè, & essentialiter est unum; quia unitas intentionalis est de essentiali illius concreti. Solum ergo unitatem dicimus extrinsecam Universalis specificativè sumpto, idest, naturæ physice, quæ denominatur universalis. Sic cognitio est de essentiali concreti *cognitum*; & tamen est extrinseca rei, quæ cognita denominatur.

62 *Ad 2. Confirm.*: Universalis, vel Species, est concretum accidentale: concreta autem accidentalia non multiplicantur ex multiplicatione formarum ejusdè rationis, si subjectum est idem. Sic Deus mille cognitionibus cognitus, non dicitur multiplex cognitus, sed unum millies cognitum. Pariter ergo ua-

tura humana, multiplicato conceptu *homo*, non est multiplex Species, sed eadem multipliciter formata. Contrâ unitas individualis, cum non sit forma accidentalis individuo, sed omninò intrinsicè, & substantialis, necessariò inducit multiplex individuum, si ipsa multiplicatur.

63 *Ad 3. neg. Conseq.*: quia natura Universalis, est quidem conceptus objectivus unus, ac non est objectivè unus, sed extrinsecè intentionaliter: quemadmodum juxta Thomistas ea natura est unus conceptus objectivus realis, sed non est unus realiter, cum tantum fictè sit unus.

64 *Ad 4.*: cognitio desumit unitatè ab objecto tanquàm à fundamento; & objectum accipit unitatem à cognitione tanquàm à formâ: cognitio præsupponit in objecto unitatem fundamentalem, consistentem in similitudine plurium; & objectum accipit formaliter à cognitione unitatem actualem extrinsecam, consistentem in expressione præcisivâ. Nec objectu comparatur ad cognitionem ut causa physica, vel univoca, sed ut causa formalis extrinseca, quæ perfectiones effectûs non nisi fundamentaliter præcontinere debet.

#### CAP. IV.

*Quodnam sit Objectum cognitionis constituentis Universalis?*

65 **Q**Uæritur, quid attingat ex parte objecti cognitio *homo*, & aliæ similiter præcisivæ, quibus formaliter



ter constituitur Universalis? Patroni præcisionis objectivæ respondēt, per cognitionem *homo* attingi dantaxat prædicata essentialia naturæ humanæ præcisa ex parte objecti ab omnibus differentijs individuarum: quæ natura in statu reali est natura omnium hominum, & cum omnibus realiter identificatur: at in statu intentionali, in quo præcinditur objectivè ab omni hæccitate, & multitudine, nullius individui propria est, sed ad omnia, & singula redditur indifferens, verèque prædicabilis secundum totam sui rationem objectivam de omnibus, & singulis individuis.

66 Hæc doctrina subest omnibus difficultatibus præcisionis objectivæ: & nunc specialiter impugnatur. Quia, juxta hos Auctores, natura humana secundum totam realitatem, quæ terminat ex parte objecti cognitionem *homo*, fit verè prædicabilis de singulis hominibus, absque ulla disjunctione: ergo fit realiter identificabilis cum singulis; nihil enim potest sic verè prædicari de ullo subjecto, nisi cum eo realiter identificetur. At hoc planè repugnat. Nam illa realitas naturæ humanæ, juxta eosdem Auctores, identificatur à parte rei cum omnibus hominibus: quod autem realiter identificatur cum omnibus, repugnat fieri realiter identificabile cum singulis.

67 *Confirm.*: in doctrinâ prædictâ, propositio hæc, *Petrus est homo*, sic exponenda erit: *Petrus realiter identificat secum naturam*

*humanam, quæ à parte rei est propria natura Pauli, quamvis nullius hominis propria sit prout in statu abstractionis.* Vel etiam sic: *Petrus realiter identificat secum quicquid realiter est in Paulo præter Pauleitatem.* Uterque autem sensus falsus est citrà dubium; cum nequeat Petrus realiter identificare secum illud ipsum, à quo distinguitur à parte rei. Hæc maxime vim habent contra Præcidentes objectivè, qui communiter docent, Universalis in actuali prædicatione salvari.

68 Dicendum igitur, Objectum cognitionis *homo* (idem intellige proportionem servatâ de quovis actu constituyente Universalis) esse omnes hominum naturas, sive omnia individua humana. Ita omnes Defensores præcisionis formalis, ex quâ præcisione Cœclusio ista necessariò sequitur. Cum enim cognitio *homo* attingat prædicata essentialia naturæ humanæ, quæ identificantur à parte rei cum omnibus individuis, hæc omnia attingere debet ex parte objecti, nisi præcindat objectivè.

69 *Prob. insuper.* Objectum cognitionis *homo* est vera, & realis natura humana, ut insiciatur nemo: ergo vel est natura Petri, vel alterius determinatè, vel omnium hominum; non enim alia invenitur in rebus. Atqui non est sola natura Petri, vel alterius hominis determinatè, cum hæc non possit de omnibus prædicari: est ergo natura omnium, seu cumulus omnium naturarum; ac proinde cognitio il-

la terminatur ad omnes homines ex parte objecti.

70 *Confirm.* : conceptus *homo* illud objectum attingit, quod intentionaliter adunat, seu reddit unum; sed adunat omnia individua naturæ humanæ, reddendo uniformiter definibilia : ergo attingit omnia ex parte objecti. Passim, & verè dicitur, quòd, posito conceptu indefinito, Petrus, & Paulus sunt unum in ratione hominis, ut etiam homo, & equus unum in ratione animalis. At hoc falsum erit, si conceptus *homo* non attingit ex parte objecti Petrum, & Paulum, neque conceptus *animal* hominè, & equum: nam quòd non attingitur ab his conceptibus, non redditur cognitum, adeoque non redditur unum, cum denominatio *unius* imbibatur in denominatione *indefinitè cogniti*.

*Explicatur prædicabilitas istius Objecti.*

71 **S**uperest explicandum, quo sensu objectum cognitionis *homo* fiat adæquatè prædicabile de singulis hominibus: prædicabilitas enim inadæquata non sufficit; aliter Petrus erit universalis à parte rei, cum sit unus, & inadæquatè prædicabilis de multis, nempe de corpore, & animà, quibus constat. At illud objectum, si complectitur omnes homines, nequit esse de singulis prædicabile adæquatè, vel secundùm se totum; neque enim de quovis homine prædicari potest *omnis homo*.

72 Nec fat est dicere cum nonnullis, objectum illud esse prædicabile de Petro, v. g. adæquatè intensivè, non adæquatè extensivè, vel, ut alij loquuntur, adæquatè ex parte actus, & inadæquatè ex parte objecti. Nam *contra* est: quòd denominatio *prædicabilis* non cadit super actum, sed super objectum, & quidem complectendo partes ejus omnes per modum unius; sic enim, & non aliter objectum redditur *Universale*. Si ergo objectum cognitionis *homo* sunt omnes homines, tota hominum collectio est, quæ suscipit denominationem prædicabilis adæquatè intensivè de Petro.

73 At quomodo poterit tota hominū collectio reddi verè affirmabilis absolutè de Petro, qui pars tantum collectionis est? An verum erit, quòd tota perfectio intensiva naturæ humanæ realiter identificata cum Paulo, potest etiam realiter identificari cum Petro? Sanè perfectio intensiva naturæ humanæ nõ præscinditur ex parte objecti à perfectione extensivà, ut Authores isti supponunt: ergo si tota perfectio intensiva denominatur prædicabilis de Petro, tota etiam sic denominabitur perfectio extensiva.

74 Germana hujus difficultatis explicatio pendet ex modo tendendi cognitionis *Universale* constituentis. Is modus est *indefinitus*, idest, ut vox ipsa præsefert, indefinitus, atque adeo saltem implicitè, & æquivalenter *vagus*, aut *disjunctivus*, aptusque proinde ad  
sup-

suppositionem confusam, vel disjunctivam, in qua verificetur per quodlibet e multis, quæ significat. Quare indefinitus conceptus homo potest eodem modo resolvi, ac resolvuntur hi, quidam homo, aliquis homo; unus homo, vel unus ex hominibus. Ita plures Authores in Logic. sus. relati.

75 Probatur 1. ex Aristotele 4. Metaph. cap. 2. dicente: Idem est unus homo, & ens homo, ac homo; & non significat diversum aliquid secundum dictionem repetitam, id est, homo, & homo, & unus homo. Sed terminus unus homo vagè significat omnes homines, cum idem sonet, ac unus ex hominibus, sitque verificabilis per quemlibet eorum: ergo similiter censendum de termino homo. Consonat S. Thomas, cuius luculenta testimonia reperies in Logic. sus.

76 Probatur 2. ratione. Terminus homo in ordine ad prædicationem non habet tendentiam copulativam, aut collectivam: ergo, cum aliunde non habeat tendentiam determinantem unum hominem individuum præ alijs, superest, ut habeat tendentiam indeterminatam, & vagam: Prob. Antec.: terminus homo reddit objectum verè affirmabile de singulis, & omnibus, quæ cõtinet: sed non ita facit terminus copulativè significans. Patet hoc in termino omnis homo, vel omne animal; qui propter tendentiam copulativam nequit reddere objectum verè affirmabile de subiecto, sive inferiori, sive æquali.

77 Ut enim inquit Aristoteles 1. Periherm. cap. 5., Nalla erit affirmatio, vera, in qua prædicationis nota universalis ei adjungitur, quod universaliter prædicatur, ut, Omnis homo est omne animal. Id quod verum est (inquit D. Thomas ibi lect. 10, litt. f.); etiam si prædicatum sit convertibile, ut Omnis homo est omne risibile. Oporteret enim, quod quilibet unus homo esset animalia omnia, aut omnia risibilia, quæ repugnant rationi singularis, quod accipitur sub Universalit.

78 E. contrario, ut ibidem observat S. Doctor, terminus vagè significans, vel signo particulari affectus verificabilis est de subiecto Universalit, v. g. Omnis homo est aliquid animal: unde infertur, terminum, animal, habere tendentiam consonam termino, aliquid animal; dissonam autem termino, Omne animal.

79 Confirm.: hi termini, animal, & aliquid animal, sunt convertibiles in prædicando, ita ut recta illatio sit, est animal: ergo est aliquid animal, & è converso: sunt, inquam, convertibiles ratione formæ, sive ex modo tendendi; nam in omni materiâ sese reciprocè cõsequuntur terminus indefinitus, & vagus, seu particularis, ut liquidum erit experienti: ergo terminus, aliquid animal, non est minus amplius, magisvè determinatus, nec ex parte objecti, nec ex parte modi, quàm terminus, animal. Patet Conseq.: nam juxta regulam Sum.

mularum, termino amplo ad non amplum non tenet illatio affirmati-  
 ve. Attamen à neutro ex his prædi-  
 catis Consequentia valet ad prædi-  
 catum, *omne animal*; quia, licet  
 hoc ab illis non differat in ob-  
 jecto, differt tamen in modo ten-  
 dendi copulativo.

80 Hinc clarè percipitur,  
 quomodo objectum cognitionis *ho-*  
*mo* includat omnes homines, & ta-  
 men sit adæquatè prædicabile de  
 singulis. Nam, licet de Petro sola  
 ejus natura sit prædicabilis deter-  
 minatè, ac indeterminatè, seu va-  
 gè, omnes naturæ prædicari possunt  
 de Petro, dummodò natura Petri sit  
 unum de extremis disjunctionis:  
 verè enim dicitur, *Petrus est aliquis*  
*homo*, vel, *est unus ex hominibus*: ubi  
 ex parte prædicati omnes homines  
 indeterminatè significantur.

81 Nec ideo debet totum il-  
 lud objectum identificari cum Pe-  
 tro: nam identitas adæquata prædi-  
 cati cum subjecto, infertur quidem  
 ex adæquata prædicabilitate in sen-  
 su determinato, vel colectivo, sed  
 non ex adæquata prædicabilitate in  
 sensu indeterminato; ex hac enim  
 solùm infertur identitas adæquata  
 subjecti cum uno extremorum dis-  
 junctionis. Quare prædicabilitas res-  
 pectu singulorum, afficit totum ob-  
 jectum universale; non tamen to-  
 tum afficit identificabilitas; vel  
 identitas cum singulis.

82 Sed adversus hanc doctri-  
 nam dicitur: hæc tendentia, *aliquis*  
*homo*, non constituit universale, sed  
 individuum vagum: ergo idem di-

endum de termino *homo*. si vage  
 significat. *Neg. Consq.*: quia prior  
 terminus exprimit ex parte actus  
 divisionem objecti, cum perinde fo-  
 net, ac *aliquis hominum*, vel, *unus*  
*è multis hominibus*: quare nequit  
 objecto tribuere unitatem rationis,  
 quæ consistit in expressione plu-  
 rium præscindendo ex parte actus  
 à reali divisione, seu pluralitate. At  
 verò terminus *homo* nullam divi-  
 sionem præsefert, & ideo aptus est  
 ad tribuendam indivisionem, &  
 unitatem rationis.

83 Porro, non dicimus, ter-  
 minum *homo* esse formaliter dis-  
 junctum, aut disjunctivum, sed vir-  
 tualiter tantum, & æquivalenter,  
 videlicet quatenus cum disjunctivo  
 convertitur in omni materia, & ejus-  
 dem suppositionis esteapax. Quam-  
 vis autem disjunctio formalis præ-  
 seferat divisionem plurium; nõ ita  
 disjunctio virtualis, utpotè cohæ-  
 rens cum præcisione ab omni plu-  
 ralitate objecti.

84 Dicitur 2.: terminus *homo*  
 æquivaleretiam termino *omnis ho-*  
*mo* in hac propos., *Homo est ani-*  
*mal*. *Resp.*: æquivaleret ratione ma-  
 teriæ, non ratione formæ, seu ex  
 modo representandi; alioqui pa-  
 riter æquivaleret in hac, *Homo est*  
*justus*, & in alijs de materia contin-  
 gente. Regula Summularum, quod  
 propositio indefinita de materia ne-  
 cessarià æquivaleret universali, non  
 semper locum habet (ut patet in  
 his, *Oculus requiritur ad videndum*,  
*Cibus necessarius est homini ad vi-*  
*vendum*), sed solùm quando præ-  
 di-

dicatum est de essentia subjecti, vel aliunde constat ipsum extendi ad totam subjecti speciem, aut genus. Tunc autem Regule sensus est, quod ex indefinita inferitur universalis, non immediate, & ex terminis, sed ob indolem, & exigentiam prædicati, quod nequit convenire alicui homini, v. g., quin conveniat omnibus.

85. Parem æquivalentiam re ipsa habet propl. particularis, *Aliquis homo est animal*: non enim signum *Aliquis* variat suppositionem termini, quem afficit, juxta Regulam aliam, de qua in Summul. brevior. disput. 4. n. 45. Sed quia proposit. particularis magis ab universalis differt pro expresso, quam indefinita, ideo huic potius æquivalentia ista tribuitur.

86. Dices 3.: Universale debet esse adæquate predicabile, nõ solum de singulis, sed de omnibus simul inferioribus: ergo cognitio, quæ constituitur, debet copulativè significare naturas omnium. Dist. Antec.: de omnibus simul inferioribus distributivè sumptis, *conc.*; collectivè, sed copulatè sumptis, *neg.* Antec. & Conseq. Si omnes homines copulatè sumantur, hæc propositio, *Omne individuum hominum est homo*, reddet huic sensum, *Collectio omnium hominum est homo*, sic autem falsi est, non minus, quam istæ, *Exercitus est homo*, *Civitas est homo*, *Collegium Apostolorum est homo*.

87. Solum ergo Universale, *homo*, prædicabile est de omnibus individuis distributivè sumptis, ita

scilicet, ut, licet simul tempore conveniat omnibus, tamen non nisi singularim applicetur. Et alioquin posset verè dici, *Omne individuum hominum est omnis homo*, contra quod supra nos docuit ex Aristotele D. Thomas. At in sensu distributivo de omnibus simul inferioribus verificatur prædicatum disjunctim acceptum: verè quippè dicitur, *Omnis homo est aliquis homo*.

88. Porro, non est idem repræsentari simul omnes homines, ac repræsentari omnes copulativè, aut copulativè. Per hanc enim apprehensionem, *aliquis homo*, vel, *aliquis ex hominibus*, quæ certè copulativa non est, simul tempore apprehenduntur omnes. Tendètia ergo copulativa non consistit præcisè in repræsentatione simultaneâ plurium, sed in speciali modo repræsentandi, qui nobis ex verificatione innotescit: si enim verificari nequeat, nisi per plura simul, erit tendètia copulativa; si verò per quodlibet seorsum verificari queat, erit disjunctiva, vel formaliter, vel æquivalenter.

89. Hic advertte, quod terminus *homo*, licet habeat indeterminationem individualem, quia non significat naturam hujus potius, quam illius hominis, sed omnium indeterminate; habet tamen determinationem specificam, eum significet naturam potius humanam, quam belluinam. Similiter terminus *animal* importat determinationem genericam, simulque indeterminationem specificam ex modo signifi-

candi. Vid. D. Thom. Opusc. de ent. & essent. Cap. 3.

90 Adverte insuper, quod in negativa propositione, v. g. *Lapis non est homo*, licet prædicatum indefinitum distributivè supponat, non ideò exiit tendētiam indeterminatam: nam etiam terminus formaliter disjunctivus à præcedente negatione trahitur ad suppositionem distributivam, ut cum dicitur, *Lapis non est aliquis homo*, juxta illud, *non aliquis nullus*. Quare distributio à negatione provenit. Nullius profectò suppositionis capax est terminus indefinitus, quam non admittat pariter disjunctivus.

## CAP. V.

*Solvuntur argumenta varia contra nostram constitutionem Universalis.*

91 **Q**uod Universale constitutum per cognitionem indefinitam, ut formam, cujus objectum, & subiectum denominationis, sit tota multitudo individuorum naturæ specificæ, vel etiam tota multitudo specierum naturæ genericæ, absq̃ ullâ præcisione objectiva, vel distinctione, aut unitate fiât: hoc, inquam, displicet tum Recentioribus nostris objectivam præcisionem tuentibus, tum Thomistis pro suo rationis ente certantibus.

92 Argumenta Nostrorum ut solvas, habeto præ oculis, quæ dicta sunt Disp. præced. cap. 8. & 9. super distinctione rationis, ejusque coherentia cum præcisione formali. Ex quibus *inferes* 1., quod concep-

tus *homo*, licet in objecto conveniat cum conceptu *omnis homo*, ab eo tamen differt in modo tendendi indefinito, id est, præscindente formaliter à pluralitate, & uniformiter verificabili de singulis hominibus: ideòque aptus est ad constituendum Universale.

93 Nec verò conceptus *homo* attingit *plura*, ut *plura*, nec ut *familia*; hoc enim sonat pluralitatem, aut similitudinem, ex parte actus exhibitam. Nec item attingit *plura ut unum*, ly *ut* reduplicante unitatem ex parte objecti se tenentem; nullam quippè unitatem entitativè unicam totius naturæ humanæ sibi objicit: attingit tamen *plura ut unum*, si ly *ut* reduplicet modum tendendi cognitionis ad unativum. Præscindit ergo a pluralitate, & unitate reali: at hoc ipso tribuit exercitè unitatē formale extrinsecam, ex dictis n. 41. & 42.

94 *Inferes* 2., quod ille conceptus individua omnia cum naturâ, & hæccitatibus intentionaliter adunat, simulque naturam ab hæccitatibus ratione distinguit; diverso tamen sensu. Nam hæccitates adunat specificativè sumptas secundum ipsarum esse reale: naturam verò distinguit ab iisdem prout cognititis, vel cognoscibilibus *sub ratione talium*, id est, sub conceptibus discretivis unius individui ab alio, cujusmodi sunt *Petretas, Pauleitas, &c.*

95 Hæccitates igitur adunat illa cognitio relatu ad se ipsam; quia ipsa repræsentat omnes per mo-

modum unius: simul tamen naturam ab eis distinguit relatu ad conceptus discretivos individuorum, quia ex conceptibus, *homo*, & *Petrus*, resultat quædam alietas apparens, & metaphorica dualitas objectorum. In eodem sensu naturam abstrahit, denudat, & separat intentionaliter à differentijs, nimirum acceptis formaliter sub ratione talium. Nec aliud est abstrahi hominem à Petro, Paulo, &c., quam objectum, complectens individua omnia, transferri ad statum intentionalem, in quo totum subeat rationem hominis uniformem, & totum in eo statu non subeat ratione Petri, Pauli &c.

96 *Inferes* 3., quod in hac propositione, *Homo est species*, subjectum indefinitè complectitur omnes homines: sed non ideò licet descensus copulativus ad singulos, sic nimirum, *ergo Petrus est species*, & *Paulus est species*, &c. Ratio est: quia prædicata secundæ intentionis, cujusmodi est *species*, faciunt subjectum supponi simpliciter, appellantq; formaliter subjectum objectivum, ut cognitum determinato illo conceptu, sub quo tunc proponitur. Quare illius propositionis, *Homo est species*, sensus est, *Tota multitudo hominum redditur species à conceptu homo*. In descensu autem copulativo jam ex parte subjecti non ponitur indefinitus conceptus *homo*, sed alij conceptus determinati, videlicet *Petrus*, & *Paulus*, &c. sub quibus non convenit subjecto prædicatum *species*.

97 *Ojic.*: Petro, & cuilibet individuo homini, verè convenit denominatio *indefinitè cogniti* conceptu *homo*: ergo, & denominatio *speciei*. Si de individuis loquamur, nõ in sensu formali, sed in objectivo, id est, secundum esse, quod habent à parte rei, *dist.* *Antec.*: Petro verè convenit &c., tamquam subjecto partiali, *conc.*; tamquam subjecto totali, *neg. antec.*, & sub ead. distinctione *Conseq.*: quia utraque denominatio indivisibiliter cadit supra omnia individua per modum unius subjecti. Si verò sumantur individua in sensu formali, sive ut subsunt cõceptibus discretivis, *neg. Antec.*: quia Petro v.g. sub conceptu *Petrus* non convenit denominatio *indefinitè cogniti* per conceptum *homo*.

*Argumenta Thomistica.*

98 **V**olunt Thomistæ (quibus etiam plures Scotistæ consentiunt), ut Universale pro subjecto importet naturam communem objectivè præcisam à differentijs; pro formâ verò fictam unitatem intrinsecam ejusdem naturæ, fictamq; distinctionem ipsius ab omni differentia, necnon fictam relationem ad inferiora: cognitionem autem indefinitam excludunt à constitutione Universalis.

99 Hinc nobis *objiciunt* 1.: præter Universale in repræsentâdo, cujusmodi est cognitio, aut vox *homo*, admitti debet Universale in essendo, contra Nominales. Sed in sententiâ nostrâ non datur Universale in essendo; ergo &c. *Prob. Min.*

in sententiâ nostrâ solum datur cognitio confusa singularium, & ipsa singularia; sed neutrum ex his est Universale in essendo; non cognitio, quia solum est Universalis in representando; non ipsa singularia, quia non sunt quid unum, sed plura; ergo &c. Si dicatur, singularia non esse quid unum intrinsecè, cõstitui tamen quid unum extrinsecè per cognitionem confusam.

100 *Contra* est, quòd Universale in essendo debet adæquatè distingui ab Universali in representando, quæ est cognitio confusa. *Probat*ur: quia si Universale formaliter constituitur per cognitionem, nõ est formaliter aliud à cognitione: nihil enim formaliter distinguitur ab eo, per quod formaliter constituitur: erit ergo formaliter merum Universale in representando. Sanè, quidquid nos admitimus, admittebant etiam Nominales, nempe cognitionem confusam singularium, & singularia ipsa confusè cognita.

101 *Ad object., concess. Mai., neg. Min., Ad prob.* verum est, quòd singularia ipsa constituuntur formaliter unum, & universale per cognitionem indefinitam velut formam extrinsecam, ita scilicet, ut singularia, indefinitè representata, sint Universale *ut quod*, cognitio verò non nisi *ut quo*. Nec obstat impugnatio. Nam Universale in essendo ab Universali in representando distinguitur adæquatè secundum rectum, non verò secundum totam denominationem *Universalis in es-*

*sendo*. Distinctio autem secundum rectum sufficit, ut falso dicatur, non esse aliud Universale præter id, quòd est in representando. Sic falso diceretur, Universale nihil esse præter ens rationis fictum; nec tamen juxta Thomistas denominatio *Universalis* adæquatè distinguitur à tali ente.

102 Hinc, Universale in essendo, & Universale in representando, sunt utique indistincta *formaliter*, id est, secundum formam: sed sunt etiam distincta *formaliter*, id est, *verè, & propriè*, secundum subiectum denominatum *ut quod*; nam tale subiectum in altero Universali est natura realiter multiplex, in altero est cognitio ipsa. Eodem sensu Universale Thomisticum est, & nõ est formaliter indistinctum ab ente ficto. Ubi nota, quòd Universale, prout formaliter indistinctum à formâ fictâ, non est Universale in essendo, sed potiùs in non essendo: quod enim solum per fictionem est, verè non est.

103 Porrò Nominales admittebant quidquid nos admitimus quantum ad cognitionem, & ejus objectum: errabant tamen in attribuendo denominationem *Universalis*; non objecto indefinitè cognito, sed soli cognitioni, vel nomini. Ex hoc enim loquendi modo sequitur, Scientias, quæ de Universalibus agunt, non agere de rebus, sed de solis conceptibus, aut nominibus. Nos autem Universale, de quo Scientiæ tractant, dicimus stare in recto, & *ut quod*, nõ pro cog-



cognitione, vel nomine, sed pro objecto reali, cognitione importata in obliquo, sive ut *quo*: ac proinde ponimus Universale in essendo, quod inficiantur Nominales.

104 *Objic. 2.* : cognitio *homo* est universalis in representando: ergo representat universalitatem objecti. Sed non representat se ipsam: ergo ipsa non est universalitas, seu forma constituens Universale. *Neg. r. conseq.*, si sermo sit de universalitate logica, vel metaphysica: quia illa cognitio non alio sensu dicitur universalis in representando, nisi quatenus in se est una, & terminatur ad objecta realiter plura. Ipsa igitur cognitio est universalitas logica sui objecti, quatenus illud, etsi realiter multiplex, exercitè denominat unum, & prædicabile de multis.

105 *Instabis*: cognitio *homo* facit Universale non entitativè accepta, sed representativè sumpta, proindeque sumpta secundum id, quod representat. *Resp.*: cognitio illa facit Universale exercitè, & in genere causæ formalis, *representativè sumpta*, id est, secundum modum representandi confusivum, & indefinitum; cumque modus hic non distinguatur ab entitate cognitionis, cognitio facit etiam Universale, *entitativè sumpta*. Non tamen Universale quod formam facit cognitio, *representativè sumpta*, si hoc idem sonet, ac *sumpta secundum id, quod ipsa representat*. Sic cognitio representativè sumpta facit cognitam, comprehensam, sci-

tum: nec ideò representare debet cognitionem, comprehensionem, scientiam.

106 *Objic. 3.* : si Universale nihil est aliud, quam complexum ex singularibus, & cognitione confusá, cum totum hoc sit reale, verèque existens à parte rei, dabitur à parte rei Universale quoad omnia sui constitutiva. Item: Universale in essendo erit unum unitate reali, siquidè unitas ejus est cognitio realis. Ad *objic. neg. sequel.*, si *ly à parte rei* significet complexum, aut Universale, adèquarè existens extra animam, quo sensu rejicimus in tractatu præsentis Universale à parte rei.

107 Si tamen nomine entis realis, aut existentis à parte rei, amplè intelligatur quidquid existit sine fictione, sequela verissima est. Negandum verò, quòd cognitio dici debeat unitas realis respectu objecti; nam unitas non dicitur realis, nisi ab effecta removendi multipliciter realem intrinsecam: quem effectum non habet unitas rationis, sive intentionalis, etsi consistat in ente non ficto. Vide dicta in simili super distinctione rationis Disput. præced. n. 247.

108 *Objic.* denique: Scientiæ sunt de Universalibus; sed non sunt de singularibus, nec de cognitione ipsorum confusá: ergo Universale aliquid est præter singularia & cognitione ipsorum. *Dist. Min.*: non sunt de singularibus, sub ratione talium, id est, ut cognitio per conceptus discernentes unum ab alio, *con.*; de singularibus sub ratione

communi, idest, ut cognitis per cōceptum indefinitum totius speciei, vel generis, *neg. Min. & Conseq.*

109 Scientiæ dicuntur esse de Universalibus, quia differunt de rebus individuis, speciei humanæ v. g., per actus, qui non potius verificantur de Petro, quàm de Paulo, sed æquè, & uniformitèr de omnibus, ut cum hominem definiunt, eumque demonstrant esse risibilem, admirativum. &c. Et hoc est re ipsâ differere de singularibus, sed exigendo pro conditione, quòd singularia concipiuntur indefinitè, vel universalitèr, ut ita subeant uniformitèr quidquid de ipsis prædicatur. Pro alijs objectionib. Vid. suprà Cap. 3.

#### CAP. VI.

*Utrum ad Universale plenè constituendum requiratur notitia comparativa?*

110 **N**otitia, sive cognitio indefinita, purè præcindēs naturam aliquam à reali unitate, & multiplicitate, v. g. cognitio *homo*, vel *animal*, dicitur abstractio simplex, & absoluta, quia nullam importat comparationem illius naturæ cum inferioribus, idest, cum individuis, aut speciebus, quibus convenit. Ut autem natura sic abstracta prædicetur de inferioribus per cognitionem judicativam, prærequiritur alia cognitio purè apprehensiva, quæ naturam jam abstractione præcisam, & intentionaliter unam, reflexè comparet cum inferioribus, apprehendendo identitatem, vel convenientiam ejus cum multis.

111 Talis est hæc apprehensio, *natura humana intentionaliter una, & applicabilis Petro, Paulo, & alijs hominibus; vel hæc, animal non apparens homo, nec equus, potens tamen esse in homine, & equo per identitatem.* Hæc dicitur comparatiō, si-ve notitia comparativa, sed comparatio simplex; quia, licet complexa sit in lineâ apprehensionis, caret tamen compositione subjecti, & prædicati, quæ est propria judicij. De hujusmodi notitia cōparativâ procedit quæstio præsens.

112 Affero I.: *Universale metaphysicum formalitèr, & ultimè constituitur per simplicem abstractionem, priusquàm adsit comparatio.* Ita communiter Authores nostri, consentientibus Thomistis Recentioribus cum Coll. S. Thomæ Complut., contra plures alios Thomistas, & Scotistas. Probatur assertio breviter: simplex abstractio, v. g. cognitio *homo*, plenè constituit unū aptum esse in multis, sive unum indifferens ad multa; sed hoc est Universale metaphysicum, ut ex ejus definitione constat: ergo &c. *Maj.* satis probata manet cap. 2. hujus Disp.

113 *Dices:* cognitio abstractiva non reddit naturam humanam aptâ identificari realitèr cum multis; hæc enim aptitudo convenit naturæ ante operationem Intellectus. *Dist.:* non reddit naturam humanam aptam identificari, &c., per modum naturæ multiplicis, *conc.* (hanc enim aptitudinem habet à parte rei natura humana, eo sensu, quo res quæ-

quolibet dicitur apta, seu potens esse id, quod est; nec aptitudo ista præstatur à cognitione, sed præsupponitur ex parte objecti): per modum naturæ intentionaliter unius, quæ retentâ unitate rationis possit reflexè cognosci conveniēs multis per identitatem realem, *neg.*: quia talis aptitudo provenit à cognitione abstractivâ, sicut & unitas; & pro termino respicit identitatem realem cum multis, non utcumque, sed ut cognitam, vel cognoscibilem per novum conceptum reflexum.

114 *Afferò 2.*: *Universale logicum plene constituitur per simplicem abstractionem, nec indiget notitiâ comparativâ.* Ita etiam commutè Authores nostri, paucis exceptis, contra Scotistas, & Thomistas, qui Universale logicum formaliter constituunt per relationem rationis, quæ relatio fingatur per notitiam comparativam.

115 *Probatur Assertio 1.*: simplex abstractio plene format Universale metaphysicum (id est, *unum aptum esse in multis*), ut modò supponimus cum plerisq; Adversarijs: ergo & plene format *Unum aptum prædicari de multis*, quod est Universale logicum. *Prob. Conseq.* quia prædicabilitas unius de multis, vel formaliter imbibitur in essentiâ Universalis metaphysici, vel saltem est proprietas, & passio ejus purè metaphysica, ita ut nihil superaddat distinctum realiter, sed ad summum ratione, vel pro explicito. Qui enim concipit, hominem ut sic convenire, v. g. Petro per identita-

tem, eo ipso concipit, verè dici posse, *Petrus est homo.*

116 *Accedit*, quòd Universale metaphysicum non minùs est relativum, quàm Logicum; nequit enim concipi, nec explicari, nisi per ordinem ad multa, in quibus sit, vel esse possit: vel ergo utrumque, vel neutrum exigit notitiam cõparativam, titulo relationis.

117 *Prob. 2.*: simplex abstractio, cum naturam præscindat à differentijs divisivis, reddit illam intentionaliter indivisam, adeòque unam: reddit etiam liberam ab omni impedimento prædicationis de quolibet inferiori; quia solæ differentie impediunt communitatem prædicationis ex parte naturæ: reddit igitur omninò expeditam, seu nullatenùs impeditam, atque adeò aptam prædicari de multis.

118 *Dices* cum Thomistis: quàmvis natura libera sit ab impedimentis, non idèò est ad prædicationem apta positivè, sed negativè tantùm, aptitudine sumptâ pro non repunantiâ. *Contra*: natura, quia per abstractionem liberatur ab impedimentis comparationis, fit positivè apta comparari ad multa: ergo, cum liberetur pariter ab impedimentis prædicationis, fiet positivè apta prædicari de multis.

119 *Dices* cum nonnullis Nostратum: simplex abstractio reddit quidem naturam proximè aptam ad simplicem comparationem cum multis (& in hac aptitudine consistit Universale metaphysicũ): non tamen reddit illam proximè aptam

prædicari (prout requiritur ad Univerſale logicum), ſed remotè duntaxat: aptitudo quippè non eſt proxima, niſi dum nihil mediare debet inter ipſam, & actum, quem reſpicit: at inter aptitudinem tributam à conceptu *homo*, & prædicationè actualem de Petro v. g., mediare debet ſimplex comparatio, per quam apprehendatur identitas inter Petrum, & hominem *ut ſic*. Comparatio igitur apprehenſiva ſupponit Univerſale metaphyſicum, & conſtituit logicum, conſtituendo naturam proximè prædicabilem.

120 Sed *contra*. Ut natura conſtituatur proximè prædicabilis, quantum ſufficit ad Univerſale logicum, non expectat eos actus, qui ex parte potentiæ Intellectivæ prærequiruntur ad prædicationem, ſi non requirantur, ut natura ſit in Intellectu libera formalitèr ab impedimentis, quæ ex parte ipſius nature obſtare poſſèt prædicationi de multis: ſed ut natura ſit ita libera, non requiritur comparatio, cum ſufficiat abſtractio, juxta omnes, ut natura liberetur formalitèr à differentijs diviſivis, ac proinde maneat indifferens ad quodlibet ex inferioribus, ſeu de quolibet indifferenter affirmabilis ex parte ſui: ergo &c.

121 *Prob. Maj.*: quia, niſi vera ſit, ſequitur, quòd natura in eſſe Univerſalis logici conſtitui debet per ſpeciem impreſſam ſingularium, per imperium voluntatis Intellectum determinantis, tum ad comparationem, tum ad judicium & per decretum applicativum Om-

nipotentiæ cum Intellectu concurrentis ad prædicationem: hæc enim omnia ex parte potentiæ requiruntur ad naturam actu prædicandam, & in eis omnibus militat ratio Contrariorum.

122 Sequitur etiam, quòd plena conſtitutio Univerſalis logici eſt impoſſibilis. Cum enim Univerſale logicum debeat eſſe proximè prædicabile de omnibus, & ſingulis inferioribus, etiam poſſilibus, ſub proprio cujuſq; nomine, vel conceptu; non erit plenè conſtitutum, donec exiſtat comparatio naturæ cum omnibus, & ſingulis inferioribus nominatim: at comparatio iſta impoſſibilis eſt, cum infinita ſint individua, humana, v. g. Nec eſt eadem difficultas in ſententiâ noſtrâ. Quia, ut natura ſit proximè prædicabilis de infinitis cum hoc addito *quantum eſt ex ſe*, vel *ex parte ſui*, non requiritur, actualis cognitio infinitorum; ſicut nec requiritur, ut natura ſit proximè comparabilis ad infinita.

123 Duplex igitur diſtingui debet prædicabilitas proxima naturæ abſtractæ, vel, ſi mavis, proximitas ad prædicationem duplex: altera purè paſſiva, per quam ex parte naturæ communis nihil obſtat prædicationi de quolibet inferiori: & hæc ſola prædicabilitas (cui ſufficit abſtractio ſimplex) intrinſeca eſt Univerſali logico, & ipſius conſtitutiva: altera verò activa, quæ reddit potentiam ex parte ſui expeditam ad exercitium prædicationis; & hæc requirit quidem notitiam

tiam comparativam, sed extrinseca est Universalis logico, quod supponit planè constitutum in esse talis.

*Pro repellendis objectionibus doctrina utilis.*

124

**Q**UÆ Thomistæ obiciunt, tum ab auctoritate D. Thomæ, tum à ratione, ut probent, Universale logicum formaliter constitui per fictam relationem rationis ad inferiora, quæ relatio non est, nisi dum cognoscitur, & non cognoscitur, nisi per notitiam comparativam: hæc, inquam, facile solves ex dictis tract. præced. disput. 2. cap. 5. Universale formaliter constituitur per relationem rationis, non fingentis, sed denominantis, idest, per denominationem prædicabilis, seu aptæ prædicari de multis, quam naturæ præstat simplex abstractio. Nam aptitudo ista naturæ verè est quidam ordo, respectus, aut relatio ad inferiora, non prædicamentalis, sed transcendentalis, instar illius, quam habet ad effectum aptitudo causæ, vel ad formam aptitudo materiæ: quod genus relationis nec distinguitur à re, quæ refertur, nec exigit terminum existentem, sed tantum possibilem, ideòque datur in naturà abstractà, priusquam inferiora in Intellectu existant per comparisonem.

125 Et verò, quòd relatio propria Universalis non proveniat à comparatione, planè docet Angelicus Doctor 1. p. q. 85. art. 3. ad 1. dicens: *Intentio Universalita-*

*tis ( ut scilicet unum, & idem habeat habitudinem ad multa ) provenit ex abstractione Intellectus. En, ut habitudo ad multa, quæ idem sonat, ac respectus, sive relatio, provenit ex abstractione, in qua nulla est comparatio, nec representatio termini, juxta Thomistas.*

126 Idem dicimus de superioritate; quæ prout est propria Universalis logici, nihil est aliud, quam communitas, extensio, sive amplitudo inadequabilis ab ullo ex inferioribus possibilibus: quare non postulat terminum existentem, sicut superioritas domini ad servum, sed solummodò terminum possibilem, sicut superioritas causæ universalis, v. g. Solis, ad quemlibet effectum sublunarem.

127 Hinc prædicabile, & subijcibile, non sunt correlativa prædicamentalia, quæ debeant esse simul tempore, & naturà; sed referuntur quasi transcendentaliter, sicut productivum, & producibile, aut receptivum, & receptibile. Nec valet exemplum subiecti, & prædicati: hæc enim important applicationem actualem unius ad alterum; adeòque referuntur invicem sicut producens, & productum, aut recipiens, & receptum.

128 Fateor, non posse cognosci Universale logicum in esse talis, nisi per notitiam reflexam illud comparantem ad inferiora, nec sine istà notitià posse nos eidem tribuere nomen Prædicabilis, aut Generis, Speciei, &c. Verum hoc est commune omni relativo, etiam trans-

transcendentali, v. g. potentiae visivae, quae ut talis nequit cognosci nec appellari *potentia visiva*, nisi per comparationem ad terminum, qui est actus videndi. Quare, sicut comparatio non ideo facit potentiam visivam, sed aliunde factam speculatur; ita nec facit Universale logicum, sed reflexe speculatur factum abstractione simplici.

129 *Dices*: totum esse Universalis (saltem pro formali) est cognosci. *Dist.*: est cognosci Universalis ipsum reflexe, *neg.*: est cognosci directe naturam realiter multiplicem conceptu indefinito, *conc.* Iterum *dices*: Universalis est terminus secundae intentionis: ergo non constituitur objectum ejus per cognitionem directam, cum haec sit prima intentio formalis. *Neg. Conseq.* quia termini secundae intentionis significant secundam intentionem objectivam; & haec in concreto constituitur per primam intentionem formalem. Relege dicta tract. praec. disp. 2. cap. 4.

130 *Dices* 3: Universalis logicum non solum est unum a multis, sed unum ad multa, seu versus multa. Quid inde? Non ideo indiget comparatione: nam sola abstractio sufficit, ut Universalis respiciat multa, tanquam terminum a quo, & ad quem. Dum natura abstrahitur a multitudine, fit una a multis: & cum maneat hoc ipso apta, & indifferens, ut applicetur ad multa, fit una versus multa. Idem contingit in Universalis metaphysico, quod per abstractionem fit unum

a multis; & cum maneat eo ipso aptum, ut comparetur ad multa, fit unum versus multa.

131 Quod alioqui est Nostris objiciunt de praedicabilitate Universalis logici, quae non est proxima quousque nihil mediare debeat inter ipsam, & praedicationem actualem; praecipuum, & solutum est in nostra probatione 2. a n. 119. ad 124. Et instatur in Universalis metaphysico, quod per abstractionem fit proxime comparabile ad multa, quamvis inter ipsum, & comparationem actualem, mediare debeat apprehensio absoluta singularium, necnon actus voluntatis, quo Intellectus applicetur ad comparandum.

132 Sed adhuc *objicies*: natura humana sub conceptu homo indifferens est, ut sit Species praedicabilis, vel subijcibilis, prout comparata fuerit, vel ad individua, vel ad Genus: ut ergo determinate sit Species praedicabilis, indiget cognitione, qua comparetur ad individua. *Confirm.*: quia album ut sic, non est Praedicabile determinate speciei, donec accedat notitia comparativa; per quam, si comparetur ad subiecta, v. g. ad Petrum, & Paulum, erit Accidens quintum Praedicabile; si vero ad hoc album, & illud album, erit Species secundum Praedicabile.

133 Ad *Object. neg. Antec.* quod scilicet natura humana sit ita indifferens; est enim vi cognitionis homo determinate Species praedicabilis, simulque subijcibilis, respectu diversorum, videlicet hinc indi-

viduorum; inde Generis; nec ad hoc notitiam comparativam expectat: nam illis denominationibus sufficit simultanea aptitudo naturæ humanæ, nullatenus impedite ex parte sui, ut prædicetur de individuis, & subjiciatur Generi. Talis autem aptitudo provenit à conceptu *homo*; sicut ab eo provenit juxta Adversarios aptitudo simultanea naturæ, ut comparetur individuis tanquam superior, & Generi tanquam inferior.

134 Ad *Confirm.*: similiter dico, album *ut sic* jam ante comparisonem constitutum esse in specie quinti, simulque secundi Prædicabilis, respectu diversorum: quia per abstractionem redditur aptum prædicari de subjecto extra essentiam contingenter, de suis autem individuis, ut tota essentia. Requiritur quidem comparatio reflexa, ut quædam Universalia ratione distinguantur, ac dividantur in duo Prædicabilia Porphyriana; sed non, ut utrumque secum identificent. Sic necessaria est comparatio ad actus diversos, ut Intellectus dividatur in judicativum, & discursivum; sed non ut verè sit potentia judicandi, & discurrendi.

## CAP. VII.

*Utrum Universale salvetur in actuali prædicatione?*

135 **Q**uestio præfixa respicit prædicationem mentalem, id est, judicium affirmans, aut negans de subjecto prædicatū aliquod sub apprehensione præviā Universalis.

Et quidem in judicijs, ubi nulla exprimitur ex parte subjecti multiplicitas, vel differentia inferior, v. g. in his, *Homo est rationalis*, *Animal est sensitivum*, non est dubium, quin & prædicatum, & subjectum conservet universalitatem in apprehensione simplici præhabitam. At, ubi subjectum est formaliter multiplex, v. g. *Omne sensitivum est animal*, vel prædicato inferiori, v. g. *Homo est animal*, *Petrus est animal*; dubium est, an prædicatum retineat universalitatem, quam præhabuit in simplici apprehensione *animal*, aut aliā quavis indefinita?

136 Procedit autem quæstio, sive judicium sit qualitas composita, sive simplex, juxta varias in Animasticas sententias. Si tamè ponatur simplex qualitas, id est, actus realiter indivisibilis, nemo disputat, an sub eodem actu judicativo, v. g. sub hoc, *Homo est animal*, maneat animal prædicabile de alijs subjectis, quasi dicendo, *Equus est homo est animal*: id enim evidens est ineptissime dici. Tunc ergo solum queritur, an animal ibi retineat amplitudinem objectivam Universalis propriam, cum abstractione à differentijs, & unitate rationis?

137 *Affero* 1. Si judicium est qualitas composita, omnino salvatur Universalis in actuali prædicatione de subjecto multiplici, vel inferiori. Assertio hæc satis communis est in omni Scholâ, adversantibus tamen haud paucis. Et, præter probationes pro 2. *Affert.* mox afferendas: quæ hic à fortiori militent, præb.

*probarur* specialiter. Quia, si iudicium est qualitas composita, constituitur ex apprehensionibus prævijs realiter distinctis, tanquam ex subiecto, & prædicato formalibus, addito peculiari conceptu secundæ operationis proprio, qui est copula formalis, & cui respondet verbum *est* in prædicatione vocali de tertio adiacente. Sic in Animastica docent; qui iudicij compositionem tenent.

138. Hinc autem planè sequitur, quòd in iudicio, *Petrus est animal*, prædicatum permanet Universale, Nam apprehensio *animal* eadem est, eodemque modo tendit, atque in idem objectum, intra prædicationem, ac extra: non enim repræsentatio in conceptibus variabilis est ex circumstantijs, sicut significatio in vocibus, ut quisque novit. Cum ergo talis apprehensio extra prædicationem faciat Universale, facit etiã, vel conservat, & intra.

139. Immò, licet expressio *animal*, quæ iudicij pars est, non foret apprehensio præhabita, sed aliã tendentia similis, quæ faceret Universale: quia pariter esset expressio indefinita naturæ animalis, præscindens ex parte actus à reali multiplicitate, ab omni differentia specificã, vel individuali: quod maxime conspicuum est in prædicatione de subiecto multiplici, sed æquali, ut, *Omne sensitivum est animal*.

140. *Affero 2.* Si iudicium est simplex qualitas, prædicatum ex se commune, dum affirmatur de subiecto inferiori, retinet totam amplitudinẽ objectivam, quæ propria

est Universalis. Ante probationem observandum, ex eo quòd iudicium sit simplex qualitas, nõ inverti, nec abrogari regulas dialecticas circa propositionum sensum, conversionem, oppositionem, &c.; nec Locos arguendi statutos in Summulis. Hoc omnes supponunt, & merito: nam alioqui, posita simplicitate iudicij, nova Dialecticã fabricanda esset à fundamentis. Quo posito.

141. *Probatur Assertio.* Hic actus, *Petrus est animal*, non prædicat solum animal Petri: ergo prædicat animal objectivum cum totã amplitudine, quam habet sub apprehensione *animal*. Consequentia legitima est apud Adversarios, qui propterea negant Antecedens. Sed hoc *probatur 1.*: quia, si talis actus solum prædicat animal Petri, non erit prædicatio superioris de inferiori, sed æqualis de æquali; cumq; ratio sit eadem in alijs actibus, nunquam dabitur in mente prædicatio vera superioris de inferiori, amplioris de minùs amplo, aut communioris de minùs communi. Unde multæ regulæ dialecticæ redduntur inutiles: v. g. quòd non licet argue- re à superiori ad inferius affirmative, nec a toto potenciali ad unum è membris præ alio.

142. Nec prodest, quod Adversarij respondent, per illum actum prædicari superius præsuppositivè, quia præsupponitur apprehensio *animal*, cujus objectum est Petro superius, idest, magis extensum. Hoc, inquam, haut prodest; nam superioritas apprehensiva penitus de



deficit, juxta Contrarios, in prædicato actuali; de quo tamen loquuntur prædictæ regulæ, dum improbant hanc illationem v. g. *est animal, ergo est animal rationale*, magisque istam, *ergo est hoc animal individuum*.

143 Præterea, ex præsuppositivâ superioritate redarguitur efficaciter opinio contraria. Nam ad judicium, quo de loquimur, præsupponitur universalis apprehensio *animal*, non per accidens, sed per se, id est, ex propria exigentiâ judicij ipsius, ut Adversarij fatentur; & alioqui, si post apprehensionem illam fortuitû sequeretur hic actus, *Hoc animal est Petrus*, foret etiam prædicatio superioris præsuppositivæ. Infero: ergo judicium, *Petrus est animal*, prædicat totum objectum apprehensionis *animal*.

144 *Prob. Consequ.*: quia nullum judicium per se supponit apprehensionem objecti, quod à judicio ipso non respicitur; ut omnes consentiant. Quare, sicut judicium illud respicit, ac subicit totum objectum apprehensionis *Petrus*, quam per se supponit velut notitiam extremi subijcibilis; ita respicit, ac prædicat totum objectum apprehensionis *animal*, si hanc per se exigat velut præviam notitiam extremi prædicabilis.

145 *Prob. 2.*: idem antec. n. 141. Si mentalis propositio, *Petrus est animal*, non prædicat nisi animal Petri, verè dicitur, *Solus Petrus est animal*; sicut verè dicitur, *Solus Petrus est animal Petri*. Negant se-

quelam Adversarij, quia propositio *Solus Petrus est animal*, non solum affirmat de Petro animal ejus, sed simul implicite negat de alijs subjectis suum cujusque animal; continet enim has exponentes, *Petrus est animal, & omne aliud à Petro non est animal*. Sed non satisfaciunt.

146 Nam, ut observant concorditer Summulistæ, dum Exclusiva exponitur, idem debet esse prædicatum præjacentis, & secundæ Exponentis: unde Exclusiva primæ speciei definiri solet, *Quæ excludit alia subjecta ab eodem prædicato, vel à participatione ejusdem prædicati*. Sed per vos, *Petrus est animal*, quæ est Præjacens, non prædicat nisi animal Petri: ergo hoc idem animal debet esse prædicatum secundæ Exponentis, nempe hujus, *Omne aliud à Petro non est animal*, seu, *Nihil præter Petrum est animal*. Sic autem etiam hæc negativa erit vera, cum perinde valeat, ac *Nihil aliud à Petro est animal Petri*.

147 *Prob. 3.* Propositio, *Petrus non est animal*, negat de Petro animal in communi, secundum totam ejus latitudinem in apprehensione præhabitam, & æquivaleret huic, *Petrus nullum est animal*: ergo contradictoria, *Petrus est animal*, affirmat, non solum animal Petri, sed animal in communi; alioquin duæ contradictoriæ non erunt affirmatio, & negatio ejusdem de eodè, contra Dialecticam incõcussam. Affirmat, inquam, animal in communi cum suppositione disjunctivâ, ut sensu æquivaleat huic, *Petrus*

est aliquod animal; quemadmodum ex parte subjecti contradictionem formant nullum, & aliquod, respiciuntque idem objectum cum suppositione diversâ.

148 Et verò, si affirmativa prædicaret determinatum animal præ alijs, redderetque hunc sensum, *Petrus est animal A.*, non contradiceret dictæ negativæ ratione formæ, quia posset utraq; falsificari simul in materiâ cõtingente sub eadẽ formâ, ut patet in his; *Petrus non est Rex, Petrus est Rex Galie; non est coloratus, est coloratus albedine; & similibus alijs.* Adde, quòd alioqui, contra legem Contradictionis logicæ, negativa plus negabit, quàm opus est ad contradicendum affirmativæ; negat enim de Petro omne animal, cum sufficeret negare animal A.

149 Propter hæc Recentiores aliqui renuunt concedere, quòd propositio, *Petrus non est animal,* & quæcumque alia negativa, reipsâ extendatur ex parte prædicati objectivi plusquàm ex parte subjecti. Sed nihil magis dissonum regulis Summularum. Nam 1., regula illa, *Negatio præposita verbo distribuit prædicatum ex se commune*, nunquàm habebit locum, ubi subjectum est singulare; tunc enim prædicatum nunquàm erit distributionis capax, utpotè singulare pariter ex parte objecti. 2.; propositio, *Petrus non est animal,* bene convertitur sic, *Ergo nullum animal est Petrus,* ut in Summulis notavimus, utque doceant ex communi sensu Conimbricenses in 1. Prior. cap. 2. q. 1. art.

4. Foret autem spuria conversio, si prædicatum conversæ non latius pateret, quam subjectum.

150 3.: falsa erit hæc alia regula Summularum, *De quocumque negatur Divisum, negantur omnia, & singula Membra dividentiæ:* ex qua rectè arguitur de subjecto quolibet, *Non est animal, ergo non est homo, nec bellua,* Falsa, inquam, erit si, dum negatur animal de subjecto singulari, solum negatur certum animal individuum: tùm quia hoc non est Divisum respectu hominis, & belluæ: tùm quia ex terminis perperam arguitur, *Petrus non est animal A., ergo non est aliquod ex innumeris alijs, vel rationalibus, vel irrationalibus,* non aliter, ac si quis inferat, *Petrus non est Rex Galie, ergo non est Rex alicujus in Orbe Regni.*

151 Affero 3.: si iudicium est simplex qualitas, in prædicatione affirmativâ de subjecto formaliter multiplici, vel inferiori, non salvatur Universale quoad perfectâ præcisionem, & unitatem rationis. *Probat* in prædicatione de subjecto multiplici, v. g. in hac, *Omnis homo est animal,* quæ, posita simplicitate iudicij, tota est unicus conceptus realiter indivisibilis. Conceptus hic repræsentat expressè naturam animalis identificatam cum subjecto realiter multiplici; ergo illam expressè repræsentat multiplicatam; quia in naturâ eadẽ idem est identificari cum multis, ac multiplicari, proindeque naturæ multiplici as exprimitur quoties apparet ejus identitas cum multis. At

152 Atqui conceptus expressè repræsentans multipliciter ob-  
jecti, non reddit illud absolute  
unum unitate rationis, nec inten-  
tionaliter indivisum: ergo &c. *Prob.*  
*Min. subsumpt.*: quia objectum rea-  
liter multiplex non aliter fit ratio-  
ne unum, nisi in quantum in mente  
non habet divisionem: at per cogni-  
tionem, quæ est repræsentatio plu-  
ralitatis: ut talis, objectum procul-  
dubio divisionem habet in mente.  
Ideo cò apprehensiones istæ, *anima*  
*ha, homines, omnis homo*, ineptæ sunt  
ad præstandam objecto unitatem  
rationis.

153 Eodem argumento proba-  
tur Assertio quantum ad prædica-  
tionem de subjecto inferiori. Nam  
hic actus, *Petrus est homo*, est re-  
præsentatio Petreitatis: ut talis: er-  
go formaliter, & ex parte actus ex-  
primit aliquam è differentiis divisi-  
vis naturæ humanæ: hanc ergo non  
constituit prorsus indivisam inten-  
tionaliter; nec eam præscindit, &  
abstrahit ab omni principio indivi-  
duante, prout ad universalitatem  
absolutam requiritur.

154 *Dices*: quamvis ex parte  
subjecti non detur unitas, aut præ-  
cisio, benè tamen ex parte prædica-  
ti, ubi datur expressio æquivalens  
apprehensioni *homo*, vel *animal*. Sed  
*contra*: in iudicio indivisibili sub-  
jectum, & prædicatum formalia nõ  
sunt alia, & alia pars, sed una im-  
partibilis expressio: ergo in prædi-  
catione de subjecto multiplici, vel  
singulari, nulli datur expressio, quæ  
non sit repræsentatio pluralitatis,

aut singularitatis, ut talis; sicut in  
homine realiter sumpto nullum est  
prædicatum, quod non sit rationa-  
le. Sed repræsentatio pluralitatis, ut  
talis, nequit esse unitas rationis;  
nec repræsentatio singularitatis, ut  
talis, potest esse præcisio naturæ ab  
omni singularitate, ut est evidens:  
ergo &c.

155 Poterit quidem cognitio  
reflexa præscindere in ijs judi-  
cijs formale prædicatum à formali  
subjecto, & tunc manebit expressio  
hominis v. g. distincta per rationem  
ab expressione multitudinis, aut  
hæcæitatis. At hoc non sufficit, ut  
in iudicijs hujusmodi salvetur per  
fecta universalitas. Tum quia nunc  
tantum inquiritur, an illa iudicia  
per se, & absque reflexa cognitione  
retineant, aut faciant Universale.

156 Tum quia expressio ho-  
minis, ut reflexè præcisio ab expres-  
sione multitudinis, vel hæcæitatis,  
expressionem istam à se non exclu-  
dit positivè, nec ejus carentiam in  
se dicit: ergo non est unitas in lineâ  
rationis: sicut non est unitas in li-  
neâ reali, quæ à se non positivè ex-  
cludit divisionem realem. Datur ita-  
que in prædictis iudicijs expressio  
æquivalens apprehensioni *homo*, vel  
*animal*, quantum ad amplitudinem  
objecti; at non quantum ad vim  
denominandi objectum perfectè præ-  
cisum, & intentionaliter unum.

157 Signanter in Assertionem  
locutus sum de prædicatione affir-  
mativâ. Quia in negativâ, licet sit  
actus indivisibilis, prædicatum ex  
se commune, nullo signo quantita-

tivo immediatè affecti, permanet simpliciter universale: v.g. in hac, *Nullus lapis est animal*, permanet animal, non solum cum amplitudine complectente animalia omnia ex parte objecti, sed etiam cum unitate, & abstractione perfectâ ex parte actus: nulla enim per talem actum exprimitur pluralitas animalis, nullaque ipsius differentia, vel species.

138 *Dives*: ille actus continet æquivalenter hanc expressionem, *nullum animal*, ut patet ex converte: *Nullum animal est lapis*: continet ergo expressionem multitudinis animalium. *Dist. Antec.*: continet æquivalenter, quantum ad amplitudinem objectivam, & suppositionem distributivam, *conc.*: æquivalenter quantum ad modum tendendi, *neg. Antec.*, & sub ead. distinctione *Conseq.* Sic actus iste, *Homo est animal*, continet æquivalenter expressionem, *omnis homo*, cum æquivalet huic, *Omnis homo est animal*: & tamen, quia non æquivalet in modo tendendi expressivo multitudinis, hominem exhibet cum abstractione, & unitate propria Universalis.

139 In solâ ergo prædicatione affirmativâ de subjecto multiplici, vel inferiori, negandum est, (posita simplicitate judicii) salvâri universale perfectum, & logicè rotundum, v.g. in hac, *omnis homo est animal*. Quamvis enim animal maneat tunc præcisum, & abstractum respectu omnium animalium præter hominem, quæ omnia sub illo actu fiunt ratione unum, &

uniformiter definibilia per *Vivens sensibile*; quia tamen non præscinditur ab specie humanâ, nec à reali multiplicatione intra ipsam, idcirco nõ manet universale perfectum in rigore logico. Vocari nihilominus poterit *Universale scientificum*; quia retinet modum, & amplitudinem logicè universalitati æquivalentem in ordine ad regulas Dialecticæ, & usum Scientiarum.

## CAP. VIII.

*Enervantur argumenta contraria.*

160

**A**rgumenta, quæ primam, & secundâ

Assertionem oppugnant, hoc unum intendunt, non posse prædicatum extendi latius, quàm subjectum, in actuali prædicatione vera. Quare promiscuè soluta dabimus, suppositâ semper simplicitate judicij, ne quid inde supersit difficultatis, & accepto Universali quoad amplitudinem objectivam.

161 *Obfic. 1.*: hic actus, *Petrus est homo*, solum prædicat naturam Petri: ergo non prædicat naturam humanam in communi. *Prob. Antec. 1.* ex D. Thoma opusc. 56. ajente: *Homo, qui prædicatur de Sorte, idem est, quod Sortes*, .. cum prædicatum infat subjecto. 2.: quia solum potest verè prædicari de subjecto, quod cum ipso identificatur; sed sola natura Petri identificatur cum ipso: ergo sic. 3.: quia talis actus singularizat naturam humanam, contrahendo illam ad unum individuum. 4.: quia solum prædicat naturam, quam Petro convenire novit Intellectus per comparati-

vam apprehensionem præviã: per hanc autem præcognitus est Petrus ut talis, sive ut hic homo, adeoque ut habens naturam individuam.

162 Resp. neg. antec. Ad 1. Prob. D. Thomas eo loci magis contrarius est objiciētibus: addit enim; quod homo non prædicatur de Sorte, secundum quod est particularis: cuius ratio, inquit, est, quia terminus idem prædicat, quod significat: ergo qualiter significat, taliter prædicat. Modò iste terminus homo significat naturam humanam absque omni participatione, & particulari ratione: ergo sic prædicabit eam.

163 Concedimus igitur, quòd homo, qui prædicatur de Sorte, idem est, quòd Sortes, non quòd solus Sortes, sed quòd quilibet individuus homo, sicuti cum dicitur, Sortes est aliquis homo: nisi enim prædicatum formaliter, vel æquivalenter disjunctivum contineret id, quòd est idem cum Sorte, nõ posset verè prædicari de Sorte. Et hoc unum intendit D. Thomas.

164 Ad 2. dist. Maj.: prædicatione determinatã, conc.; prædicatione indeterminatã, neg. Maj., & concess. Min. neg. Conseq. Probatio, imò, & tota objectio, instatur in prædicatione formaliter disjunctivã, ut Petrus est aliquis homo, quæ, cum non potiùs prædicet unam, quàm alteram naturam humanam, omnes prædicat indeterminatè. Illa igitur prædicatio, ut constat ex dictis cap. 4., quoad verificationem æquivaleret huic Petrus participat naturam humanam, vel;

est unus ex hominibus, quæ vera est, quamvis plus prædicet, quàm quòd cum Petro identificatur.

165 Ad 3. dist. assertum: singularizat naturam humanam, denominando illam *subjectum singulare, conc.*; denominando illam *prædicatum singulare, neg.*. Considera diversitatem modi tendendi prædicationum istarum, Petrus est homo, Homo est Petrus: utraque naturam humanam singularizat mentaliter, quia utraque secum identificat expressionem Petrus: sed prima ex modo tendendi essentialiter habet denominare naturam humanam *subjectum singulare, & prædicatum universale*; secunda verò è converso. Solutio item patet in hac prædicatione, Petrus est aliquis homo in quã planè infringes quidquid Adversarijs replicare libeat.

166 Forma quidem earum denominationum est actus indivisibilis; sed subiecta, vel objecta distinguuntur inadequatè: nam denominatio *subjecti singularis* cadit supra solam naturam Petri, denominatio autem *prædicati universalis* cadit supra naturas omnium. Sic etiam in physicis eadè unio materiam, & formam singulatim denominat *partes actuales*; easdem verò simul sumptas, *totum, sive compositum*.

167 4. Prob. retorquetur: quia per apprehensionem comparativam, quæ iudicium illud præcedit, non solum prænosceitur Petrus ut homo talis, sed etiam simpliciter ut homo; fit enim comparatio inter objecta istarum apprehensio-

num, *Petrus*, *Homo*, & apprehenditur convenientia utriusque, velut inferioris cum superiori: iudicium ergo, quod inde subnascitur, naturam prædicat Petro superiore, id est, communem alijs hominibus.

168. *Objic. 2.*: repugnat Petrum identificari à parte rei, nisi cum sua humanitate determinata: ergo & repugnat identificari mentaliter cum humanitate non sua. Sed per iudicium, *Petrus est homo*, apparet Petrus mentaliter identificatus cum humanitate: ergo cum sua tantummodo. Sed evidens instantia est in prædicatione de individuo vago, *Petrus est aliquis homo*, ubi Petrus apparet mentaliter identificatus cum humanitate indeterminata.

169. Itaque *neg. 1. consequ.* quia identitas à parte rei nequit esse indeterminata, seu cum extremis indeterminatis; nihil enim existit in rebus, nisi determinatum: at identitas mentaliter sumpta, id est, ut per cognitionem significata, potest utique à modo tendendi cognitionis denominari extrinsecè indeterminata penès alterum extremum, vel etiam penès utrumque, ut cum dicitur, *Aliquis homo est aliquod animal*. Sic repugnat individuum vagum à parte rei; nec ideo repugnat per intellectum.

170. Ut alijs argumentis occurras, *nota 1.*: Expressio ista, *hic homo*, licet in voce contineat terminum *homo* cum syncategoremate *hic*, tamen in mente non continet expressionem *homo*, sed est expressio unius tantum individui. Quare

iudicium, *Petrus est hic homo*, nec salvat Universale, nec per se supponit indefinitam apprehensionem *homo*, nec juxta Adversarios est prædicatio superioris de inferiori præsuppositivè. Similiter huic expressioni vocali, *omnis homo*, non respondet in mente conceptus realiter compositus ex indefinita expressione *homo*, & syncategoremate *omnis*, sed simplex conceptus totam hominum multitudinem copulativè repræsentans.

171. *Nota 2.*: terminus ex se communis non ita restringitur per terminum inferiorem, dum alter de altero prædicatur, sicut dum ambo coalescunt in unum terminum complexum. Cum dicitur, *Homo est animal rationale*, censetur animal restringi ad sola rationalia: at, cum dicitur, *Animal est rationale*, non ita restringitur, sed manet quid obiectivè superius; aliter non ea foret propositio indirecta. Similiter ergo manebit superius, cum dicitur, *Rationale est animal*.

172. *Nota 3.* Quod Adversarij dicunt, naturam communem, dum prædicatur de inferiori, contrahi, applicari, determinari, discerni, concedendum est de contractione, applicatione, &c., impediente perfectam abstractionem, & unitatem rationis; negandum verò de contractione, &c., impediente obiectivam amplitudinem, quæ Universalis est propria.

173. Jam adversus 3. Assertionem *objic. 1.*: hic actus indivisibilis, *Omnis homo est animal*, non so-

solum æquivaleret apprehensioni, *omnis homo*, sed etiam apprehensioni, *animal*, eamque per se supponit, & imitatur in representando: ergo, sicut apprehensio, *animal*, reddit totum suum objectum intentionaliter indivisum, & unum, ita & ille actus judicativus. *Dist. Antec.*: æquivaleret apprehensioni *animal*, quoad positivum istius apprehensionis, *conc.*; quoad negativum, *neg. Antec. & conseq.* Simplex apprehensio *animal* attingit ex parte objecti omnia animalia, omniaque representat sub ratione animalis, id est, ita ut omnibus conveniat definitio, *vivens sensibile*; omnia item representat modo æquivalenter distinctivo, seu vago. Totum hoc voco *positivum* illius apprehensionis, in quo ipsam imitatur dictum iudicium indivisibile.

174 At eadem apprehensio simul in se est negatio, vel exclusio expressionis, per quam appareat ulla differentia, sive pluralitas animalis: nequit enim identificare secum expressionem ejusmodi. Ea prædicatum negativum, in quo repugnat quod eam imitetur iudicium. Atqui in ea ipsa negatione consistit, quod apprehensio *animal* reddat objectum ratione unum, & indivisum: non ergo iudicium in hoc æquivaleret apprehensioni. Sic anima hominis æquivaleret animæ leonis in vi positiva vegetandi, & sentiendi, non tamen in exclusione rationalitatis.

175 *Objic. 2.*: quamvis iudicium, *Petrus est homo*, clarè ex-

primat Petrum, simul tamen illum representat indefinitè cum cæteris, adeoque ut unum cum cæteris in ratione hominis: quemadmodum hic actus, *Petrus est aliquis homo*, Petrum representat determinatè, simul & indefinitè cum cæteris. Sicut ergo posterior hic actus constituit, & salvat Individuum vagum; ita prior ille constituit, & salvat Universale perfectum.

176 *Neg. Antec.*, quod scilicet iudicium, *Petrus est homo*, representet indefinitè Petrum cum cæteris hominibus: representatio enim indefinita, tum ex vi nominis, tum ex acceptione communi, præscindere debet objectum commune ab identitate reali cum multis, vel cum uno inferiori. Non sic autem præscindit iudicium illud; nisi velis, ut præscindat ab eo ipso, quod exprimit ex parte actus. Solum ergo datur in eo iudicio representatio indefinita cæterorum hominum præter Petrum.

177 Assertio nostra duobus nititur principijs in omni Scholâ receptis. *Alterum* est: Nullum objectum fit Universale logicum, nisi præscindatur, & abstrahatur ab omni reali multiplicatione sui, & ab omni differentiâ inferiore. *Alterum*: Abstrahi, seu præscindi unum ab alio, est cognosci unum sine alio, seu non cognoscendo (saltem ex parte actus) realem identitatem ejus cum alio. Cum ergo iudicium illud indivisibile representet ex parte actus identitatem hominis cum Petro, quomodo potest hominem à

Petro præscindere, vel abstrahe-  
re, ut constituat Universale logi-  
cum? Hæc præ oculis habe, ut à  
varijs objectiunculis te expedias.

178 Nec obstat illud de In-  
dividuo vago. Quia constitutio In-  
dividui vagi non postulat præci-  
sionem ab identitate reali cum in-  
dividuo determinato: solum exigit  
modum tendendi aptum suppositio-  
ni disjunctivæ, & verificabilem in-  
prædicatione per quodlibet è mul-  
tis. Negandum tamen, quod actus  
indivisibilis, *Petrus est aliquis homo*,  
repræsentet Petrum *indeterminatè*  
simpliciter: quia hæc sonat exclu-  
sionem determinationis omnimoda-  
dam: ille autem actus determinatè  
repræsentat Petrum tanquam sub-  
jectum objectivum, seu tanquam  
*id, de quo* prædicat. Solum ergo re-  
præsentat Petrum *indeterminatè* se-  
cundum quid, nempe secundum de-  
nominationem *prædicati*, quam il-  
li præstat unâ cum cæteris homini-  
bus disjunctivè. Quommodò au-  
tèm Petrus ab eodem actu suscipiat  
denominationes *subjecti determinati*,  
& *prædicati indeterminati*, vid.  
sup. num. 166.

179 *Objic.* 3. ex Thomistis:  
judicium, *Petrus est homo*, ratione  
distinguit hominem à Petro: sed ho-  
mo ratione distinctus à Petro, cum  
aliundè præscindatur, ut volumus,  
& reliquis individuis, manet perfec-  
tè universalis: ergo &c. *Prob. Maj.*  
vi istius judicij Petrus est subjectum,  
& homo est prædicatum; sed prædi-  
catum formaliter distinguitur à sub-  
jecto, saltem dum prædicatio non

est identica: ergo &c. *Confirm.*: re-  
pugnat unio, & cõpositio physica,  
nisi inter extrema actu distincta  
physicè: ergo repugnat unio, & cõ-  
positio intèntionalis, nisi inter extre-  
ma actu distincta formaliter. Sed ju-  
dicium est intentionalis unio, &  
compositio subjecti, & prædicati:  
ergo reddit alterum ab altero for-  
maliter distinctum.

180 Hæc objectio nititur doc-  
trinâ Thomisticâ, quòd scilicèt  
omnis propositio mentalis fingit  
ex parte objecti distinctionem in-  
trinsecam inter subjectum, & prædi-  
catum: quam doctrinam impugna-  
tam habes *tract. præced. disput. 2. à*  
*n. 77. ad 81., & à n. 102. ad 106.*  
Ex ibi dictis, positâ simplicitate  
judicij, *neg. Maj.*: In *prob. dist.*  
*Min.*: prædicatum formaliter dis-  
tinguitur à subjecto distinctione  
præsuppositâ ad judicium, *conc.*; dis-  
tinctione factâ per judicium: *neg.*  
*Min. & Conseq.*

181 *Ad Confir.*: cum propo-  
sitis dicitur unire, & compone-  
re prædicatum cum subjecto, ser-  
mo est vel de propositione vocali,  
vel de mentali, quæ supponatur ex  
apprehensionibus composita. Quòd  
si supponatur, ut modò, simplex  
qualitas, nullam in se continet  
unionem, aut compositionem ac-  
tualem, sed ut summum virtualem,  
aut æquivalentem, quatenus appre-  
hensionibus distinctis æquivaleret  
quoad positivum, præbetque fun-  
damentum, ut reflexè distinguatur  
per rationem expressio prædicati  
ab expressione subjecti, atque ita



consideretur inibi reflexa quædam compositio utriusque.

182 *Objic. 4.*: conceptus iste, *omnis homo est animal*, attingit in primis naturam à parte rei convenientem omnibus animalibus, ut concedimus; aliunde multipliciter illius naturæ non exprimit: ergo illam constituit simpliciter Universalem. *Consequentia* tenet: quia conceptus attingens naturam à parte rei multiplicem, quin ejus multipliciter exprimat, perfectè constituit Universale.

183 *Prob. Min.*: modus tendendi hujus prædicationis, *Omnis homo est animal*, est omnino similis modo tendendi hujus, *Omnis Persona Divina est Deus*: sed hæc secundà non repræsentat multipliciter Dei, sed tantummodò eorum, qui sunt Deus: ergo nec prima repræsentat clarè multipliciter animalis, sed tantummodò eorum, qui sunt animal, nempe hominum.

184 *Confirm.*: conceptus, *omnis homo est animal*, ita prononit animalis naturam identificatam cum multis, ut præscindat ab eo, quòd talis natura distinguatur virtualiter (idem puta de distinctione formali ex naturâ rei), vel non distinguatur virtualiter ab illis multis; nam ex tali conceptu, nisi aliud adjungas, inepte colliges, animal distinguui, vel non distinguui virtualiter ab hominibus: ergo formaliter præscindit à multipliciter naturæ animalis. Patet *Conseq.*: quia præscindit à distinctione, quæ, si daretur,

teneret naturam communicari multis absque multiplicatione sui, more naturæ Divinæ.

185 *Ad objic. neg. Min.*: *Ad prob. neg. Maj.*: quia sicut non est omnino similis modus tendendi harum apprehensionum, *animal, Deus*; altera enim est terminus communis, altera singularis; altera præscindit ab unitate reali sui objecti, altera non siquidem Deus verus ab unitate præscindi non potest; ita non est omnino similis modus tendendi prædicationum illarum, cum apprehensiones per se prævias imitentur quantum possunt, & secunda esse significet prædicatum ut positivè repugnans multipliciter, prima verò non ita significet.

186 *Ad Confirm. neg. Antec.*, si loquatur de distinctione virtuali sufficiente ad realem identitatem unius cum multis: hujus enim distinctionis exclusio formaliter imbitur in conceptu cujuslibet naturæ finitæ; neque ullus est Virtualista, vel Scotista, qui naturam creatam realiter unicam, & individuatam, concipiat aptam, ut cum extremis realiter distinctis identificetur infar Divinæ. Quare ex illo conceptu rectè colligitur, animal esse tali sensu virtualiter indistinctum ab hominibus, quàmvis ibi non detur hæc expressio, *virtualiter indistinctum*. Ut enim rectè colligitur, animal esse ens finitum, limitatum, oppositum chymeræ, quàmvis hæc prædicata sub propriis expressionibus ibi non appareant; quia scilicet hæc, & alia transcendentia om-

nam naturam creatam, facti rede-  
nne super energiam illius con-  
ceptus, tanquam in eo imbibita  
deteguntur; sic in re nostra dicen-  
dum. Alias ejusdem argumenti con-  
firmationes vide solutas in Log. suf-

187 Denique observa, quod  
per hoc judicium, *Homo, prout ut  
species, est perfectè præcisus à Pe-  
tro, ut etiam per hoc, Petrus, &  
ceteri homines, ut confusè cogniti con-  
ceptu homo, sunt una natura univer-  
salis, non fit universale, sed re-  
flexè cognoscitur factum, per sim-  
plicem conceptum homo; sunt enim  
hæc judicia reflexa, ut quisque vi-  
det-*

## CAP. IX.

*Deciduntur nonnullæ questiuncule,  
quæ supersunt de Universalibus  
generatim.*

288

**Q**uer. 1., an sensus ex-  
ternus, v. g. visus,  
possit facere Uni-  
versale? & an saltem id possit sen-  
sus internus, seu potentia imagina-  
tiva? *Resp.* Utrumque negandum  
cum D. Thoma 1. p. q. 12. art. 4.  
Quia sensatio, etiam dum objectum  
confusè percipit, semper figitur in  
individuis determinatis, quamvis  
forsan præscindat à differentiis spe-  
cificis: non aliter, ac conceptus,  
*hoc animal*, quamvis non discernat  
inter rationale, & irrationale, fer-  
tur tamen indeterminatum indivi-  
duum, ideòque non facit Univer-  
sale.

189 *Quer.* 2., an fiat Univer-  
sale per operationem Intellectus  
agentis? Intellectus est duplex mu-

nere saltem, & officio; dividiturque  
in *agentem, & passibilem*, aut *pas-  
sibilem*. Dicitur Intellectus agens,  
quatenus efficit species impressas,  
id est virtutes quasdam spirituales,  
quibus deinde ad cognitiones pro-  
ducendas adjuvatur. Dicitur *passi-  
bilis*, aut *passibilis*, quatenus pro-  
ducit, ac recipit cognitiones objec-  
torum. Unde sensus quæstionis est,  
utrùm species impressa, virtualiter  
continens cognitionem præcisivam,  
& indefinitam, faciat Universale?

190 *Resp.* Si species impres-  
sa est objecti repræsentatio forma-  
lis, ut multis placet, per eam fieri  
potest Universale quoddam. Cur  
enim repræsentatio formalis natu-  
ræ humanæ, v. g. cum præcisione ab  
omni singularitate, non eam deno-  
minet extrinsecè unam, & indiffe-  
rentem ad multa, sicut præcisiva  
cognitio? Illud tamen Universale  
non erit prædicabile nisi remotè.

191 Si autem (quod verius  
est) species impressa solum est ob-  
jecti repræsentatio virtualis, qua-  
tenus est virtus adjuvans ad eli-  
ciendam cognitionem; non facit  
Universale, nisi cum hoc addito alie-  
nante, *virtualiter*, sive *in actu pri-  
mo*; quia per eam non reditur ob-  
jectum unum in esse apparenti, sive  
unum unitate intentionali. Quod  
maximè tenentur dicere Thomistæ,  
constituentes Universale per unita-  
tem rationis in objecto fictam. Nam  
species impressa non fingit; nec eas  
rationis aliter existere potest, quam  
in cognitione, cum totum esse il-  
lius sit cognosci.

192 *Dices* 1. D. Thomas non femel indicat, Per operationem Intellectus agentis abstrahi, ac depurari naturam à conditionibus individuantiis *Resp.* Loquitur D. Thomas de abstractione mediata, & virtuali, quatenus species est medium, & virtus ad cognitionem formaliter abstrahentem, & quidem titulo representationis.

193 *Dices* 2. : natura animalis, prout est in specie impressa, non est singularis, nec ulli individuo appropriata *Resp.* Non ideò est formaliter universalis : quia datur status medius, in quo natura nec sit in Intellectu formaliter singularis, nec formaliter universalis, nempe status, in quo neutro modo repræsentatur formaliter, sed est velut in viâ, & virtute proximâ ad repræsentationem præcisivam, & indefinitam.

194 *Quær.* 3. , an Voluntas Universale facit? Quod voluntas affectivè præscindere possit rationem communem à differentiis, amando, v. g. virtutem, aut honorem ut sic, & non amando differentias ut tales, extra dubium est. Tunc ergo per actum amoris fiet Universale quoddam affectivum, quatenus objectum; re multiplex, potest ex parte affectus præscindi à multiplicitate, atque ita constitui extrinsecè unum unitate affectivâ. Non tamen illud erit Universale scientificum, quo de loquimur: tum quia non est quid unum in esse apparenti, seu repræsentato: tum quia non dicit ordinem ad prædicationes, & scientias.

195 *Quær.* 4. , an Intellectus Divinus, aut Angelicus, Universale faciat? *Resp.* Intellectus Divinus minimè facit: quia ipsi repugnat cognitio præcisiva, seu non comprehensiva omnium formalitatum objecti. Nec obstat, quòd Deus cognoscat Universale à nobis factum: nam etiam cognoscit figmenta nostra, quin ipseingat. Dum ergo nostras cognoscit præcisiones, simul ab infinitâ suæ mentis perspicaciâ determinatur, ut non præscindat, sed eodem intuitu pervideat quidquid à nobis prætermisum est in objecto. Intellectus Angelicus poterit facere Universale circa illa saltem objecta, quæ tantum in communi, & abstractivè cognoscit cuiusmodi sunt secreta cordis.

196 *Quær.* 5. , utrum natura, si abstrahatur ab uno tantum individuo, sit Universalis? Sensus questionis est, an per speciem acceptam ab uno tantum individuo, elici possit cognitio faciens Universale, id est, indefinitè repræsentans naturam omnium in eâ ratione similium? Hoc sensu *resp.* cum distinctione. Si natura abstrahatur ab aliquo prædicato individui, sic tamen, ut contracta maneat per hæc eitatem, non redditur Universalis. Ex g. video hominem à longè se moventem, in quo nihil præter animalitatem discerno, ac proinde à rationalitate præscindo: tunc, si eliciam conceptum, *hoc animal*, mentem determinatè figendo in objecto sub aspectu posito, Universale non facio, sed individuum incompletum; quia

rationem animalis contra hoc per determinatam hæcæritatem.

167 Si verò in casu posito eliquam nam conceptum *animal*, nihil experimentem de circumstantiis talis individui; tunc Universale constituto, etiam si utar specie ab uno tantum individuo immisra. *Probat*: quia ille conceptus in repræsentando est omnino similis ijs cognitionibus, quibus aliàs fieri solet Universale, nec vi illius apparet objectum ut multiplex, vel ut unum realiter, nec aliud de eo prout sic concepto dici potest, quam esse *vivens sensibile*, quæ est definitio, & ratio conveniēs uniformiter omnibus animalibus.

198 *Dices*: conceptus ille paritur ab specie unius tantum individui: ergo non attingit ex parte objecti omnia individua, prout requiritur ad Universale. *Dist. Antec.* ab specie præstita per operationem, in qua illud individuum affimilatur ceteris, nimirum per motum progressivum, quæ species abstractiva sit respectu substantiæ, & insuper applicata ad inadæquatè operandum, *conc.*; ab specie, quæ sit alius indolis, vel quæ aliter applicetur, *neg. Antec.*; & *Consequ.* Certè nemo negat, quòd natura Solis, aut Mundi, fieri possit Universalis, & tamen ex ejus naturæ individuis non nisi unius speciem habemus.

199 *Quer.* 6., quo sensu intelligenda sint attributa quædam Universalis? *Resp.* 1. Universalis dicuntur *æterna*, *necessaria*, *immu-*

*tabilia*, *ingenrabilia*, & *incorruptibilia*: tùm in sensu explicato supra *cap.* 2.: tùm in sensu præcili-vo, quia, ut ait D. Thomas 1. p. q. 16. art. 7. ad 2. *Universale dicitur esse ubique, & semper, in quantum Universalis abstrahuntur ab hic, & nunc: sed ex hoc non sequitur ea esse æterna, nisi in Intellectu, si quis sit æternus.*

200 *Resp.* 2.: Universalis dicuntur, & sunt *incorporea* secundum formam, quæ est cognitio spiritualis. Sunt etiam secundum formam *entia realia*, prout reale operatur sicut; non tamen prout ens reale est idem, ac ens naturæ, existens extra animam, sive independentem ab Intellectu; potius enim, prout huic enti reali contrapositione, dicuntur, & sunt *entia rationis*, nimirum *subjectiva*, vel *denominativa*. Sunt item secundum formam, non *substantialia*, sed *accidentalibus*, cum eorum forma, quæ est cognitio, sit accidens, non physicum, & intrinsicè objecto, quòd denominat, sed extrinsicè, & intentionale.

201 Sed, si Universalis spectentur secundum subjectum, vel substratum, erunt corporea, vel incorporea, substantialia, vel accidentalibus, realia, vel ficta prout fuerint individua, à quibus abstrahitur ratio communis: potest enim abstrahi ratio lapidis, vel Angeli, vel coloris, vel etiam chymæ.

202 Notandum hic ex D. Thomas Opusc. 56., quòd Universalis, prout est concretum ex objecto, & forma extrinsicè denominante,

non est unum per se, sed unam per accidens; licet non proprie, eo quod forma non insit subjecto. Est igitur *Universale* (concludit D. Thomas) unum unitate cognitionis, ita quod de ratione *Universalis* non requiritur nisi illa unitas rationalis. Dum autem objectum *Scientiæ* dicitur esse unum per se, sermo est objecto *universali* quoad rectum, & in suppositione personali.

203 *Resp.* 3. *Universale*, prout singulari contrapositum, à Philosopho dicitur 1. *scibile*; quia *Scientiæ* communiter non curant de singularibus sub ratione talium, sed sua objecta in *universali* considerant. 2. *Intelligibile*; quia *Universale* non percipitur sensibus, ut *singulare*, sed proprium est objectum *Intellectus*. 3. *principium singularium*, non quidem effectivum, sed intrinsecum & constitutivum ratione nostrâ; stituitur enim *singulare* ex prædicationis communibus, & hæcceitate, velut forma quâdam.

204 Dicitur 4. *prius singularibus*, tum prioritate, quam vocant *in subsistenti consequentiâ*, quatenus ex prædicato singulari sequitur *universale*, & non vice versa; valet enim, *Est Petrus, ergo est homo*, non è converso. Tum prioritate quâdam naturæ, quatenus *Universalia* simpliciora sunt quoad expressionem, quàm *singularia*, sunt

que velut constitutiva ipsorum, ut modò diximus. Unde & *universalia* priora dicuntur ordine cognitionis; nimirum quando cognitio sequitur ordinem compositionis, progrediturque à partibus ad totum à simplicibus ad composita. Cum autè ait Aristoteles 1. de Anim. tit. 8., *Universale aut nihil est, aut posterius est*, solam velut ut *Universale* nullum sit nisi post cognitionem, quatenus ex illâ resultat velut ejus effectus formalis.

205 Dicitur 5. *perfectius singularibus*; quod intellige de perfectione extensivâ; nam intensivè perfectiora sunt *singularia*. Denique dicitur proprium esse *Universalis* habere plura inferiora, saltem possible, quibus comparari possit comparatione, tum simplici, tum compositâ, tanquàm illis verè conveniens.

206 *Quær.* ultim., quasnam habeat causas *Universale*? *Resp.* *Causa efficiens* est *Intellectus* creatus: *Causa formalis*, est secunda intentio objectiva in abstracto sumpta, id est, directa cognitio indefinita, quæ simul est prima intentio formalis ex dictis Tract. 1. disp. 2. c. 4.: *causa materialis*, est objectum, quod indefinitè cognoscitur: *causa finalis* dici potest affectio scientiarum.

*De Universalibus singillatim, seu de quinque Prædicabilibus.*



ORPHYRIUS, vetus Philosophus, in suâ *Isagoge*, sive Introductione ad Categorias Aristotelis disseruit de *Quinque vocibus*, id est, de quinque Prædicabilibus, quæ significantur vocibus hisce, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, & *Accidens*, Atque hæc eadem sunt Universalia in particulari, quasi totidem specifica membra Universalis in communi, quæ nunc ex doctrinâ Porphyrij singulatim explicare aggredimur.

## DISPUTATIO I.

*De Genere, & Specie.*

### CAP. I.

*Definitur Genus, & dubiola quædam resolvuntur.*



GENUS, logicè sumptū, ex Porphyrio, & Aristotele definitur, *Prædicabile de pluribus specie differentiibus in eo quod quid*. Illa verba, *Prædicabile de pluribus*, explicant convenientiam Generis cum cæteris Prædicabilibus. Reliqua verba discrimen exhibent hujus Prædicabilis a cæteris. Primū enim differt Genus ab Specie, quia hæc prædicatur de pluribus solo numero distinctis; Genus verò de pluribus specie diversis.

2 Dicuntur specie diversa, quæ notabiliter dissimilia sunt in essentiâ, ideòque versas habent

definitiones essentialia, ut homo, equus, leo, & canis: dicuntur autem solo distincta numero, quæ usque adeò similia sunt in essentiâ, ut solum discernantur quia numerum, seu multitudinem faciunt, ut hic homo, & ille homo.

3 Differt consequenter Genus ab Specie; quia Genus prædicatur incompletè, sive ut pars essentiæ metaphysicæ; alioqui non prædicaretur de multis specie diversis: at Species prædicatur completè, sive ut tota essentiâ individui; cum enim dicitur, *Petrus est homo*, prædicatur formaliter quidquid est Petrus, præter hæcæitatem, quæ non pertinet ad essentiâ metaphysicâ.

4 Deinde differt Genus à Differentiâ; quia hæc prædicatur, non *in eo quod quid*, sed *in quale quid*. Postremò differt à Proprio, & Accidenti, quia duo hæc prædicantur purè *in quale*. Ea prædicantur *in*

*quid*, quæ sunt prædicata essentialia, & quiddicativa subiecti; per illa quippe respondemus interroganti, Quid est rex? Ex ijs alia prædicantur in eo *quid quid*, idest, purè in *quid*; alia in *quale quid*. Quæ significantur instar *per se stantis*, sive terminis substantivis, ut *animal, homo*, prædicantur purè in *quid*: quæ verò significantur per modum *adjacentis*, sive terminis adjectivis, prædicantur in *quale*.

5 Quòd si prædicata, quæ adjectivè significantur, sint essentialia, tunc pertinent ad *quid*, & *quale*, & prædicantur in *quale quid*; ejusmodi sunt *rationale, sensibile*, & alia, quæ nomine Differentiæ veniunt. Si verò, quæ significantur adjectivè, sint accidentalialia, sive extra essentialiam, tunc prædicantur purè in *quale*; ejusmodi sunt, *risibile, calidum, album*, & ea omnia, quæ sub Proprio, & Accidenti continentur.

6 Clarior videtur hæc alia definitio Generis, à Recentioribus probata, *Prædicabile de pluribus specie differentibus tanquam pars materialis essentialis ipsorum metaphysicæ*. Porrò Genus dicitur *pars materialis*, Differentia verò *pars formalis*, per analogiam cum materiâ, & formâ physicis: quia Genus, ex se indifferens ad varias species, determinatur in lineâ metaphysicâ per Differentias, sicut materia per formas in lineâ physicâ. Quare vulgatum illud, *Genus à materiâ, Differentia sumitur à formâ* non sic intelligas, quasi Genus, *animal,*

v.g. solam significet materiam primam: & Differentia, v.g. *rationale*, solam formam, nempe animam hominis (utrumque enim significat ex parte objecti totum compositum physicum); sed intellige per analogiam nunc indicatam.

7 Ubi nota, quòd, licèt pars physica non prædicetur absolutè de toto; benè tamen pars metaphysica; tum propter identitatem realem adæquatam; tum quia sub conceptu partis metaphysicæ attingitur ex parte objecti quidquid est in toto. Cùm autem D. Thomas *cap. 3. & 4. de Entit. & Essent.* docet, quoqvís Universale prædicari de inferioribus, non ut partem, sed ut totum; loquitur de totalitate attactâ ex parte objecti, quæ benè cohæret cum inadæquatione ex parte actûs. seu cum munere partis in sensu metaphysico.

8 Dici quoque potest, Genus, & quodlibet Universale, prædicari de inferiori ut totum potentiale: quia in prædicatione retinet indifferntiam, vel extensionem ad alia inferiora. Nec inter se pugnant denominatio *totius potentialis*, & denominatio *partis*; nam proveniunt ex diverso capite, prima quidem ex amplitudine, vel extensione; secunda verò ex intensione perfectionis exhibitæ ex parte actûs.

6 Sed contra datam definitionem *objic.*: Genus definiri non potest, *Prob.* quia: si definitur; ergo per genus, & differentiam: ergo definitum ingreditur definitionem sui. *Adde*, quòd si Genus constat ge-

nere, & differentiâ, jam non erit Genus, sed Species. *Neg.* assumpt. *Ad prob.* : in primis mala est prior consequentia: quia dari potest definitio sine genere, & differentiâ strictè talibus, ut in *Summul.* notatum est. Deinde, licet Genus, definiatur per genus sub expressione *Prædicabilis de multis*, non definitur per genus sub nomine *generis*; quo sensu est definitum formale, & prohibetur ingredi definitionem sui. Vid. dicta in *Summul.* circa Regul. defin.

10 Quod additur, nullius est ponderis. Tum quia omne Genus non supremum, simul est Species subijcibilis, quæ non pugnat cum conceptu generis. Tum quia Genus ut sic, prout abstrahit à supremo, & non supremo, non definitur per genus, & differentiam de lineâ directâ, seu primò intentionali (hoc sensu dici solet, quòd Generis nulla est definitio stricta), atque adeò non continet rationem Speciei. Hoc tamen non prohibet, quòd Genus definiatur, ut in præsentì, per prædicata, quæ sint genus, & differentia de lineâ reflexa, & secundò intentionali; quâ in lineâ est utique Species, ut explicabitur *Disp. seq.*

11 Dividitur Genus in *Supremum*, *subalternum*, & *infimum*. *Supremum* est, quod supra se non aliud genus habet, ut *Substantia ut sic*, vel potiùs *Ens*, si fortè ratio Entis possit esse genus, ut plures volunt. *Subalternum* est, quod, & sub se, & supra se habet alia genera, ut *vivens*, quod sub se continet

genus *animal*, & suprâ se habet genera *corpus*, & *substantia*. *Infimum* est, quod infra se solas habet species, ut *avis*, aut *piscis*.

12 Ubi nota, Genera infima, & subalterna, vocari, & esse Species subalternas subijcibiles relatu ad genera superiora: v. g. *animal* est quidem genus respectu hominis, equi, leonis, &c.: at est species subalterna subijcibilis relatu ad genus *vivens*, cui subijcitur velut quædam essentia metaphysica constituta ex genere *vivens*, & differentiâ *sensibile*.

13 Hinc Genera supremum, & subalternum comprehenduntur definitione datâ Generis ut sic, licet prædicetur de differentibus genere; quia inferiora genera, de quibus prædicantur, verè sunt species subijcibiles, nec relatu ad superiora considerantur ut genera, sed ut species.

*Dubiola quedam circa Genus.*

14 **D**ubit. 1., utrùm Genus requirat essentialiter plures Species possibiles? an unâ dumtaxat contentum sit? *Resp.* Requirit essentialiter plures, quidquid reclamant aliqui. Sic expressè Aristoteles 4. *Topic.* cap. 3., necnon D. Thomas in 1. *Poster. lec.* 12. *Prob.*: quia de essentiâ Generis, ut ex ejus definitione constat, est capacitas ut verè dicatur conveniens pluribus speciebus. Hæc autem capacitas in prædicato reali (quale modò supponimus esse Genus pro substrato) plurium Specierum possibilitatem essentialiter exigit; aliàs di-



dici posset verè conveniēs Species chimericis.

15 *Objic.*: etiamsi omnes animalium Species præter humanam repugnarent, adhuc animal foret genus. *Prob.*: quia homo tunc eandem haberet essentiam, quam nunc habet, atque adeò constitutam ex genere *animal*, & differentiã *rationalē*. *Resp.* Animal in illã hypothesi non foret Genus: quia, licet esset idem, quod modò, intrinsecè, & physicè (attentã scilicet perfectione primariã *principij sentiendi*, quæ saltem per locum intrinsecum non deficeret); at non esset idem logicè, & extrinsecè; quia non haberet eas denominationes extrinsecas, quas nunc in ipso considerat Logica, nempe denominationes *superioris*, & *indifferentis ad plures species*: has quippe denominationes modò suscipit ab actu, quo indefinitè confunditur cum alijs speciebus; qui actus esset tunc impossibilis.

16 Tunc igitur homo essentiam haberet eandem physicè, sed metaphysicè diversam: quia essentia metaphysica involvit denominationes extrinsecas ab actibus rationis, qui tunc variarentur ex variatione objecti. Homo itaque diversimodè definiendus esset, sic nimirum, *Vivens sensibile rationale*, ita ut *sensibile* non esset tunc differentia subalterna, sed pars differentię ultimæ specificæ, quæ tunc ex *sensibili*, & *rationali* coalesceret.

17 *Replic.*: possibilis est materia prima non indifferens ad plures formarum species, ut multi

putant de materiã cœlesti: ergo pariter censendum de Genere, utpotè quod materiam imitatur. *Neg. consq.*: quia Genus non imitatur materiam omnem, aut in omnibus, sed præcisè materiam defacto notam in sublunaribus, unicè, vel præcipuè secundum indifferentiam ad plures formarum species.

18 *Dubit.* 2., utrum Genus prædicetur de individuis tanquam pars materialis, seu more Generis? Certum est; Genus verè prædicari posse de individuis, quæ prædicabilitas in ejus definitione imbitur: quidquid enim speciei convenit in suppositione personali, convenit & omnibus sub illa contentis.

19 Sed *observa*, individuum, prout à nobis conceptum, aut significatum, aliud esse *completum*, quod scilicet continet formaliter totam essentiam specificam, quæ est à parte rei, prout affectam singularitate, ut *Petrus, hic homo*: aliud verò *incompletum*, quod tantum dicit formaliter partem essentiæ realis, id est, aliquod essentiale prædicatum, prout affectum hæccitate ut *Hoc animal, Hoc vivens, Hæc substantia*. Talia individua concipi à nobis posse cum præcisione à reliquis prædicatis individui completi, monstrat experientia, maxime dum animal à longè cernimus.

20 His positis, *dico* 1.: de individuis completis prædicatur Genus incompletè, & ut pars materialis. *Prob.*: quia in hac prædicatione, *Petrus est animal*, non prædicatur formaliter tota essentia Pe-

tri, sed pars essentiæ; non pars formalis, ut patet; ergo materialis. Hinc Genus ut tale relationem dicit ad Species, & ad individua; vel, si mavis, duas relationes diversas pro diversitate terminorum; idque sine incommodo; quia altera subnascitur ex alterâ, & utraque fundatur in munere partis materialis.

21 Dico 2.: Genus prædicatur de individuis incompletis, non ut Genus, sed ut Species. *Prob.* quia in hac prædicatione, *Hoc animal est animal*, prædicatur animal in quid completè, & ut tota essentia subjecti: nam subjectum, prout ita expressum, *Hoc animal*, non est formaliter rationale, nec irrationale, sed ab utroque præscindit, cum ex vi, & energiâ illius expressionis neutrum appareat, aut definiendo apparere possit. Ejus igitur essentia metaphysica præcisè est animal: ergo, cum de ipso prædicatur animal, tota ipsius essentia prædicatur; non aliter, ac cum dicitur, *Hic homo est homo*.

22 Nec refert, quòd hoc animal, & illud animal, fortassè sint homo, & bellua, adeoque specie differant à parte rei, & prout subsunt conceptibus completis, his v. g., *Petrus*, *Bucephalus*. Quia nihilominus pro it expressa conceptibus incompletis, solo numero distinguuntur logicè, & formaliter; non enim major apparet diversitas inter hoc animal, & illud animal, prout ita concepta, quàm inter hunc hominem, & illum hominem.

23 Dico: ergo, cum dicitur, *Hæc substantia est substantia*, prædicabitur substantia tanquam Species: ergo substantia, quæ est Genus supremum, subjiçietur superiori Generi. *Neg.* 2. *Conseq.*: quia non omnis Species prædicabilis, etiam incompleta, debet esse Species subjiçibilis.

24 *Dubit.* 3. an Genus prædicetur immediatè de individuis? *Resp.* Prædicatur immediatè de incompletis. Tum quia respectu illorum non est Genus, sed Species: at Species immediatè prædicatur de suis individuis. Tum quia inter *hoc animal*, & Genus *animal*, non mediat aliqua ratio specifica, quæ formaliter includatur in individuo incompleto; ideòque immediatissimè inferitur, *est hoc animal, ergo est animal*.

25 Quod attinet individua completa, de illis prædicatur Genus mediatè: tum attento ordine arboris Prædicamentalis, in quâ mediat Species inter Genus, & individuum; tum quatenus ratio specifica congruentè assumi potest pro medio ad probandum, seu verificandum Genus de individuo, v. g., animal de Petro, sic nimirum, *Petrus, quia est homo, est animal*. Hoc intellige de Genere nudè sumpto: nam prout imbibitum in conceptu specifico, vel conjunctum cum differentia in definitione, prædicatur immediatè de individuo completo.

## CAP. II.

Quodnam sit definitum in definitione Generis?

26 **C**ertum est, definitione Generis definiri Genus, sicut definitione hominis definitur homo. Sed, quia nomine *Genus* significatur concretum accidentale, duo dicens constitutiva, nempe naturam animalis v. g., tamquam subjectum, vel substratum, & secundam intentionem, quæ dicitur *genereitas*, tamquam formam (sive hæc secunda intentio sit ens rationis, sive potius actus Intellectus); quæritur, quo ordine constitutiva ista definiatur per definitionem Generis?

27 Quæstio communis est omnibus Prædicabilibus, imò, & omnibus concretis accidentalibus, ut sunt *album*, *calidum*, *sanctum*, &c. Thomistæ, & Scotistæ communiter docent, definiri *ut quod*, in recto, & principaliter secundam intentionem, connotando naturam, quæ de obliquo importatur. Nostri verò tuentur, definiri concretum dicens naturam in recto, & secundam intentionem in obliquo.

28 Præferenda est hæc sententia, & *prob.*: id est definitum in definitione Generis, de quo verificatur definitio ipsa; sed hæc verificatur de naturâ in recto, & *ut quod*, importatâ secundâ intentione in obliquo: ergo. Minor constat: quia natura est unicum subjectum, de quo verè dicitur esse *Prædicabile de pluribus specie differentibus in eo quod quid*, adeò ut ne partiali-

ter quidem id verificetur de secundâ intentione, quippe quæ ne partialiter quidem de inferioribus Generis affirmari potest in recto, seu sola, seu simul cum naturâ; falsò enim dices, *Homo est secunda intentio Generis, vel Homo est animal, & secunda intentio*. Vocamus autem *rectum*, & *quod inconcretis*, illud subjectum, cui verè tribuimus denominationes concreti proprias.

29 Quia tamen natura in esse-capacis verificandi definitionem Generis, constituitur per secundam intentionem (non enim animal v. g. seorsû à cognitione præcisivâ est Genus, aut Prædicabile); ideò natura, prout verificans definitionem Generis, constitutivè importat secundam intentionem, sed in obliquo, sive *ut quo*: id enim vocamus *obliquum*, & *quo* in concretis, cui non conveniunt denominationes concreti propriæ; cum tamen ratione ipsius altera pars denominetur. Unde verè dicitur, *Sola natura est prædicabilis &c.*, solitudine excludente secundam intentionem à munere subjecti, quod denominetur *prædicabile*; non tamen solitudine excludente secundam intentionem à munere formæ constituentis ipsum esse *prædicabile*.

30 Tota hæc doctrina patet in concretis, *visum*, *cognitum*, *album*; atque etiam in denominationibus, *justus*, *filius Dei adoptivus*, *hæres Gloriæ*, quæ non nisi de naturâ rationali verificantur in recto, & *ut quod*, sic tamè, ut Gratia constitutivè importetur in obliquo, & *ut quo*.

31 Major igitur primi syllogismi prob.: quia definitum est, quod cum definitione convertitur: conversio autem exigit, ut de quocumque verificatur definitio, verificetur esse definitum. *Confirm. 1.*: hæc definitiones, *Forma reddens naturam prædicabilem, Natura facta prædicabilis de pluribus &c.*, valde diversæ sunt, diversumque proinde respiciunt definitum; sed prima pro definito respicit secundam intentionem in recto, connotatâ in obliquo naturâ: ergo secunda (quæ est definitio Generis) pro definito respicit naturam in recto, importatâ in obliquo secundâ intentione.

32 *Confirm. 2.*: illud est definitum, cujus propria est essentia, quæ definitione explicatur; sed essentia, quæ definitione Generis explicatur, non est propria secundæ intentionis, sed naturæ: ergo &c.. *Prob. Min.*: essentia explicata definitione Generis nihil est aliud, nisi denominatio *prædicabilis* in concreto, seu *esse prædicabile de pluribus &c.*; hæc autem denominatio solum est propria illius, cui verè convenit, & verè attribuitur; sed non convenit secundæ intentioni, nec ipsi attribuitur, sed soli naturæ, ut est certum: ergo &c.

33 Unde colliges, naturam genericam, v. g. animal ut sic, habere quasi triplicem essentiâ, nempe physicam, metaphysicam, & logicam, quarum meritò respondet ipsi triplex definitio, pertinens ad triplicem Facultatem. Pertinet enim ad Physicam hæc definitio anima-

lis, *Compositum constans corpore, & animâ sensitivâ*; ad Metaphysicam hæc, *Vivens sensibile*: ad Logicam hæc, *Prædicabile de pluribus &c.* Quare, dum dicimus, definitione Generis definiri naturam animalis, non dicimus, eam definiri physicè vel metaphysicè sumptam, sed tantum logicè acceptam, aut secundum esse logicum.

34 *Objic. 1.*: id est definitum in definitione Generis, cujus essentiam explicat ea definitio; sed non explicat essentiam naturæ, v. g. animalis, sed potius secundæ intentionis: ergo &c.. *Prob. Min.*: quia definitio Generis non explicat, quid sit animal. 2.: quia definitio illa explicat essentiam communem omnibus Generibus, qualis certè non est essentia animalis. 3.: quia tali definitione sola explicatur prædicabilitas: hæc autem ad essentiâ animalis non pertinet.

35 4.: quia definitione Generis id explicatur, quod principaliter, & formaliter significat nomen *Genus*: sed hoc nomen principaliter, & formaliter significat formam Generis, quæ est secundæ intentio, naturam autem significat materialiter, & in obliquo: ergo &c. *Prob. Min.*: quia generatim nomine abstracto, & concreto accidentali significatur idem formaliter, & principaliter; sed abstracto *generitas* formaliter, & principaliter significatur forma Generis: ergo, & nomine concreto *Genus*.

36 Ad *objec. neg. Min. ad 1. prob.*: definitio Generis non expli-

plicat, quid sit animal physicè, vel metaphysicè sumptum; explicat tamen, quid sit animal logicè consideratum. Sic, cum definitur filius Dei adoptivus, explicatur, quid sit creatura rationalis, non secundum esse physicum, aut metaphysicum, sed secundum esse theologicum, aut supernaturale, quod per Gratiâ habetur.

37 *Ad 2.*: essentia logica naturæ animalis est communis omnibus naturis, quæ subternuntur generalitati: quia licet sint naturæ valde diversæ in esse physico, conveniunt in *esse prædicabilis de pluribus &c.*, quod est esse logicum, quodque in ipsis unice considerat Logica. Sic, licet Angelus, & homo valde differant physicè, conveniunt theologicè in *esse justî, filij Dei, potentis videre Deum per lumen Gloriæ.*

38 *Ad 3.*: definitione Generis explicatur sola prædicabilitas, non in abstracto, & per modum formæ, sed in concreto, & per modum denominationis, aut effectus formalis jam prestici: non enim explicatur *forma constituens prædicabile*, sed ipsummet *esse prædicabile*. Hoc autem esse pertinet ad essentiam animalis, prout logicè inspecti, & constituti; nec est proprium secundæ intentionis, sed solummodo *constituere prædicabile*; quemadmodum non est proprium luminis Gloriæ *esse elevatum ad videndum Deum*, sed *elevare*; nec est proprium Gratiæ *esse amicam*, aut *filiam Dei*, sed *constituere filium, & amicam*.

39 Continet quidem secunda intentio denominationem *prædicabilis* tamquam effectum suum formalem; sed continet purè *ut quod*, nullatenus *ut quod*, id est, non sibi, sed naturæ tribuenda; ipsa quippe intentio incapax est illius denominationis. Nec effectus formalis (ut hoc obiter moneam) identificatur adæquatè cum formâ; quia simul constituitur ex capacitate subjecti. Identificatur autè inadæquatè cum formâ accidentali, non ut cum subjecto denominabili, sed ut cum formâ purè denominante, quæ, prout actu denominans, non est sui juris, nec sui ipsius propria, sed solius subjecti.

40 *Ad 4.*: ambigua sunt adverbia, *principaliter, formaliter*. Nomen Genus significat *principaliter* naturam principalitate attributionis (soli quippe naturæ tribuitur ut unico subjecto); formam autè significat *principaliter* principalitate claritatis (clarius enim in concretis accidentalibus exprimitur forma, quam subjectum): sed non ideò, quod exprimitur clarius, significatur *in recto*, quando significatur purè *ut quo*, & ut inclusum in *esse logico* proprio solius subjecti.

41 Significatur item secunda intentio *formaliter*, natura verò *materialiter*; non ita, ut sola intentio constituat essentialiter concretum Genus; sed ita, ut intentio significetur per modum formæ natura verò per modum materiæ denominate. Verum in concretis accidentalibus illa pars, quæ *formaliter*

ter manifestatur, non est definitum *in recto*, & *ut quod*, sed *purè ut quo*, & *in obliquo*; quia non manifestatur ut id, quod habet essentiam definitam, sed ut id quo pars materialis redditur habens. Unde in hisce concretis significari *materialiter*, id est, per modum materialis, non est significari *in obliquo*, sed potius *in recto*, & *ut quod*.

42. Nomine abstracto, & concreto accidentali, significatur idem formaliter, id est, eadè forma; sed non eodem modo: quia nomine abstracto significatur forma *in recto*, & *ut quod*; concreto autem, *purè ut quo*, & *in obliquo*; ideòque alterum præ altero verificatur de forma; verè quippe dicitur, *Secunda intentio est genericitas*; falsò autem, *Secunda intentio est genus*; aut, *est quid prædicabile de pluribus* &c.

43. *Objic. 2.*: definitum cuiuslibet definitionis, id est, cui per se convenit definitio; *sed esse prædicabile de pluribus* &c., quæ est definitio Generis, non convenit naturæ per se, sed per aliud, scilicet per secundam intensionem: ergo &c. *Retorqueo*: non est definitum in definitione Generis id, cui nec per se, nec per aliud convenit *esse prædicabile de pluribus* sub Genere contentis: sed hoc nec per se, nec per aliud convenit secundæ intensionem, ut est certum: ergo &c.

44. Tum, concessa *Maj. dist. Min.* non convenit naturæ per se, sed per aliud, nudè sumptæ secundum esse physicum, *conc.*; sumptæ secundum esse logicum, *neg. Min.*,

## De Prædicabilib.

& *Consequ.*: quia natura sic sumpta, nihil est aliud, quam Genus ipsi, cui certè per se convenit *esse prædicabile* &c., sicut Filio Dei adoptivo, quæ tali, per se convenit *esse heredem Cæli*. Nec secunda intentio est aliud à naturâ logicè constitutâ, nisi alietate partis à toto, partis, inquam, constituentis *purè ut quo*, & *in obliquo*. Hæc, & alia magis explicata invenies in Log. fus.

45. Interim *observa* sequentia. 1.: substratum Generis definitur præcisè *ut substat formæ*, si ly *ut* reduplicet formam, non ut id, cui convenit definitio, sed ut id, quo definitio convenit naturæ. Definitur item *purè ratione formæ*, tamquæ partis formalis (non enim est alia pars formalis in concreto definito); non tamè tanquam totius essentiæ definitæ, nec tanquæ partis, cui partialiter conveniat *esse prædicabile*. Sed simul etiam definitur illud substratum *ratione sui*, tamquam partis materialis verè conducentis ad essentiâ Generis, & eam intrinsecè constituentis: non enim secunda intentio est tota ratio prædicabilitatis constitutiva, licet sit tota ratio determinativa per modum formæ.

46. 2.: quod passim dicitur, *totum per accidens* non posse unicâ definitione definiri, intelligendum est de unicâ definitione, quæ verificetur in *recto* de utràque parte totius per accidens: minimè verò de unicâ definitione, que solùm verificetur de parte materiali secundum illud esse, quod habet à parte forma

si ut quo; sic enim unicâ definitione definitur quodvis accidentale concretum.

47 3.: quâmvīs nomen *Genus*, dictum de animali v. g., significet in recto id, quod cum homine identificatur, non ideò verè dicitur, *Homo est Genus*, sicut verè dicitur, *Homo est animal*. Discrimen petèdum est ex suppositione diversâ (de quâ in Summul.) prædicatorum primæ, & secundæ intèntionis. 4. quòd Logica in concreto *Genus* solam formam respiciat pro objecto formali, non probat, formam in recto importari. Vide *Tractatu 1. disp. 2. n. 122.*

## CAP. III.

De Specie, tum subijcibili, tum prædicabili.

48 **N**omen *species*, quod aliàs plura, variaque significat, nunc accipitur logicè pro ratione quâdam abstractâ, quæ modò subijcitur Generi, sicque dicitur *Species subijcibilis*, modò prædicatur de individuīs, sicque dicitur *Species prædicabilis*, & est unum ex Prædicabilibus Porphyrianis,

49 *Species subijcibilis* definitur ex doctrinâ Porphyrij, *Ratio objectiva, quæ immediate subijcitur Generi ut tali, vel etiam, quæ sub Genere immediate collocatur.* Hęc definitio in primis explicat discrimen Speciei ab individuīs: quæ si completa sint, non subijciuntur Generi nisi mediatè: si verò sint incompleta, non subijciuntur immediate Generi, ut *Genus* est, sed

tantum ut est *Species*. Deinde discernit Speciem à Differentiâ, cum hæc non subijciatur Generi in sensu formali, seu tanquàm prædicato formaliter incluso; ut patebit disp. sequ. Postremò discernit formaliter Specie à Genere: hoc enim, licet materialiter sit *Species subijcibilis*, dum non est *Genus supremum*; tamen formaliter ut *Genus* est, non dicit respectum ad aliud *Genus* superius, sed præcisè constituitur per ordinem ad *Species inferiores*.

50 *Sed objic. 1.:* cùm *Genus* definiatur per *Species*, non sine circulo vitioso definitur *Species* per *Genus*. *Resp.* Dum *Genus* definitur per *Species* (scilicet tanquàm per connotatum extrinsecum, quo sensu definitur rationale per discursum, & scientia per scibile) sumuntur *Species*, non sub munere *subijcibilis*, sub quo nunc definitur *Species*, sed in sensu physico, quatenus significant essentias notabiliter inter se diversas. Quare nullus fit circulus vitiosus. Nec *Genus* suprâ definitum fuit per ignotum: quia *Species* in sensu physico, nota vulgo est, notiorque Genere prout logicè definibili.

51 *Objic. 2.:* homo est *Species subijcibilis* Generi *Vivens*; & tamen illi non subijcitur immediate, sed medio Genere *animal*. *Resp.* Non est de conceptu *Speciei subijcibilis* immediate subijci omni Generi, sed alicui. His, & alijs scrupulis melius forsitan occures, si *Speciem subijcibilem* definias hoc pacto-

70, *Essentia non formaliter singularis, quæ metaphysicè componitur ex ratione communi, & ratione discretivâ.*

52 Jam Species prædicabilis ex eodem Porphyrio definitur, *Prædicabile de pluribus numero differentibus in eo quod quid completè.* Cui definitioni consonat hæc alia communis apud Recentiores, *Prædicabile de pluribus numero differentibus ut tota essentia ipsorum metaphysica.* Diferemen hic vides Speciei à cæteris Prædicabilibus: nam cætera, vel non prædicantur essentialiter, sive *in quid*, vel non prædicantur ut tota essentia, sive *in quid completè.* Dicitur autem Species tota essentia individui; quia, licet individuum præterea includat hæc- ceitatem, hæc tamen in consideratione logica cæsetur extra essentiam.

53 *Quæres*, quatenus distinguantur, aut identificentur Species subjicibilis, & prædicabilis? *Resp.* non omnis Species prædicabilis est subjicibilis: omnis tamen Species subjicibilis re ipsa est prædicabilis. Ratio primæ partis: quia Genus supremum est Species prædicabilis relatu ad individua imcompleta; nec tamen est Species subjicibilis alteri Generi. Ratio secundæ partis: quia omnis natura creata, juxta vera Scholæ nostræ principia, est numero multiplicabilis: ergo omnis natura, quæ Generi subjicitur immediate, potest sub se admittere plura numero distincta, de quibus prædicatur. Illæ quodque rationes genericæ, quæ sunt Species subjicibiles sub

alternæ, sunt prædicabiles de individuis incompletis *in quid completè.* De quadam objectione, quæ hic fieri potest ex naturâ Divinâ, & ex differentiâ inter Divinas Personas, vid. Log. suf.

54 In ijs tamen Speciebus quæ, ut constitutæ per cognitionem directam, simul sunt prædicabiles, & subjicibiles, poterit reflexe præscindi formalitas *subjicibilis* a formalitate *prædicabilis*, & vice versâ. Tum quia formalitates istæ diversis definitionibus explicantur. Tum quia respectum dicunt ad terminos diversos, nempe altera ad Genus, altera ad individua.

55 *Objic.*: ratio Speciei subjicibilis, abstracta ab omnibus Speciebus subjicibilibus ut talibus, est prædicabilis de illis omnibus: ergo concipi nequit ratio Speciei subjicibilis, quin sit prædicabilis. *Resp.* Species subjicibilis ut sic, fit *exercitè* prædicabilis de hac, & illa Specie ut subjicibili: sed non est prædicabilis *signatè*; quia hoc nomen, *Species subjicibilis*, non significat formaliter rationem abstractam ab Speciebus ut prædicabilibus. Et hoc unum intendimus, ut scilicet illud nomen non dicat signatè prædicabilitatem, sive ut inferiora, à quibus abstrahitur ratio speciei subjicibilis, à prædicabilitate præscindant.

56 Hic dividi solet Species in subalternam, & infimam. Subalterna est, quæ sub se alias habet Species. Infima, quæ, & *atoma* dicitur, est, quæ sub se non nisi in dividua numero distincta continet. Hæc



tamen divisio soli convenit Speciei ut subijcibili: nam Species, ut prædicabilis, semper est atoma. Prob. quia, si Species ut prædicabilis sub se continet alias Species, jam de illis non prædicabitur ut Species; non enim prædicabitur ut tota essentia, seu non in *quid completè*.

57 Præterea, Genera intermedia, quæ sola dici possent Species subalternæ, sunt atomæ quatenus sunt Species prædicabiles; non enim hoc nomen, & munus habent, nisi relatu ad individua incompleta; sub hoc autem respectu sunt atomæ, cum sola individua sub se admittant. Sola igitur Species subijcibilis potest esse Species subalternæ, v. g. animal ut sic, quia & immediate subijcitur Generi *Vivens*, & sub se continet alias Species subijcibiles, v. g. hominem, & equum. Quod hic objici solet de conceptu abstracto unionis humanæ, vid. solutum in Log. fus.

58 Ad extremum tria notanda sunt. *Not. 1.*: forma constituens Speciem subijcibilem est simplex abstractio, per quam natura sub Genere contenta præscinditur à suis inferioribus: eo enim ipso fit intentionaliter una, nec quidquam desiderat ex parte sui, ut immediate subijciatur Generi. Quare nec opus est notitiâ comparativâ, nec fictâ relatione rationis. Vide dicta in simili tract. præced. disp. 2. capit. 6., ex quibus facile dilues quæ nunc objici possunt.

59 *Not. 2.*: in eadem ratione communi possunt realiter iden-

tificari ratio Generis, ratio Speciei subalternæ, & ratio Speciei prædicabilis: quia licet rationes istæ non cohæreant in eodem subjecto relatu ad eundem terminum, benè tamen relatu ad terminos diversos. V. g. animal ut sic, est Genus relatu ad Species humanam, & equinam: est Species subijcibilis sub alterna relatu ad Genus *vivens*: est Species prædicabilis relatu ad individua incompleta, nempe ad hoc, & illud animal incompletè conceptum.

60 *Not. 3.*: communiter dicitur ex Philosopho, quod *tota Speciei perfectio salvatur in quovis individuo; tota verò perfectio Generis in quovis Specie non salvatur.* Quæ locutio intelligenda est de Genere, & Specie, prout actu constituunt inferiora sua; ut perinde valeat ac ista: *Species non redditur perfectior in uno individuo, quàm in alio; Genus verò redditur perfectius in unâ, quàm in aliâ Specie.*

61 Genus animal, dum consideratur ut actu constituens Specie, perficitur à differentijs specificis, quæ illi adjacent quasi formæ; cumque differentiæ specificæ sint inæqualis perfectionis, reddunt Genus magis perfectum in unâ Specie, quàm in aliâ: perfectius enim est animal rationale, quàm animal rugibile. Hoc autem non accidit in Specie: tum quia hæcæitates non censentur perficere Speciem intensivè: tum quia, licet illam perficerent, cum ipsæ non sint perfectione inæquales, semper Species equè perfecta maneret in quolibet individuo.

## CAP. IV.

*Utrum Species prædicabilis necessa-  
riò requirat plura individua  
possibilia?*

62 **P**Ræfixa quæstio solet etiam proponi sub hoc titulo, *Utrum natura Angelica sit Species prædicabilis?* Cujus in limine, disputandi gratiâ, supponitur doctrina Thomistica circâ radicem multiplicatis numericæ. Thomistæ namque docent, multiplicatam purè numericam provenire à materiâ, vel ordine ad materiam, tanquàm ab unicâ radice: unde inferunt, naturam Angelicam, cum nec sit materialis, nec ordinem ad materiam habeat, non posse multiplicari numero sub eadem Specie; & non solùm defacto Angelos omnes specie differre inter se; sed etiam omninò repugnare duos Angelos ejusdem speciei, soloque numero distinctos.

63 Quo posito, *quæritur*, utrum natura specifica Michaelis v. g., quamvis, nequeat multiplicari realiter in plura individua, possit adhuc esse universalis, & Species prædicabilis de pluribus? Affirmant plerique Thomistarum; sed negant Authores nostri, & Scotistæ, quibus adhærent non pauci Thomistæ recentiores. Negativa sententia, verior est, & *prob.* argumento communi, & ineluctabili.

64 Non est Species prædicabilis ea natura, quæ non est apta prædicari de multis (id est verè affirmari de multis; nam posse de multis falsò prædicari, & affirmari, con-

venit cuilibet singulari quâ tali), ut constat ex definitione Universalis, & ipsius Speciei; sed natura Michaelis, etiam inadæquatè cōcepta, id est, concepta secundum prædicata specifica cum præcisione a singularitate formali, non est apta verè prædicari de multis: ergo &c.

65 *Prob. Min.*: illa natura ex conceptu specifico positivè excludit aptitudinem, ut multiplicetur in plura individua. *Prob. hoc*: illa natura, cum in conceptu specifico sit natura spiritualis completa, ex cōceptu isto positivè excludit necessariam, & unicam radicem multiplicationis individualis, siquidem hæc radix est materia, vel ordo ad materiam, ut modò supponitur: ergo positivè excludit aptitudinem &c.; potiusque positivè repugnat multiplicationi sui in plura individua: quemadmodum positivè repugnat sensationi, quod positivè excludit unicam radicem sensationis, videlicet animalitatem.

66 *Adde 1.*, quòd natura illa in conceptu specifico positivè differt à naturâ humanâ prout materiali; atque adeò prout multiplicabili. *Adde 2.*, quod positivè excludit statum, in quo fieret naturâ chimerica: talis autem fieret, si multiplicaretur in individua; quia simul esset materialis, & immaterialis. *Adde 3.*, paritatem naturæ Divinæ, quæ licèt præscindatur à singularitate formali, nequit fieri Species prædicabilis, ut omnes ferè Thomistæ consentiunt apud Martinez de Prado L. 1. Log. q. 21. a n. 20.

67 Adde 4., quòd Species, & quodvis Prædicabile, juxta Thomistas constituitur per relationem ad plura inferiora fictam cum fundamento: repugnat autem relatio cum fundamento ficta in subjecto reali ad terminum chimericum, atque adeò in naturà Michaelis ad plura individua, cum hæc sint chimerica, ut supponimus. Sanè fundamentum istius relationis ex parte naturæ realis debet esse idèntitas ejus cum multis, vel actualis, vel possibilis; alioqui relatio Speciei pro libitu collocari posset in quolibet singulari, v. g. in Petro quâ tali.

68 Ut varias Thomistarum evasiones impugnes, *observa 1.*, stante doctrinâ Thomisticâ de radice multiplicationis purè numericæ, difficile captu esse, quòd natura Michaelis præscindatur à singularitate formali. Hanc tamè præcisionē gratis permittimus Adversarijs: sed negamus, quòd natura illa, sic præcisa, fiat Species prædicabilis; quia ut ostendimus, ex cõceptu suo specifico, positivè repugnat multiplicari, & prædicari de multis.

69 Quare natura Michaelis præscindi nequit à singularitate radicali, hoc est, à prædicato inferente singularitatem unicam: nequit enim præscindi ab immaterialitate specificâ; & hæc necessariò infert unicam singularitatem formalem, cum essentialiter excludat radicem pluriū. Non ergo manet indifferens, aut apta convenire multis. Qb hæc ipsam rationem Divina essentia, licet præscindatur à singu-

laritate formali, vel à formali eternitate, & immensitate, non manet indifferens ad plures Deos, nec apta limitari tempore, aut loco.

70 Idcirco non est probanda liberalitas permittentium, quòd natura Michaelis præscindi valeat à singularitate radicali; & adhuc negantium, quòd fiat Species prædicabilis, nisi ut summum cum addito *negativè*, aut *præcisivè*, quatenus scilicet sub eâ præcisione non est singularis, nec universalis, nec apta, nec inepta positivè ad plura, sed ab utroque præscinditur, sicut animal ut sic, à rationali, & irrationali. Non, inquam, est probanda; quia, ex num. præced., implicatoria videtur ejusmodi præcisio, stante immaterialitate specifica. Ad summum admittenda præcisio *pro explicito*, quatenus illa natura potest non concipi sub hac expressione, *radix individuationis unicæ*.

71 *Observa 2.*, naturam Angelicam in conceptu specifico non esse indifferentem ad plura individua, *quantum est ex se, & conditionatè*, sub conditione scilicet, quòd illa non repugnarent aliunde. Ipsa quippe natura ex conceptu specifico positivè excludit conditionem istiusmodi, cum positivè repugnet multiplicationi numericæ, & inferat individuū unicam, ut ostēdimus. Ipsa quòque, quantum est ex se, repugnat identitati sui cum Angelis materialibus (quales essent, si distinguerentur solo numero, ut nunc supponitur) sub conditione quòd illi non repugnarent: tum enim ip-

famet natura redderetur materialis, adeoque diversa essentialiter ab eâ, quæ modo est. Nec recurras ad plura individua spiritualia, sub conditione quòd non repugnarent. Quia, vel destruis hypotesim Quæstionis; vel fingis, possibile fore individua materialia simul, & immaterialia; quæ certe naturam redderent essentialiter diversam.

72 Sed nonne, inquit in sententiâ multorum Deus est ex se potens producere chimeram, si hæc non repugnaret? ita quidem; sed non in sententiâ statuentium connexionem Omnipotentia cum possibile. Cum ergo natura Angelica ex se connectatur cum individuatione unica, nequit esse ex se potens conditionatè ad plures. Sanè, si Deus careret ex se principio unico productionis chimeræ, in nullâ sententiâ diceretur ex se potens chimeram producere sub conditione: sed natura Angelica ex se caret principio unico multiplicationis numericae, nempe materialitate: ergo &c.

73 *Observa* 3., falsò dici à nonnullis, quòd natura Michaelis est prædicabilis de multis cum fundamento fictis, & objectivè existentibus in intellectu. Falsò, inquit: tum quia nullum est fundamentum istius fictionis; sed potius illi positivè resistit natura ex cõceptu specifico. Tum quia sequeretur, posse naturam realem prædicari de ente rationis, & quidem univoce de tali ente, & de verò individuo Michaelis, quo est mirabile.

74 *Dices*: fundamentum ad

multiplicanda per rationem individua illius naturæ, præbetur à Michaelis ipso, qui est virtualiter, & æquivalenter individuum multiplex, quatenus æquivalet omnibus individuis humanis in circumscribendo, & exhaustiendo totam amplitudinem suæ Speciei. Unde natura Michaelis erit universalis secundum rationem: quia, sicut realis pluralitas inferiorum sufficit ad Universale secundum rem, ita pluralitas virtualis ad Universale secundum rationem. Sed contra est 1.; quòd idem dicere licebit de naturâ Divinâ. 2., quòd iuxta D. Thomam 1. p. q. 13. ar. 9. universalitas secundum rationem tantum, soli convenit illi naturæ, cujus licet unicum existat individuum, plura tamen sunt possible, ut coniugit naturæ Solis.

75 3., quòd, cum distinctio virtualis possit per rationem fieri actualis, poterit Michaelis actu distincti per rationem in plura individua ejusdem Speciei. Hoc autem est contra communem sensum: quia licet objectum realiter indivisibile possit dividi per rationem in plures formalitates dissimiles, nemo tamen asserit dividi posse in plura objecta integrâ prorsus similia, v. g. Petrum in plures Petros, aut Deum in plures Deos: talia quippe objecta, cum nec sint principia diversarum operationum, nec diversimodè definibilia, nullam fundant distinctionem rationis.

76 Denique plura individua, per rationem fabricata ex uno Michaelis-

chaele, conciperentur intrinsecè materia, utpotè solo numero distincta, simul tamen conciperentur intrinsecè immaterialia, utpotè cōtractiva Speciei purè spiritualis: ergo cōciperentur ut chimerica. De talibus autem non est certè prædicabilis natura Angelica. Hęc, & alia latius expendimus in Log. suf.

## CAP. V.

*Enodantur objectiones.*

77 **O** Bjic. 1.: juxta D. Thomam Quæst. unic. de Spiritual. Creat. art. 8. ad 4., *Natura hujus Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc, quod non est nata recipi in aliquo subjecto, quod pertinet ad rationem individui: ergo natura Angelica ex conceptu specifico non prohibetur esse in multis, proindeque nec prædicari de multis.*

78 *Resp. 1.* Natura Angelica ex mente D. Thomæ non prohibetur esse in multis *explicitè*, quatenus non concipitur sub hæc expressione *repugnans esse in multis*; bene tamè *implicitè*, quatenus immaterialitas ejus imbibit essentialem repugnantiã existendi in multis. *Resp. 2.* Non prohibetur esse in multis *formaliter*; quatenus præscinditur à singularitate formali; prohibetur tamè *radicaliter*, quatenus essentialiter infert unicam singularitatem.

79 *Insistes*: si natura Angel. præscinditur à singularitate formali (id est, ab ultimâ actualitate, quã redditur individua), non manet

formaliter singularis, nec determinata ad unum, nec impedita ad plura. *Resp.*: nõ ideò manet universalis: quia inter universale, & singulare formaliter, datur medium, nempe singulare radicaliter, ut patet in naturâ Divinâ, dũ à formali singularitate præscinditur; atque etiã dum præscinditur ab attributo eternitatis; tunc enim non ideò redditur temporalis; quia datur mudii per rationẽ inter eternũ, & tẽporale, nempe radicalis eternitas.

80 Nec item manet non determinata, vel non impedita *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*: quia non manet absque omni determinatione, sed tantum absque formali, & ultimâ, & hæc non est unicum impedimẽtum existentie in multis; quemadmodum formalis æternitas non est unicũ impedimẽtum existendi temporaliter; ideòque Dei essentia, dum ab æternitate præscinditur, non manet indifferens ad existentiam temporalem.

81 *Objic 2.*: si natura humana præscindatur à multiplicitate formali, tamen si non à radicali, redditur una per rationem: ergo, si natura Angel. præscindatur à singularitate formali, quavis non à radicali, redditur universalis per rationem. *Probatür Consequ.*: quia non magis opponitur universalitati singularitas, quam multiplicitas unitati.

82 *Neg. Consequ.*: quia, ut universalitas impediatur, sufficit singularitas radicalis: hæc enim impedit aptitudinem ad existendam

in multis, quæ est de essentiâ Universalis. At radicalis multiplicitas non impedit unitatem: quia Unitas ut sic, non est indivisibilitas, nec definitur per incapacitatem divisionis, sed per indivisionem actualem, quæ est negatio multitudinis formalis. Subjuncta *probatio* vera est, si comparentur inter se multiplicitas, & singularitas purè formales; secus verò, si comparatio fiat inter radicales.

83 *Objic.* 3.: natura humana præscindi potest à multiplicitate radicali: ergo, & natura Angel. à radicali singularitate. *Prob. Antec.*: quia radicalis multiplicitas non est de cõceptu essentiali naturæ humanæ; alioqui reperiretur in Petro, qui proinde multiplicabilis esset in plures homines. *Neg. Antec.*: quia radicalis multiplicitas, quæ fundamentum est universalitatis ex parte naturæ, apud Thomistas est materialitas, & apud Nostros est finitudo, seu limitatio naturæ creatæ; & ab utraque impræscindibilis est natura humana, ut quisque videt.

84 Cur autem humanæ naturæ limitatio (vel materialitas, si mávis) dicatur multiplicitas radicalis, ratio est, quia nullo ex capite repugnat veritati hujus asserti, *Dantur, aut dari possunt plures homines solo numero distincti*: sicut è cõtrario illimitatio naturæ Divinæ ab intrinseco falsificat assertum hocce, *Dantur, aut dari possunt plures Dij*; & idcirco Deum reddit essentialiter immultiplicabilem.

85 Hinc ( ut ad *prob.* respon-

deam) radicalis multiplicitas, quæ est de essentiâ naturæ humanæ, verè reperitur in Petro, & in aliò quovis homine: quia Petrus suapte naturà non repugnat cõstituere multitudinem cum alijs solo numero distinctis, adeoque non repugnat veritati illius asserti, *Dantur, aut dari possunt plures homines* &c. Hæc verò propositio, *Natura Petri est radicaliter multiplex, vel, Petrus est multiplicabilis in plures homines*, sic distinguenda est: multiplex, aut multiplicabilis, per divisionem sui, *neg.*; per coexistentiam cum alijs omnino similibus, *conc.*

86 Sed notandum, quòd aptitudo ad essendum in multis, quæ propria est Universalis metaphysici, & logici, non consistit præcisè in prædictà multiplicitate radicali (alioquin inveniretur in quolibet individuo), sed eam supponit ex parte objecti pro fundamento necessario, & superaddit denominationem extrinsecam *indefinitè cogniti*, sine quâ verificari nequit naturam humanam esse *unam aptam esse in multis, & prædicari de multis*. Vid. Doct. Exim. disp. 6. Metaph. sect. 4. præsertim num. 12.

87 Ut alia levioris momenti diluas, adverte sequentia. I.: natura Angel., sicut, & quævis alia res spiritualis, a nobis pro hoc statu cõcipitur *instar materialis*, non *intrinsecè*, sed *connotativè*, per cõceptum scilicet connotatè obiectum aliquod materiale, tanquam symbolum, ut cum Angelum cõcipimus *instar alati juvenis*. Si enim

conciperemus Angelum intrinsecè materialem, non verum Angelum conciperemus.

88 2.: prædicatio naturæ specificæ de Michaelè, stante hypothèsi Quæstionis, non est superioris de inferiori; sed æqualis de æquali: sunt enim termini convertibiles, sicut natura Divina, & unus Deus. Nec ideò est prædicatio identica; cum non utatur terminis synonymis; sicuti nec ista, *Deus est omnipotens*. Est item prædicatio Speciei physicæ, non Speciei logicæ, nisi subijcibilis; quæ, licèt in nostris principijs realiter separari nequeat à Specie prædicabili; benè tamen in principijs modò permissis. Individuum autem Angelicum non immediatè subijcitur Generi, sed medià Specie purè subijcibili; quia hæc, licèt non latius pateat, assumi valet ut medium, & ratio, cur Genus conveniat individuo.

89 3.: hic terminus, *natura Angelica*, sumptus specificè, non est indefinitus, quàmvis careat signis multitudinis, & singularitatis, ut sunt, *hoc, aliquod, omne*: nam tendentia indefinita debet insuper attingere plura ex parte objecti, & esse verificabilis de singulis; ideòque non habet locum, ubi pluralitas omninò repugnat. Undè terminus ille differt ab isto, *hæc natura Angelica*, sicut definitus radicaliter, aut implicitè, & definitus formaliter, aut explicitè. Exemplo sint termini, *natura Divina, hæc natura Divina*.

90 4.: quàmvis denominatio *Species prædicabilis* sit opus ra-

tionis (seu fingentis, seu præcisivè concipientis) penès formam; & quamvis forma ista sit extrinseca, & ex modo concipiendi pendeat; illa tamen denominatio simul constituitur per subiectum realiter, & intrinsecè capax; non enim potest convenire subiecto cuilibet. Realis autem, & intrinseca subiecti capacitas, nihil est aliud, quàm multiplicitas radicalis. 5.: communiter asseritur, quòd natura materialis abstracta ab unico individuo fieri potest universalis: Verùm hoc nihil ad præsens attinet: jam enim *Tract. præced. disput. 2. cap. ult.* diximus, quò sensu sit intelligendum.

91 Denique hi conceptus, *unum, individuum, singulare*, possunt esse indefiniti, & objectum suum reddere prædicabile de multis, ut patebit *cap. seq.* Quia possunt non attingere ex parte objecti unicum individuum, sed multa, vel omnia; quorum quodvis, licèt sit intrinsecè immultiplicabile per divisionem sui, non tamen per coexistentiam cum alijs similibus in ratione *unius, individui*, aut *singularis*, cum nihil involvat repugnans huic veritati, *Existunt plura, quorum quodlibet est realiter unum, &c.* At hæc ratio non militat in naturà Angelicà specificè sumptà, ut constat ex dictis. Consule Log. suf.

## CAP. VI.

*De Individuo. Ubi, an possit abstrahi communis, & univocatio Individui.*

92 CUM Individuum sit correlativum Speciei

ciei, nunc potest Speciem breviter explicandum venit. Individuum id est est, ac res determinata, & singularis. Potest accipi, vel *primò intentionaliter*, id est, secundum ea, quæ ipsi conveniunt à parte rei; vel *secundò intentionaliter*, id est, secundum extrinsecas denominationes, quas accipit ab actu Intellectus. Priori modo acceptum, definitur à porphyrio, *Id, cujus collectio proprietatum nunquam in alio erit eadem*. Proprietates autem individui comprehenduntur his versibus.

*Forma, Figura, Locus, Tempus, cum  
Nomine Sanguis,  
Patria: sunt septem, quæ non habet  
unus, & alter.*

93 Sensus itaque definitionis est illud esse Individuum, quod nunquam cum alio convenit in hisce septem proprietatibus collectivè sumptis, in temperamento scilicet figurâ, existentia in eodem loco, & in eodem tempore, nomine, stirpe, & patria. Illa tamen non est stricta definitio, sed quedam descriptio Individui corporei sensu perceptibilis.

94 Aptius definitur Individuum communiter ex D. Thoma 1. p. q. 29. art. 4., *Indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio*; vel, quod in idem recidit, *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*. Ex quâ definitione Individuum est, quod repugnat identificari cum alijs, & est incapax divisionis in plura ejusdem nominis, & essentia; atque in hoc differt ab Universali. Unde inferes, esse terminos serè synonymos, *individuum, singulare, unum rea-*

*liter, hoc, dum scilicet hoc substantivè fumitur.*

95 Quamvis autem Singulare nequeat definiri sub propria, & determinatâ expressione, v. g. sub conceptu *Pertus*, aut *Petreitas*; bene tamen sub ratione communi singularis, aut Individui, in quâ singularia omnia conveniunt. Universalia secundò intentionaliter accepta, sive in esse concreti intentionalis, sunt etiam Individua logica, ut explicabimus disp. seq. Solum ergo sunt Universalia, dum primò intentionaliter accipiuntur, quo sensu divisibilia utique sunt in plura ejusdem nominis, & essentia.

96 Jam verò individuum secundò intentionaliter acceptum, definiri potest, tum ut subijcibile, tum ut Prædicabile. Ut subijcibile sic, *Quod potest immediatè subjici Speciei*; ut Prædicabile sic, *Quod de uno tantum prædicari potest*. Quæ definitiones explicant duo munera ejusdem rei, seu duas denominationes ab eadem formâ in idem subjectum provenientes respectu diversorum quasi terminorum. Nam idem Petrus, v. g. ab actu Intellectus, quo apprehenditur ut *hic homo*, redditur proxè subijcibilis respectu Speciei humanæ, & proximè prædicabilis de suâ tantum entitate. Potest autem Individuum prædicari quinque modis, juxta numerum, & normam quindue Prædicabilium, affectâ scilicet eorum materiâ signo demonstrativo: v. g. *Petrus est hic homo, hoc animal, hoc rationale, hoc risibile, hoc album.*



97 Individuum secundò intentionaliter, aliud est completū, aliud incompletum, ex dictis cap. I. Aliud insuper est determinatū, ut *Petrus*, aliud indeterminatum, seu vagum, ut *Aliquis homo*. Sed vagum, cum sit prædicabile de pluribus, non est propriè Individuum; magisque accedit ad Universale, nisi quòd non benè præcindit à multitudine. Vaguitas autem consistit in modo tēdendi cognitionis, nec datur in rebus extra animam; quia nihil existit à parte rei nisi determinatum.

98 *Queritur hic, an possit abstrahi communis, & univoca ratio Individui? vel, an nomina hæc, Individuum, Singulare, &c., univocè convenient Individuis omnibus cujuslibet Speciei? Tota ferè lis est de Individuo primò intentionaliter sumpto: nam, si accipiatur secundò intentionaliter, vix quisquam de univocatione dubitat. Sunt ex omni Scholá, qui negent, & qui affirmant. Sed affirmativa sententia communior est inter Nostros, & præferenda.*

99 *Prob.: Petrus, & Bucephalus (idem est de cæteris) sunt similes in esse individui, id est, in indivisione in se, & divisione à quolibet alio. Tum quia esse similes, est unum se habere sicut alium: verè autem dicitur, Sicut Petrus est in se indivisus, & à quolibet alio divisus, ita & Bucephalus. Tum quia in eá indivisione non sunt purè dissimiles: cum longè aliter se habeant, quàm si alter foret in se divisus, &*

alter indivisus. Potest igitur ab illis abstrahi ratio individui univoca. Patet *Consequ.*: quia similitudo realis est fundamentum abstractionis univocæ; ut cernere est in ratione animalis, aut viventis.

100 *Nec refert, quod similitudo non sit pura, sed mixta dissimilitudini. Nam similitudo, quæ præcedit operationem Intellectus, & fundamentum præbet abstractioni, nullibi pura est, ut alibi ostendimus: nec homo, & equus sunt purè similes in esse animalis, aut viventis realiter sumpto.*

101 *Confirm. I. : omnia Individua sub nomine Individuum unicà definitione definiuntur, quæ tam propriè convenit his, quàm illis, ut Adversarij fatentur. Quæ autem propriè subeunt definitionem unicam, habent rationem propriè unam, sive univocam; cum ratio rei sit definitio rei, ut sæpè admonet D. Thomas.*

102 *Confirm. 2. : nomen individuum, in primis non est æquivocum: tum quia convenit singulis, v. g. Petro, & Bucephalo, eadem proprietate, atque eodem titulo, nimirum titulo indivisionis; quod alienum est ab æquivocis: tum quia æquivoca, juxta omnes, unicà definitione definiri nequeunt. Deinde non est analogum, quasi rationem significet partim eandem, partim diversam, ut aliqui volunt.*

103 *Prob. hoc: quia ratio partim eadem, partim diversa, nequit unicà definiri definitione, quæ verificetur æquè propriè de omnibu-*

inferioribus, ut patet in ratione *fixi* abstracta ab animali, & medicamento, in ratione *hominis* abstracta à vivo, & picto, in ratione *risus* abstracta à risu prati, & hominis, & juxta Thomistas in ratione *entis* abstracta à Deo, & creaturis, vel à substantia, & accidētī. Quis autem dubitet, definitionem Individui æquè propriè verificari de Petro, & Bucephalo?

104 Accedit, quòd inter individua sub genere animalis v. g., nulla est attributio unius ad aliud, nullus ordo, nulla habitudo, nulla dependentia, nulla inæqualitas in excludendo divisionem. Nihil ergo est, quod analogiã fundet, & univocationem impediatur. Mitto alia in Log. sus. videnda.

105 Quæ de individuo diximus, procedunt pariter de individuatione in abstracto, significatã scilicet his nominibus, *individuatō*, *singularitas*, *hæcitas*: quæ similiter esse potest ratio communis, & univoca Petreitati, Bucephaleitati, &c.

*Occurritur Objectionibus.*

106 **O**bjic. 1. : differentiarum individuales sunt ultima ratio, cur Petrus, & Bucephalus inter se differant, ac dissimulentur, ideòque dicuntur *primò diverse*: nequeunt ergo fundare similitudinem utriusque. *Concess.* *Antec. neg.* *Consequ.* : quia Petrus, & Bucephalus à parte rei simul dissimulantur, & assimilantur in esse Individui, similitudine, quã uterque sit verè individuum, & dissimilitu-

dine, quã non uterque sit Petrus, nec uterque Bucephalus. Vid. dicta *tract. præced. disp. 1. cap. 3.*, ubi etiam habes, quo sensu differentiarum individuales dicantur *primò diverse*.

107 *Insist.* : saltem nequeunt fundare convenientiam puram, qualis ad univocationem requiritur. *Dist.* : convenientiam puram sub indefinito cõceptu, *Individuatō*, vel *Individuum*, *neg.*; sub conceptibus discretivis, *Petreitas*, *Bucephaleitas*, *conc.* Idem accidit in convenientiã, quam fundant homo, & equus in esse animalis.

108 *Objic. 2.* : ratio Individui abstracta, & univoca, erit verè Individuum, sicut ratio hominis verè est homo: aliunde non erit verè Individuũ: ergo repugnat. *Prob. Min. 1.* : quia Individuũ est singulare: illa autem ratio non est singularis, sed Universalis. *2.* : quia ratio illa est divisibilis in plura ejusdem nominis, & essentiæ; quod est contra conceptum Individui. *3.* : quia Individuum est *Prædicabile de uno tantum*, illa autem ratio est prædicabilis de pluribus. *Confirm.* : individuatō ut sic, erit differentia ultima; & aliunde non ultima, cum sit contrahibilis per posteriores differentias.

109 Instatur *objecio* in ratione *producibilis*, aut *generabilis* ut sic; quæ verè producibilis erit, sicut homo ut sic verè est homo: simulque non erit producibilis, cum repugnet produci producibile ut sic. Par urget instantia in ratione *existentis à parte rei*; cum certum sit

fit non existere *existens* ut sic. Imò in qualibet ratione communi par est difficultas: nam homo ut sic, est essentialiter rationalis; & aliunde non est, cum repugnet ratiocinari hominem ut sic.

110. Directa solutio hæc est. Ratio individui ut sic, est Individuum *signatè*, id est secundum illud objectum, quod significatur termino *individuum*: tale quippè objectum nihil est aliud, quam Petrus, Paulus, Bucephalus &c., quorum quilibet est singularis, indivisibilis, prædicabilis de uno tantum. At eadem illa ratio non est Individuum *exercitè*, id est, secundum eas denominationes, quas objectum accipit exercitè à conceptu *Individuum*: ab eo enim objectum in se, & intrinsecè individuum, extrinsecè denominatur Universale, divisibile, prædicabile de pluribus.

111. Hinc denominationes *universalis*, & *singularis* (idem cogita de cæteris, quas objectio ponderat) non pugnant in eadem ratione communi; quia proveniant à diversis formis, prima scilicet ab extrinsecà forma intentionali; secunda verò ab intrinsecà entitate objecti. Dicitur quoque solet, Individuum ut sic, esse individuum *in suppositione personali*, & non esse individuum *in suppositione simplici*, quod eundem sensum reddit: nam idem est accipi in subpositione personali, ac accipi secundum prædicata objecto intrinsecà, quæ cu inferioribus identificatur; & accipi in suppositione simplici, ac accipi

secundum denominationes à cognitione indefinita præstitas, quæ non descendunt ad inferiora.

112. Paulò aliter. Quælibet ratio communis continet quidem essentiam inferiorum: at non ut exercendam pro statu abstractionis; sed unice pro statu contractionis. Patet hoc in exemplis n. 109. V. g. Ens reale ut sic, est essentialiter *aptum existere à parte rei*; non quidem aptitudine respiciente statum abstractionis (sic enim potius est ineptum existere à parte rei); sed aptitudine exercenda pro solo statu contractionis ad entia singularia. Jam ergo possunt eidem rationi communi competere denominationes oppositæ, per ordinem ad diversos stratus, videlicet esse aptam, & ineptam existere, &c. Hinc Individuum ut sic dicit repugnantiam divisionis &c., in statu quidem abstractionis, at non pro illo statu exercendam, sed pro solo statu contractionis.

113. *Confirmatio* solvitur eodem modo. Individuatio ut sic, est differentia ultima *signatè*, simulque non est ultima *exercitè*, sed ulterius contrahibilis. Sed hinc *replicabis*: ergo Petreitas v. g. includit aliam talitatem formaliter distinctam ab individuatione ut sic, & contractivam illius: ergo non tam individuatio, quam talitas ista, erit differentia ultima: imò nec ista erit ultima; quia ab eâ, & similibus alijs talitatibus abstrahi poterit nova ratio univoca differentie ultimæ, quæ iterum contrahetur per superiores talitates,

à quibus alia fieri poterit abstrac-  
tio, & sic in infinitum.

114 *Neg. Conseq.*, si distinctio-  
nem mutuam intendat: nam Pe-  
treitas nihil includit, quod non sit  
formaliter individuatio: nec est ab  
Individuatione præscindibilis ex  
parte sui, licet individuatio sit præ-  
scindibilis ab ipsâ: nec item Indivi-  
duationem contrahit per modum  
differentiæ mutuo distinctæ, sed tan-  
tum per modum conceptus magis  
expressi, ac limitati. Quare inter  
Petreitatem, & Individuationem ut  
sic, datur formalis distinctio non  
mutua; sicut inter perseitatem, &  
ens ut sic. Et, quavis à Petreitate quâ  
tali, repetitis sine fine conceptibus,  
abstrahi possit ratio Individuatio-  
nis ut sic, non erit ratio nova, sed  
eadem ipsa, quæ primùm abstrahi-  
tur; & quæ semper erit differentia  
ultima signatè. Hæc magis explica-  
buntur, ubi de transcendentia En is.

115 *Objic. 3.*: ratio Indivi-  
dui includit diversitatem inferiori:  
ergo est analogâ. *Prob. Antec.*: in-  
cludit differentias individuales; sed  
in his consistit tota diversitas indi-  
viduorum, v. g. Petri, & Pauli er-  
go &c. *Nego Antecedens*, intellec-  
tum de inclusionem formali, & ex  
parte actus. *Ad prob. dist. Maj.*: in-  
cludit differentias individuales ex  
parte objecti, *conc.*; ex parte actus,  
*subdist.*: ut explicatas, aut explica-  
biles conceptibus proprijs, ac dis-  
cretivis, v. g. his, *Petreitas*, & *Pauli-  
leitas*, *neg.*; ut explicabiles indefinitè  
conceptibus indiscriminatim con-  
venientibus cuilibet individuo, v.

g. his, *singularitas*, *hæcceitas*, *conc.*  
*Maj.* Tum *dist. Min.*: in his consis-  
tit tota diversitas &c., realiter, *cõc.*;  
formaliter, *subdist.*: in his ut ex-  
pressis per conceptus discretivos,  
*conc.*; ut expressis per cõceptus in-  
definitos, *neg. Min.* & *Consequ.*

116 Ut ab alijs te expedias,  
quædam advertito. 1. : dum *singu-  
lare* sumitur indefinitè, vera est hæc  
propositio, *singulare est Universale*;  
& eam merito concedit Scotus  
apud Mastrium. Vera item est ista,  
*Omne individuum est unum*; quia  
*Unum*, indefinitè sumptum, cõve-  
nit omnibus distributivè. Idem pu-  
ta de termino *Hoc*, qui substantivè  
sumptus, potest indefinitè signifi-  
care hæcceitates omnes in cõcreto,  
& esse terminus communis; licet di-  
catur demonstrativus, dum adjecti-  
vè sumitur. Hinc verè dices, *Omne  
individuum est hoc*.

117 2.: ratio *Unius realis* ut  
sic debet quidem præscindere à rea-  
li unitate unica (aliàs non erit ratio  
communis, & univoca), sed non  
à reali unitate, quæ sit non potius  
unica, quàm multiplex unitas rea-  
lis. Relege dicta *Tract. præced. disp.*  
2, cap. 3.: non enim hic major est  
difficultas, quàm in ratione homi-  
nis ut sic, & quavis aliâ communi.

118 3.: prædicabilitas In-  
dividui ut sic, non tollit, quòd In-  
dividuum determinatum immédia-  
tè subjiatur Speciei: quia Indivi-  
dum ut sic, latius patet, quàm Spe-  
cies, humana v. g.: & si abstra-  
tur ratio Individui humani, ejusdem  
est latitudinis cum Specie: neutro-  
que

que modo habet unde assumatur ut medium, aut ratio, cur Species conveniat Individuis.

119 Si quæras, ad quodnam Prædicabile pertineat Individuum ut sic? Resp., idem dicendum, quod de Ente ut sic, & Uno ut sic, prædicari scilicet transcendendo talita-

tes ultimas, atque adeo ad nullum Prædicabile propriè pertinere, quia prædicata transcendentia sunt extra classem Prædicabilium. Nec magnum erit piaculum, cum dicatur esse Prædicabile diversum a quinque vulgatis. Plura vid. in Log. fus.

## DISPUT. II.

De reliquis Prædicabilibus Porphyrianis: ubi etiam de numero, & convenientiâ Prædicabilium.

## CAP. I.

De Differentiâ.

1 **D**ifferentia latissimè accepta, est forma diversissima extrema, quæ alioquin conveniunt in aliquo prædicato, ut sumitur ex Aristotele 5. Metaph. c. 9. Triplex est, communis, propria, & propriissima. Differentia communis ea est, qua extrema differunt contingenter, scilicet ratione accidentis, contingenter additi. Sic differt homo albus ab homine nigro. Et hæc differentia recurrit cum Accidenti; quinto Prædicabili.

2 Differentia propria, quæ ferè coincidit cum Proprio, quarto Prædicabili, est, quæ extrema differunt necessario, sed non essentialiter, seu non per aliquid ad essentialitatem eorum pertinens. Sic ignis ab aquâ differt per calorem in summo. Differentia propriissima, de qua solâ in præsentî capite loquimur, est, quæ extrema differunt essentialiter, nempe ratione prædicati es-

sentialis. Sic rationale differre facit hominem à brutis.

3 Hæc ipsa Differentia est tertium Prædicabile; quod in essentiali definitur ex Porphyrio, Prædicabile de pluribus specie differentiibus in quale quid. Hæc tamen definitio communiter improbatur ut diminuta, cum non comprehendat Differentiam ultimam specificam, quæ ad hoc Prædicabile pertinet. Melior est, & probata communiter, hæc alia definitio, Prædicabile de pluribus in quale quid, sive tamquam pars formalis metaphysica illorum; quæ convenit omni Differentiæ, & aliande convenit ipsi soli: nam Genus non prædicatur ut pars formalis, Species non prædicatur ut pars, Proprium, & Accidentis non prædicantur in quid.

4 Porro Differentia prædicari dicitur in quale, quia prædicatur quasi adjectivè, nempe ut adiacens Generi, sive instar formæ qualificantis prædicatum genericum (nam

(nam interroganti, Quale animal est homo? respondetur, rationale); sed cum simul ipsa sit prædicatum quod aditativum Speciei, non prædicatur purè *in quale*, sed *in quale quid*. Dicitur etiam prædicari *ut pars formalis essentia*, per analogiam cum formâ phycâ: quia differētia discernit essentialiter unam Speciem ab alijs, & determinat indifferentiam Generis.

5 Sed *objices*: Differentia prædicatur de Specie, & individujs; & non prædicatur *in quale*, quia illis non adjacet. *Resp.* Sensus definitionis est, *Prædicabile de pluribus ut pars qualificans aliam partem essentia illorum*. Quare tò *in quale* non refertur ad totâ essentiam Speciei, vel Individui, sed ad aliquod prædicatum ejus, nempe genericum.

6 *Objic.* iterum: Genus prædicatur *in quid*, & Differentia *in quale*: ergo Species, quæ Genus, & Differentiam includit, prædicabitur *in quale quid*. *Resp.* Concedi hoc potest, si sumatur Species pro definitione, v. g. sub termino, *animal rationale*. Sed in præsentia sumitur Species pro ut significata simplici termino, v. g. *homo*; quo sensu includit Genus, & Differentiam *implicitè*, & *distintè*. Differentia autem non prædicatur *in quale*, nisi prout *distintè* expressa.

7 Dividitur Differentia in *subalternam*, & *ultimam*, sive *atomam*. Subalterna est, quæ sub se continet Species, ut *sensibile*, quæ est differentia Generis *Vivens*. Ultima est, quæ sola individua numero

distincta sub se continet, ut *Rationale*. De differētia individuali (quæ alioquin verè ultima est) non habetur ratio in præsentia: tum quia contentum ab Scientijs quasi nulla, vel nullo digna examine, saltem quando non sumitur in communi ut prædicatum transcendens: tum quia nunc solùm agitur de ijs differentijs, quæ immediatè dividunt Genera rectè collocata in arbore Prædicamentali: quo sensu Differētia Speciei atomæ dicitur ultima.

8 Differentia dicitur radicare proprietates metaphysicas Speciei: quod intelligendum in sensu formali, seu ex modo nostro concipiendi. Nam ex eo, quòd homo v. g. fit rationalis, argumentando colligimus, esse volitivum, capacem liberi arbitrij, disciplinæ, risus, admirationis, &c.: & hinc resultat, à nobis apprehendi rationale instar cujusdam radicis, unde talia prædicata velut accessoria dimanant, fundamento desumpto ex ordine, quem servant operationes inter se: quàmvis ex parte objecti nulla sit distinctio inter rationale, & volitivum &c., proindèque nulla radicio, vel emanatio.

9 Quatuor præterea munera tribuuntur Differentiæ. 1. *dividere*, seu *contrahere Genus*. 2. *constituere Speciem*. 3. *essentiam Speciei ab alijs distinguere*. 4. *de inferioribus prædicari*. Hæc omnia sunt opus rationis: nam à parte rei nulla est indifferentia Generis, nec datur Genus nisi fundamentaliter; nec Species constituitur ex partibus meta-

phy-

physicis; nec ab alijs distinguitur per partem sui, sed per se totam; nec quidquam est superius, quod de inferioribus prædicetur. Quare illa omnia solum verificantur suppositâ distinctione rationis inter prædicata Speciei.

10 Si quæras, quænam sit forma rationis, per quam Differentia constituitur talia munera præstans? Resp.: omissio quarto munere, quod per iudicium præstatur, ut per se patet, tria priora præstantur actualiter per cognitionem, qua prædicatum genericum redditur qualificatum per differentiale, servata inter utrumque distinctione rationis. Hac enim cognitione positâ, Differentia redditur intentionaliter unita Generi, quod proinde contrahit, & cum ipso constituit essentiam Speciei, eamque ab alijs distinguit indole suâ discretivâ: quemadmodum in physicis eo ipso quod forma sit unita materiæ, huius indifferentiam contrahit, & cum ea constituit essentiam compositi, quam indole suâ discernit ab alijs.

11 Huiusmodi est cognitio definitivâ, v. g. *animal rationale*, dummodo contet duabus expressionibus realiter distinctis, quarum posterior adjectiva sit, & priorem connotet, ac supponat, tamquam propriam substantivum. Connotatio ista consistit in peculiari modo tendendi apprehensionis, *rationale*, quæ suam objectum concipit instar formæ essentialiter adjacentis animali tamquam proprio subjecto, quod proinde supponit præexistens

formaliter in Intellectu. Taliis apprehensio gerit etiam munus unionis metaphisicæ: quia rationale reddit intentionaliter alligatum animali tamquam subjecto: & quamvis ab animali præscindat *præcisione non inclusionis*, id est tamquam à prædicato non incluso formaliter in objecto suo; non tamen ab illo præscindit *præcisione indifferentiæ*, id est, non tamquam à termino connexionis, & necessario subjecto, cui rationale adiaceat.

12 Hinc inferes, quid sit *compositio metaphisica*, de quâ toties incidit mentio. Si sumatur pro unione partium, est *intentionalis unio prædicati differentialis cum generico, quasi formæ cum subjecto*. Si verò sumatur pro totâ fabricâ compositi metaphisici, est *ipsamet essentia Speciei, quatenus per conceptus inadæquatos redditur apparenter composita ex prædicatis generico, & differentiali, quasi ex subjecto, & formâ*. Prædicata ipsa realia sunt, & intrinseca; sed eorum distinctio, & compositio, solum est extrinseca, & apparens. Ubi nota, quod essentia Speciei, prout metaphisicè composita, est objectiva definitio Speciei. Nam Species significata simpliciter nomine, seu conceptu, *homo* v. g., cum non habeat partes actu distinctas formaliter, non habet actu compositionem metaphisicam.

13 Nota insuper, quod compositio, cum sit distinctorum unio, requirit partes actu distinctas. Quare, si cognitio definitiva, *animal*

*rationale*, sit realiter indivisibilis, non erit actualiter compositio metaphysica sui objecti; quia non distinguit in illo extrema duo: erit tamen compositio virtualiter, & æquivalenter, quatenus æquivaleret duabus expressionibus definitive diversis, atque in eas potest reflexa præcisione dividi.

14 Hucusque tradita explicatio nonnihil discrepat ab ea, quam in Log. sup. dedimus. Sed hæc modo videtur aptior; quia magis analogiam formæ, & compositionis physicæ retinet. Potest autem convenire pariter iudicio indirecto, *animal est rationale*; quod importat etiã compositionem metaphysicam; formaliter, si est qualitas composita; virtualiter, si est simplex qualitas.

## CAP. II.

*Nonnulla Quæstiones circa Differentiam deciduntur.*

15 **Q**uæ. 1., an Differentia prædicatur ut Universalis de Specie, quam constituit, v. g. rationale de homine? Affirmant aliqui Thomistæ: sed immeritò. Quia prædicari ut Universale de subjecto, est prædicari ut superius de inferiori, hoc est, ut latius patens, & magis commune, quam subjectum: Differentia autem respectu Speciei non est superior, sed æqualis.

16 *Dices*: rationale de homine prædicatur ut Differentia, sive ut pars formalis: sed ut Differentia, est Universalis: ergo &c. *Dist. Maj.*: ut Differentia distinctiva, *conc.* ut Differentia subjecto superior, *neg.*

*Maj.* Tum *dist. Min.*: ut Differentia, est Universalis respectu inferiorum, *conc.*; respectu subjecti æqualis, vel superioris, *neg. Min. & Conseq.* Et alioqui Differentia foret pariter Universalis respectu Generis, de quo etiam prædicatur ut Differentia, v. g. cum dicitur, *Animal est rationale*. Non est igitur Universalis respectu omnis subjecti, cnjus est Differentia: & ideò dicitur diversa illius munera, *contrahere Genus, distinguere Speciem, & prædicari de Inferioribus*. De his autem prædicatur quoque ut Differentia distinctiva: nam rationale non solum differre facit hominem ab equo, sed etiam Petrum à Bucephalo. Alias objectiunculas videtis in Log. sup.

17 *Quæ. 2.*: an Differentia detur à parte rei, sive ante opus rationis? *Resp.* Datur à parte rei Differentia sumpta physicè pro reali diversitate: secus verò, sumpta logicè, seu metaphysicè prout definita est num. 3. Nam quatuor illa munera, num. 9. recensita, necessariò supponunt præcisionem, ac distinctionem rationis; adeoque non verificantur à parte rei, nisi purè fundamentaliter.

18 *Quæ. 3.* an differentia ultima sit formalitas simplex, sive indivisibilis in plures formalitates invicem ratione distinctas? Affirmat communis sententia; quæ quidem ut plurimum vera est. Sed pars negatîva videtur probabilis in quibusdam speciebus, præsertim actuum vitalium, qui perfectionem



duarum Specierum, vel duorum Generum, secum identificant: v. g. in actu si. ul pertinente ad duas virtutes, iustitiæ, & temperantiæ; in actu, qui simul sit amor, & odium respectu diversorum; & in actibus animæ supernaturalibus.

19 Enimverò Species, de quâ prædicantur duo Genera non subordinata, videtur exigere duplicem formalitatem differentialem, quarum unaquæque suo Generi respondeat. Supernaturalitas autem, & vitalitas, ut etiam amor, & odium, Genera sunt diversa, & non subordinata.

20 Nec obstat paritas formæ physiciæ, quæ unica est in quovis composito. Tum quia unica etiam est materia physica; & tamē Genus, quod est materia metaphysica, potest in unâ Specie multiplex esse. Tum quia Differentia, cum sit forma analogica, & metaphorica, non debet esse per omnia similis formæ physiciæ: unde in quavis Specie atomâ, præter Differentiam ultimam, dantur plures aliæ subalternæ; quin ideò simile quid inveniatur in formis physicis.

21 Dices: ergo ultima Differentia hominis non erit simplex. Resp. Rationale est Differentia hominis adæquata, non prout præcisè sonat *intellectivum* (sic enim est Genus ad hominē, & Angelum); nec item prout convenit animæ à corpore separatæ; sed prout significat *Discursivum connaturaliter pendens in intelligendo à sessione phantasia*. Hoc sensu probabile videtur

ex dictis, quòd Rationale sit differentia formaliter divisibilis in duas; contrahit enim ad hominem duo Genera non subordinata, nempe *Animal*, & *Intellectivum*; idque habet speciale præ ceteris speciebus substantialibus. Qui tamen ultimam Differentiam asserat ubique simplicem, quæ in alijs Speciebus mixtis sit indominata, in homine autem nominetur *rationale*; non facile impugnabitur.

22 Quar. 4., & principaliter: utrùm Genus transcendat formaliter Differentias? Tunc prædicatum A. transcendit formaliter prædicatum B., aut in eo formaliter includitur, quando pertinet ad definitionem, seu explicationem quidditativam illius, ita ut B. sub proprio conceptu non possit plenè explicari, quin dicatur esse A.: & ideò tunc dicitur identificari formaliter cum A., & illud includere formaliter. Sic in homine formaliter includuntur prædicata, *animal*, & *rationale*, & illa etiam omnia, per quæ definitur tam animal, quàm rationale.

23 Certum est, omnia Genera, & Differentias superiores includi formaliter in Speciebus inferioribus, v. g. in homine Genera, *corpus*, *vivens*, *animal*, & Differentias *animatum*, *sensibile*. Certum item, prædicata inferiora, sive Species, sive Differentiæ sint, non includit formaliter in superioribus: neque enim animal definitur per hominem, aut rationale: neque vivens per animal, aut sensibile. So-

lum itaque dubitatur, an Genus, & Differentia superiores transcendant formaliter Differentias Specierum inferiorum constitutivas.

24 Negativa sententia, quæ in omni Scholi communis est, *probat*ur breviter. Genus, & Differentia componunt Speciem in lineâ formali, seu tamquam partes metaphysicæ, ut omnes consentiant; sed partes in eâ lineâ, in quâ Totum componunt, debent mutuo distingui, nec altera alteram includere. *Probat*ur hoc: tum exemplo partium in lineâ physicâ componentium; tum quia, si altera pars alteram includit, æquabitur Toti; unde, vel non erit pars, vel falsificabit principium illud per se notum, *Omne Totum est majus suo parte.*

25 Urgetur hoc ipsum; si Differentia formaliter includit Genus, nihil est formaliter in Specie, quod non sit etiam in Differentiâ; ergo Differentia ultima non erit Prædicabile ab Specie diversum; si quidem *rationale*, non minus quàm *homo*, prædicabitur de individuis in *quid completè*, sive ut tota essentia. *Confirm.* Certum videtur, quod nec Species, nec Genus transcendit formaliter Proprium metaphysicum, y. g. *risibile*: in quo tamen argumenta contrariorum æquè militant.

26 *Objis.* 1.: *rugibile* v. g., quæ est differentia leonis, est formaliter principium sensationis: ergo est formaliter animal. *Prob. Antec.* quia *rugibile* est formaliter principium rugitus, qui est formaliter sensatio. Similiter discursus, quàm

vis non sit sensatio, est formaliter vita: ergo principium ejus, quod est rationale, debet includere formaliter Genus *vivens*. Imprimis objectio *instatur* in risibili, quod est formaliter principium risus, qui est formaliter sensatio, & vita.

27 Deinde notandum, *rugibile*, *rationale*, & alia nomina Differentiarum, sæpè accipi pro totâ Specie, significarique substantivè; quo modo Genus utique includant. Sed hoc sensu non loquimur in præfenti. Accipimus igitur illa nomina, seu prædicata purè adjectivè, quatenus concipiuntur instar formæ adjacentis, & modificantis aliud: quo sensu potest *rugibile* v. g. definirî bifariam, nempe vel sub munere Differentiæ respectu animalis, vel per connotatum operationis.

28 *Rugibile* sub munere Differentiæ definitur, *Formalitas determinans animal ad leonem*: quæ definitio non est per animal in recto, sed in obliquo, seu connotato; nimirum tamquam per terminum connexionis; ut cum definitur scientia per objectum, vel forma physica per substantiam: ideoque, licet animal appareat ut ex parte actûs, nõ apparet ut inclusum in definito, sed potius ut ab eo formaliter distinctum; daturque tunc præcisio *non inclusionis*, neutiquam verò *inconnexionis*, aut *indifferentiæ*.

29 Per connotatum operationis definitur *rugibile*, *Principium rugitus*. Sed, cum *rugitus* sit etiam quædam integra Species operationis, includens sua prædicata

generica, quæ sunt sensatio, & vita, insuperque suam differentiam specificam, per quam ab omni alia sensatione discernitur; fit, ut rugitus adæquatè sumptus correspondeat prædicatis leonis distributione accommodat: nam, quatenus est vita, correspondet prædicato *viventis*: quatenus est sensatio, prædicato *animalis*; quatenus est talitas, aut differentia discernens hanc speciem operationis ab alijs, prædicato *rugibilis*. Unde rugibile, purè adjectivè conceptum, non est formaliter principium rugitus adæquatè sumpti, sed tantùm purè differentialiter accepti; quo sensu rugitus non est formaliter sensatio, nec vita. Idem dicito de discursu, qui solùm adæquatè sumptus, est vita de Genere intellectivo; quod Genus etiam contrahitur per rationale hominis absque transcendentia formali.

30 *Objic. 2.* vulgatus syllogismus in *Darapti*, videlicet *Omnis homo est formaliter animal, Omnis homo est formaliter rationalis, Ergo aliquod rationale est formaliter animal*: ubi concluditur formalis identitas rationalis cum animali. Verùm hæc objectio solvenda est omnibus: nam eadem formâ potest contra sententiam omnium concludi formalis inclusio rationalis in animali, sic nimirùm, *Omnis homo est formaliter rationalis, Omnis homo est formaliter animal, Ergo aliquod animal est formaliter rationale.*

31 Prætereâ, syllogismi forma claudicat: quia formalis identi-

tatis potest esse non mutua, ut accidit in præsentibus; quamvis enim homo sit formaliter animal, non ideo animal, uti nec rationale seorsùm, est formaliter homo. At, quando Extrema non identificantur cum Medio, licet hoc identificetur cum illis, non concluditur ipsorum identitas inter se: cum non habeat locum illud principium, *Quæ sunt eadem uni tertio &c.* Hinc formalis identitas non mutua, tam non distribuit Medium, quam realis inadæquata: ideoque syllogismus ille similis est huic, *Omnis homo est inadæquatè anima rationalis, Omnis homo est inadæquatè corpus, Ergo aliquod corpus est inadæquatè anima rationalis.*

32 *Objic. 3.*: Differentia est definibilis: ergo per Genus: ergo formaliter includit Genus. *Resp.*: esto Differentia definiatur, non tamen per Genus, de quo disputamus, nempe quod contrahitur ad illam Speciem, cujus Differentia est pars. Definiatur ergo per alia Genera transcendentia, vel quæ non pertinent ad lineam Prædicamentalem, utputâ per Genera *talitatis, formalitatis, differentia ut sic*; & in esse Universalis logici, per genus reflexum, *Prædicabile*. Sed nunc de solis Generibus disputamus, directè positus in Prædicamento, cujus in lineâ laterali ponuntur Differentiæ: nam relatu ad illa alia Genera (si verè Genera sunt) Differentia nō est differentia, sed species quædam.

33 Ad extremum tria notabis. 1.: quando Differentiæ sunt ano-

nytiæ, ut sæpe contingit, discerni debent per connotationem Generis, quod enumerant: ut, si Differentia cognitionis vocetur *Talitas tendentiæ cognoscitivæ*; Differentia verò amoris, *Talitas tendentiæ volitivæ*. 2.: Genus, *Substantia*; prout significat substantiam completam, quæ in Prædicamento ponitur, non includitur formaliter in rationali. Unde rationale formaliter nec est substantia, nec accidens, sed est talitas substantiæ: potest enim in sensu formali dari medium quid inter substantiam, & accidens, licet non in sensu reali. 3.: quod diximus de Genere respectu Differentiæ Specificæ, subalternæ, vel infimæ, intelligendum pariter de Specie respectu Differentiæ individualis, v. g. de homine respectu Petreitatis.

## CAP. III.

## DE PROPRIO.

34 **Q**uartum Prædicabile Porphyrianum est *Proprium*, seu *Differentia propria*; quæ primò intentionaliter accepta, est *Id, quod essentiam, quam supponit constitutam necessariò, & per se consequitur*: accepta verò secundò intentionaliter, sive in esse Universalis, est, *Prædicabile de pluribus per se, & necessariò, sed extra essentiam*. Per *ly extra essentiam* differt à Genere, Specie, & Differentiâ: per *ly per se, & necessariò*, differt ab Accidenti mox explicando.

35 *Proprium*, aliud est physicum, aliud metaphysicum, sive logicum. Physicum est, quod per se

necessariò consequitur essentiam, à quâ realiter distinguitur. Sic lux est proprietas Solis, & calor ignis. Metaphysicum est quod, cum realiter idem sit cum essentia, tamen ab eâ formaliter distinguitur, & ex modo concipiendi ab eadem quasi radicatur. Sic risibile, & admirativum dicuntur proprietates hominis.

36 Quatuor genera proprietatum, seu *quatuor modos Proprij*, distinxit Porphyrius. *Proprium primo modo est, quod soli Speciei convenit, sed non omni ejus individuo*; ut esse Medicum; quod solius est hominis, sed non omnis. *Proprium secundo modo est, quod omni individuo Speciei convenit, sed non soli*; ut esse bipedem; quod & omni homini convenit, & etiam avibus. *Proprium tertio modo est, quod omni, & soli individuo Speciei convenit, sed non semper*; ut canescere, quod omnis, & solius est hominis, non omni tempore, sed in senectute. *Proprium quarto modo est, quod convenit omni, & soli individuo Speciei, & semper*: atque ita convenit homini esse risibilem.

37 Exempla hæc, à Porphyrio adducta, rejiciunt Caramuel, & Servera, quibus in Log. fus. respondimus. Carpunt etiam vocabulum *risibile* pro *risivo*; quia magis significat *risu dignum*, quàm *ride-re potens*. Sed, si usus Vulgi jus habet in vocabula, cur non & usus Scholarum? Benè tamen notat Servera, fieri posse plures alias combinationes Proprij, præter enumeratas à Porphyrio.

38 Nunc queritur 1. , quomodo ex illis quatuor modis pertineat Proprium ad quartum Prædicabile? Communiter dicitur, solum Proprium quarto modo huc pertinere: quia cætera, vel contingenter accidunt subjecto, vel sunt alijs rebus communia, atque adeo non propria. Dicendum tamẽ, ad hoc etiam Prædicabile pertinere Proprium secundo modo: quia multa sunt Propria secundo modo, quæ per se, ac necessario consequuntur essentiam. Hæc autem pertinere nequeunt ad quintum Prædicabile: ergo ad quartum.

39 Sic in homine posse cibum capere, loco moveri, & esse appetitivum sensibiliter, sunt proprietates necessariae: quæ tamen brutis etiam conveniunt, utpote fundatæ in prædicato generico animalis. Imò proprietates aliquæ sunt, quæ fundantur in supremo Genere substantiæ, v. g. esse receptivum accidentium, vel esse ab accidenti perfectibile, quæ est proprietas per se, & necessario comitans omnem substantiam cõpletam, & creatam. Nec proprium semper contraponitur communi, sed sæpe etiam extraneo, vel alieno.

40 Quer. 2. : utrum prædicationes de Proprio sint necessariae veritatis? Resp. 1.. Prædicationes de Proprio metaphysico sunt necessariae veritatis, v. g. *Homo est risibilis*. Ad hoc enim (ut quædam objectio præocupetur) sufficit, quod prædicatum realiter cum subjecto identificetur in suppositione

personali: tamen non sit necessaria, sed contingens, constitutio ejus in esse prædicabilis in quale extra essentiam, seu ritu proprietatis essentiam metaphysicam subsequens; quia nimirum constitutio ista involvit distinctionem rationis, quæ non necessario, sed contingenter existit. Idẽ accidit in prædicationibus Differentiæ, vel Generis, quas nemo negat esse necessariæ veritatis v. g. *Homo est rationalis*, *Homo est animal*: cum tamen actualis forma rationis, quæ Genus constituitur prædicabile ritu partis materialis, & Differentia ritu partis formalis, non sit necessaria, sed contingens.

41 Resp. 2. Prædicationes de Proprio physico, sunt veritatis naturaliter necessariae, vel omnino absolute, ita ut solum de potentiâ Dei absolutâ deficere possit, v. g. hæc, *Sol est summè lucidus*; vel saltem cum hoc addito, *juxta exigentiam rei sibi relictam*, & à contrarijs liberam, qualiter necessaria est hæc prædicatio, *Aqua est summè frigida*.

42 Notandum hic, Proprium prædicari tamquam Speciem de suis individuis formatis ex nomine communi Proprij, & signo demonstrativo, ut cum dicitur, *Hoc admirativum est admirativum*: de quo iterum redibit sermo circa Accidens.

## CAP. IV.

## DE ACCIDENTI.

43 **A**ccidens in presenti non sumitur, prout substan-

tire cōtraponitur; sed accipitur pro eo, quod contingenter advenit alicui, sive sit enitativè substantia, ut vestes, & arma, cum homo dicitur *vestitus*, & *armatus*; sive sit accidens enitativè, ut albedo cum homo dicitur *albus*; atque ita vocatur *Accidens prædicabile*; & prout condistinguitur à Proprio, vocatur *Accidens commune*. Hoc autem primò intentionaliter acceptum sic definit Porphyrius, *Quod potest abesse atque abesse sine subjecti corruptione*.

44 Huic definitioni nonnulla obijciuntur; de quibus vid. Log. fus. Non negat Porphyrius, quædam esse Accidentia realiter inseparabilia: quare solum iatendere videtur ut Accidens attentà subjecti exigentiâ permittatur abesse illæso subjecto, quamvis aliunde nequeat separari, ut nigredo Æthiopicis. Hinc satis differt Accidens à Proprio. Sed, quidquid sit de mente Porphyrij, meliùs definitur Accidens hoc pacto, *Quod ita subjecto advenit, ut ab ejus essentiâ non exigatur, saltem permanenter*: quæ definitio non prohibet Accidens esse alio ex capite inseparabile.

45 Jam Accidens secundò intentionaliter sumptum in esse Universalis logici, definitur communiter, *Prædicabile de pluribus in quale contingenter*: ubi ly *contingenter* intelligi debet attentà naturali exigentiâ subjecti; ita ut definitio reddat hunc sensum, *Prædicabile de pluribus extra essentiâ, & exigentiâ eorum naturalem*. Sic hæc sunt

prædicationes Accidentis, quod constituit quintum Prædicabile, *Homo est albus, est armatus, est dormiens, est ridens*.

46 Ubi notandum, dari quoque Accidentia metaphysica, canimirum, quæ in consideratione metaphysicâ contingenter adveniunt subjecto, seu extrâ essentiâ, & exigentiâ ejus. Sic rationale prædicatur de animali, & quævis alia Differentia specifica denominativè prædicatur de Genere, tamquam accidens metaphysicum (tameis respectu Generis non sit prædicatū superius, sive Universale): quia nimirum animal abstractè consideratum, indifferens est, ut sit, vel non sit rationale. Unde patet discrimen inter Proprium metaphysicum, & Accidens etiam metaphysicum; nam hoc non radicatur, nec exigitur à naturâ, cui accidit; illud verò radicatur necessariò à naturâ, cujus est proprietas, v. g. risibile à rationali.

47 Circâ Accidens ita explicatum, sciendum est I., illud, quatenus est quintum Prædicabile, non prædicari in abstracto, nec in recto, sed in concreto dicente subjectum in recto, & accidentalem formam in obliquo: non enim verè dicitur, *Petrus est albedo, vel, est albedo, & subjectum ejus*, sed, *est albus*; quod ita exponitur, *est quid habens albedinem sibi unitam*. Quare non affirmatur identitas subjecti nisi cum recto prædicati. Sed quia simul asseritur, aut supponitur unio accidentis cum tali recto, quæ unio est con-

tingens; id est absolute contingens est veritas propositionis.

48 *Scientiam est 2.*, Accidens comparatum ad inferiora, de quibus prædicari valet in abstracto, non esse quintum Prædicabile, sed esse Genus, aut Speciem, prout fuerit gradus, & modus abstractionis. Unde color ut sic, prædicatur de albedine, & nigredine ut Genus; & albedo ut sic, de hac, & illâ albedine ut Species.

49 *Scientiam est 3.*, Accidens in concreto non prædicari contingenter, seu ritu quinti Prædicabilis, nisi de subjecto nudè expresso: de inferioribus enim expressis nomine concreti ipsius, aut sub ipso contenti, prædicatur essentialiter. Unde hæc est prædicatio Generis, *Album est coloratum*, & hæc Speciei, *Hoc album est album*.

CAP. V.

*De numero, & convenientia Prædicabilium.*

50 **Q**uæritur 1. : utrum alia sint Prædicabilia præter quinque jam explicata? Communis responsio negativa est. Nam quod prædicatur tamquã Universale, vel est de essentiâ subjecti, vel extrâ essentialitatem. Si primum: prædicabitur vel tamquam pars materialis, vel tamquam pars formalis, vel tamquam tota essentialitatem; proindeque vel erit Genus, vel Differentia, vel Species. Si secundum: prædicabitur vel necessatio, seu juxta exigentiam subjecti, & erit Proprium; vel contingenter, seu extra subjecti exigentiam, & erit Accidens.

51 Non desunt tamen, qui numerum probabiliter augeant. Sed in hoc tractatu solùm agitur de Prædicabilibus, qui sunt termini universales, incomplexi, univoci, intranscendentes à rebus extrâ Deum abstracti, & quatenus sunt verè affirmabiles de inferioribus. Cum his autem conditionibus non facile assignabitur Prædicabile, quod revocari nequeat ad aliquod è quinque vulgaris, per quamdam saltem analogiam.

52 *Dices*: cum Prædicamenta sint decem, & omnia sint prædicabilia, quomodo non sunt Prædicabilia decem? *Resp.* Prædicabilium numerus desumitur, non ex modo essendi, sicut numerus Prædicamentorum, sed tantum ex modo prædicandi *in quid*, vel *in quale* &c. : cumque modus iste sit idem in pluribus Prædicamentis, sic ut licet omnia sint prædicabilia, non constituent singula Prædicabile logicè diversum, sed plura pertineant ad unam è quinque Prædicabilium speciebus.

53 *Quer.* 2. : an divisio logici Universalis in quinque Prædicabilia, sit immediata? *Resp.* Non est: quia Prædicabile ut sic, immediatius dividi potuit in Prædicabile essentialiter, & Prædicabile extra essentialitatem: ac deinde primum membrum subdividi potuit in Genus, Speciem, & Differentiam; & secundum, in Proprium, & Accidens.

54 *Quer.* 3. : an sit divisio in Species ultimas Prædicabilis? *Resp.* Non est. Quia Genus, Species,

eies, & Differentia, subdivisiones habent, ut vidimus. Proprium subdividitur in reciprocum, & non reciprocum, idest in Proprium *quarto*, & *secundo modo*, cum utrumque pertineat ad quartum Prædicabile. Ac demùm Accidens, aliud est separabile, aliud inseparabile, juxta Porphyrium ipsam: aliud item physicum, & intrinsecum, aliud intentionale, & extrinsecum subiecto.

55 *Quær. 4.*: utrum vulgata divisio sit in membra necessariò distincta, ita ut non possit unum, idemque Prædicabile duo in se membra identificare? *Resp.* Est in membra necessariò distincta *terminativè*, seu *connotativè*; non verò *subjectivè*. Nam in primis omnia Prædicabilia sunt. Species relatu ad sua individua incompleta, seu expressa nomine communi per hæcceitatem contracto, ex dictis circa Genus *disp. præced. cap. 1.* Deinde potest idem Prædicabile simul esse Proprium, & Accidens respectu diversorum: si enim abstrahatur *lucidum* ut sic, erit Proprium respectu Solis, & Accidens respectu aëris illuminati.

56 Semper tamen necessaria est diversitas terminorum, quos unaquæque denominatio connotat. Sed *subjectivè*, est, ex parte rationis prædicabilis, non opus est multiplicare formas, vel intentiones ut simul spectet ad membra duo. Nec idè vitiosa est divisio; sicuti vitiosa non est divisio actus Voluntatis in amorem, & odium, quamvis utrumque membrum identificari possit in eodem actu respectu di-

## De Prædicabilib.

versorum. Sufficit ergo, quòd membra saltem possint ratione distincti per connotata extrinseca.

57 *Quær. 5.*: utrum quinque Prædicabilia univocè conveniant in ratione Prædicabilis? Vel alijs terminis, Utrum abstrahi possit communis, & univoca ratio Prædicabilis, quæ sit Genus ad quinque Prædicabilia? Affirmat sententia communis: & *probat* breviter. Quinque Prædicabilia propriè conveniunt in ratione Prædicabilis de multis: ergo ab omnibus abstrahi potest univoca ratio Prædicabilis; quæ, si talis est, nullo titulo prohibetur esse Genus ad illa omnia.

58 *Prob. Antec.*: quia solum obtare posset, quòd alia prædicantur completè, alia incompletè, alia essentialiter, alia extra essentiam, &c. At hæc diversitas, cum non impediatur quominus verissimè dicatur de quolibet eorum, *est Prædicabile de multis*, non impedit, ne propriè conveniant in ratione *prædicabilis*, sed tota diversitas pertinet ad specificas ipsorum differentias, a quibus abstrahitur Prædicabile ut sic. Quemadmodum diversitas animalis rationalis ab irationali non impedit quominus homo, & equus propriè conveniant in ratione *animalis*: quo exemplo rem istam explicare, & confirmare poteris.

59 Nec te moveat, quòd Prædicabile quantum accidentaliter, aut contingenter prædicatur. Nam prædicari contingenter, est prædicari verè, ac propriè; ut cum dicitur, *Petrus est albus, est sapiens,*



est iustus. Præterea, licet prædicatio sit contingens, aut per accidens, & extra essentiam subjecti; nihilominus prædicabilitas, seu aptitudo ad prædicationem contingentem, non est contingens in Accidenti ut sic, sed ipsi necessaria, & essentialis in statu abstractionis. Non aliter, ac accidentibus in statu physico essentiali est non esse de essentia subjecti, & sæpe advenire contingenter.

60 *Objic.* 1. famosum argumentum, quod mille tricus, & captionibus aditum aperit. Si Prædicabile ut sic, est Genus ad quinque Prædicabilia, erit ratio superior Genere ut sic, proindeque, & omnibus Generibus, utpotè inferioribus Genere ut sic. Hinc autem sequitur 1., quòd Prædicabile ut sic, simul est superius, & inferius Genere ut sic; superius, quia de Genere ut sic prædicatur ut Genus; inferius quia ipsum est Genus quoddam particulare, proindeque continetur sub Genere ut sic. Unde etiam fit, Genus aliquod esse inferius sua Specie; nam Prædicabile comparatur ad Genus ut sic, tamquam ad sui Speciem. Fit item, Speciem aliquam esse inferiorem uno suo individuo; nam Prædicabile ut sic, cum sit Genus quoddam particulare, unum est individuum Generis ut sic, tamquam Speciei logicæ.

61 *Sequitur* 2.: quòd Prædicabile ut sic, est superius, & inferius semetipso, cum sit superius omni Genere, simulque sit unum ex Generibus. *Sequitur* 3., quòd omnia quinque Prædicabilia sunt Genus:

nam sicut omne contentum sub ratione hominis est animal, eo quòd sub animali contineatur homo; ita omne contentum sub ratione Prædicabilis est Genus, si sub Genere continetur Prædicabile.

62 Hæc ut solvas, recolito ex *disp. præced. cap. 6.* significatum, & usum terminorum; *signatè, & exercitè, in suppositione personali, & in suppositione simplici.* Deinde *observa* 1., quòd unum esse logicè superius altero, est posse verificari de illo, & insuper de alijs, ut patet in animali ut sic, quod idcirco dicitur superius homine.

63 *Observa* 2., quòd Intellectus per cognitiones directas, *homo, animal, &c.* constituit Universalia directa, quæ in suppositione simplici sunt indivisibilia in plura, atque adeò sunt individua logica: v. g. animal ut sic, dividi quidem potest in plurà animalia; at non in multiplex Genus; proindeque in esse Generis proximi ad hominem, & brutum, est quid individuum, & singulare. Idem cernere est in alijs Generibus, necnon in Speciebus, Differentijs, &c.. Deinde ab his reflexè abstrahitur ratio Generis ut sic, Speciei ut sic, Differentiæ ut sic, &c., quæ sunt Species reflexæ, prædicabilesque de hoc, & illo Genere directo, de hac, & illà Specie directa, &c., tamquam de individualis.

64 Demùm ab hisce Speciebus reflexis per novam reflexionem abstrahitur communis ratio *Universalis, aut Prædicabilis ut sic;* quæ ratio est Genus respectu quinque

Prædicabilium, ita ut illi tamquam Species respondeant Genus ut sic, Differentia ut sic, &c., & tamquam individua, Universalia directa, nempe *animal ut sic, arbor ut sic, homo ut sic* &c.

65 Jam ad *Obijc.* Prædicabile ut sic, signatè, seu in suppositione personali sumptum, est ratio superior Genere ut sic; quia illud esse, quod exprimit cognitio, *Prædicabile*, verificari potest de Genere ut sic, & insuper de alijs, nempe de Specie ut sic, Differentia ut sic, &c.; in quo stat superioritas logica, ex num. 62. At exercitè acceptum, sive in suppositione simplici, non est ratio superior, quia extrinseca denominatio *Generis ad quinque Prædicabilia*, quam accipit ab hac cognitione, *Prædicabile*, non est verificabilis de Genere ut sic, nec de alijs, sed de solo ipso Prædicabili ut sic, tamquam de Genere individuo.

66 Non aliter ac *animal ut sic*, signatè sumptum, est ratio superior homine: sed acceptum exercitè, seu in suppositione simplici, non est ratio superior, cum non sit verificabilis de homine, nec de alijs præter ipsummet *animal ut sic* in esse: talis concreti; falsò quippè diceret, *Homo est Genus ad hominem, & brutum*.

67 Hinc ad 1 sequel., concedo, quòd Prædicabile ut sic, simul est superius, & inferius Genere ut sic, in diverso sensu: est enim superius secundum esse signatum; & est inferius secundum esse exercitè acquisitum per abstractionem, quia

secundum hoc de ipso verificatur Genus ut sic tamquam ratio specifica de suo individuo. Neque id est inconueniens; quia duplex illud esse, signatum, & exercitum, realiter inadæquatè distinguuntur, cum alterum reduplicet intentionem rationis, alterum non. Concedo similiter, quòd Genus aliquod sit inferius suâ Specie in eo sensu, in quo non est superius: quod etiam intellige de quâdam Specie relatu ad suum individuum.

68 Ad 2. sequel. concedo pariter, quod intenditur, secundum diversas acceptiones: illud quippè nihil est aliud, quam Prædicabile ut sic, signatè sumptum, posse verificari de se ipso exercitè accepto, & insuper de alijs; cum tamen exercitè sumptum non nisi de se ipso verificari possit.

69 Tertia sequela neganda est, si quinque Prædicabilia sumantur in suppositione personali; quin obstat adjuncta probatio: falsum quippè est, quòd Prædicabile in eo sensu, in quo sub se continet quinque Prædicabilia, contineatur sub Genere ut sic; quia potius illud sub se continet. Solum ergo continetur sub Genere ut sic, quatenus accipitur in suppositione simplici: sic autem acceptum, non continet sub se quinque Prædicabilia, cum non possit de illis verificari, ex num. 65. Si tamen quinque Prædicabilia, prout reflexè abstracta ab Universalibus directis, sumantur in suppositione simplici, omnia sunt Species, ex num. 63.

70 Communis ista responsio molestis obnoxia est reflexionibus: nec eas omninò evitat solutio P. Joannis Ulloa (videnda in nostrâ Log. suf.) negantis, Prædicabile ut sic esse logicè inferius Genere ut sic, aut sub eo contineri. Sed in re sentitosa, & parùm utili, non oportet amplius immorari.

71 *Objic.* 2. nonnulla incommoda. 1., quòd Universale ut sic, præscindet etiam à se ipso, cum sit quoddam Universale, seu quoddam Genus. 2., quòd Genus aliquod transcendet formaliter differentias; nam Universale ut sic, transcendit differentias quinque Prædicabilium. 3., quòd Substantia ut sic, non erit Genus supremum, cum contineatur sub Prædicabili ut sic, taquam sub Genere superiori. Verùm hæc non urgent.

72 *Ad 1.:* quòd hæc cognitio, *universale*, præscindat à se ipsa, quatenus indefinitè attingit Universalia omnia cum suis formis, & consequenter illud etiam Universale, quòd ipsamet exercitè cõstituit, nec signatè discernat se ipsam à ceteris; non est incommodum. Sic enim à se ipsa præscindit indefinita hæc apprehensio, *cognitio*, cum præscindat rationem communem cognitionis ab omni cognitione particulari.

73 *Ad 2.:* Universale ut sic, transcendit quidem Differentias directas, quæ pertinent ad tertium Prædicabile, nempe *rationale* ut sic, *rugibile* ut sic, &c., quantum ad esse secundò intentionale; quia sic acceptæ, sunt individua logica Dif-

ferentiæ ut sic, quæ comparatur ad Universale ut sic tamquam Species ejus, ex num. 63. At non transcendit differentias reflexas quinque Prædicabilium, per quas Universale ut sic qualificatur, & contrahitur per modum Genus ad suas Species: hæc quippè differentię non sunt formaliter prædicabiles, sed sunt talitates contrahentes rationem communem Prædicabilis.

74 *Ad 3.* Substantia ut sic, solum est Genus supremum in ordine directo, & prædicamentali, in quo nulli Generi subest: at in ordine reflexo, & secundæ intentionis, non est Genus supremum, sed potest Generi superiori subesse.

## CAP. VI.

*De varijs prædicationum modis.*

75 **V**arios prædicationis modos dedimus in Sumulis. Nunc pro coronide Tractatus duo sunt explicanda. Primum, quandonam prædicatio sit formalis. Secundum, quomodo veræ sint prædicationes de abstractis, & concretis. Circà primum duas accipe regulas. Prima sit: *Prædicatio est formalis semper ac non est identica*, idest, semper ac non resolvitur in terminos synonymos. Hinc inferes, omnia quinque Prædicabilia de suis inferioribus prædicari prædicatione formali.

76 Secunda regula sit: *Prædicatio formalis non semper est vera in sensu formali, sed tunc solum, quando prædicatum formaliter identificatur cum subjecto*, idest, quando pertinet ad definitionem ejus.

Hinc prædicationes Generis, & Differentiæ de Specie, vel Speciei de individuis, verè sunt in sensu formali; non ita verò prædicationes Proprii, & Accidentis; hæ quippe solum verificantur in sensu denominativo.

77 Quòd si prædicatum realiter identificetur cum subjecto, sed nec sit de conceptu ejus definitivo, nec illud adjectivè denominet; tunc prædicatio vera erit in sensu purè reali, vel in sensu identico materiali. Hoc sensu verè dicitur, *Justitia Dei est misericordia*, vel, *in Sole vis calefaciendi est vis illuminandi*, vel, *in intellectu vis apprehensiva est vis judicativa: &c.*

78 Circa secundum, Dico 1.: concreta omnia, tam accidentalialia, quàm substantialialia, indefinitè concepta, verè prædicantur in sensu formali de cõcretis inferioribus, ad quæ comparantur tamquam ad Species, vel individua, v. g. *Petrus est homo*, *album est coloratum*. E converso concreta inferiora de superioribus non verè prædicatur, nisi vel in sensu denominativo, si adjectivè dicantur, ut, *Animal est rationale*; vel in sensu idetico materiali, si substantialia sint, ut, *Animal est homo*.

79 Idem intellige de abstractis superioribus comparatis ad abstracta inferiora. Verè namque dicitur in sensu formali, *Albedo est color*; atque etiam (quidquid reclamant aliqui), *Humanitas est animalitas*, vel, *est rationalitas*: est enim prædicatum de cõceptu definitivo subjecti. Nec obstat, quòd

concipiatur instar partis; ut in simili diximus *disp. præced. n. 7*. Contrà verò, abstracta inferiora de superioribus non nisi sensu identico materiali prædicari valent.

80 Dico 2.: abstracta, & concreta metaphysica, seu quæ solum differunt ex modo significandi, ut *Deus, & Deitas, Ens, & entitas, Res, & realitas*, verè prædicatur invicem in sensu formali: quia idem est conceptus quidditativus concreti, & abstracti. Hinc, si homo sumatur pro composito ex corpore, & animâ, ut condistincto à subsistentiâ, verè dicitur in sensu formali, *Homo est humanitas*, & è converso.

81 Secus dicendum, quando concretum est physicum, & includit aliquid realiter distinctum ab abstracto: quia tunc neutrum de altero prædicari potest, nisi cum addito *inadequatè*. Quare, si homo sumatur (ut absolutè solet, ac debet) pro concreto ex naturâ integra, subsistentiâ, seu prout est *suppositum, & persona*; non verè dicitur, *Homo est humanitas*, nec è converso, nisi addatur, *inadequatè*. Ob eandem rationem, abstracta accidentalialia de suis cõcretis, & vice versa, non nisi cum eodem addito prædicantur, ut *album, & albedo*. Excipe, nisi fiat ex parte concreti reduplicatio, quæ solam formam ponat in recto; v. g. si *album* ut *album*, idem sonet, ac *album* quoad formam.

82 Dico 3.: concreta accidentalialia, quæ diversas, imò, & in-

connexas formas præferunt, verè  
possunt invicem prædicari, dum-  
modò non sumantur reduplicativè,  
& utraque forma reipsà insit eidè  
subjecto. Unde verè dicitur, *Album*  
*est dulce*, *Dulce est album*: quia da-  
tur identitas adæquata inter rectū

subjecti, & rectum prædicati, cū  
actuali unione formarum, quæ de  
obliquo importantur. Regulas, &  
præceptiones alias sciens omitto,  
quæ commodiùs Scholastica exer-  
citate discuntur.

## TRACTATUS QUARTUS,


## DE PRÆDICAMENTIS SUMMATIN.



MNIA, de quibus Philisophia tractat, distribuit Aristo-  
teles in Classes decem, quas *Categorias*, id est, *Prædi-*  
*camenta*, nuncupavit, & nominibus distinxit hisce,  
*Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Passio*,  
*Ubi*, *Situs*, *Quando*, & *Habere*. In singulari fieri potest  
descensus à supremo genere per inferiora Genera, & Spe-  
cies, quasi per gradus totidè, usque ad Individua: qui  
gradus coordinatur in recta lineâ, vel serie, quæ dicitur stipes, aut trun-  
cus Arboris prædicamentalis: cui additur duplex alia linea, vel series la-  
teralis, dextera, & sinistra. In dextera locantur Differentiæ divisivæ Ge-  
nerum, & constitutivæ Specierum, quæ sunt in stipe: in sinistra, Diffe-  
rentiæ eorundem Generum divisivæ, sed Speciebus in trunco positis re-  
pugnantes. Hæc ut oculis capias, en Typus, aut Arbor umbratilis, quæ  
de more proponimus, & in qua dirigitur exempli gratia Prædicamentum  
Substantiæ, quatenus descendit usque ad hominem individuum.



*Doctrina de Prædicamentis, quantum Logica interst, explicatur.  
Ubi de Relatione fusiüs.*



Rædicamenta propriè spectant partim ad Physicam, partim ad Metaphysicam. Quare de illi ea tantum in præserti dabimus,

quæ Logicum nosse oportet, tum ut Logicæ doctrinam melius intelligat, tum ne penitus ad alias Scientias peregrinus accedat. Idcirco totum modum Tractatum unica Disputatione complectimur.

## CAP. I.

*Antepædicamenta declarantur.*

**I** Univoca, Æquivoca, Analogæ, & Denominativa, vocantur Antepædicamenta, eo quod Categoriam ad eam lumen præferant. Ex doctrinam Philosophi, Univoca sic definiuntur *Quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen est eadem: Æquivoca, Quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est diversa: Analogæ, Quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est partim eadem, partim diversa.* De his relege dicta in *Summul. disp. 3. n. 35. & seqq.*

**2** Nomen commune vocari solet *univocum univocans*, vel etiam *univocum in significando*: ratio obiectiva per nomen significata, quatenus ab inferioribus præcisa, dicitur *univoca in essendo*, vel in con-

veniendo: inferiora verò talem rationem participantia, dicuntur *univoca univocata*. Id ipsum intellige de Æquivocis, & Analogis, proportionem servatam.

**3** Quantum ad Univoca scito, quod Univocatio postulat, ut nomen (vel mentale signum) sit commune, id est, ut sit indefinitum, & applicabile pluribus distributive, quale requiritur ad constituendum Univocalem logicum. Postulat item, ut ratio significata per nomen sit eadem, scilicet identitate, vel unitate rationis, vi cuius omnia inferiora quatenus ipsis convenit tale nomen, definiiri possint unica definitione, quæ proprie singulis aptetur. Idem est ratio, ac definitio, ut sepe notavimus: quare, ubi eadem est definitio, ratio est eadem. Ideo S. Augustinus lib. de princip. Dialect. cap. 9., *Ea, inquit, quæ una definitio potest claudere, vocantur Univoca.*

**4** Quod attinet ad Æquivoca, quæ, & homonyma dicuntur, postulant illa quoque nomen commune, id est, cuilibet ex objectis significatis applicabile, aptumque accipi, vel supponi pro quovis eorum. At ratio significata debet esse multiplex, & diversa, tam formaliter, quam realiter: quia nomen æquivocum non significat plura ut unum, sed ut plura, & aliquid in

unoquoque denotat, quod non conveni alijs. Hoc modo nomen *Gallus* significat hominem in Gallia natum, avem Solis prænuciam: fluvium Phrygiæ, Sacerdotæ Cybelès.

5 Quapropter *Æquivoca* æquivocata, prout nomini æquivoco substant, diversas habent definitiones: *illis enim* (inquit S. Augustinus loc. cit.) *quæ sub uno nomine necesse est definiri diversè, æquivocum nomen est.* Unde dixit Philosophus, *Æquivoca* prius esse dividenda, quàm definienda. Nam quæretî, quid sit *Gallus*? nequit unicâ definitione, satisfieri: sed prius videndum, an sermo sit de galinaceo, an de homine Fraco, &c. Nihil tamen prohibet, æquivoca omnia, secundò intentionaliter accepta sub hoc termino *æquivocum*, qui est terminus secundæ intentionis, uniformiter definiri, sicuti definita sunt, num. 1.; conveniunt enim in ratione *æquivoci*, sicut omnis differentia in ratione *differentiæ*.

6 Si quæras, an mentis conceptus possit esse æquivocus? Negandum puto: quia licet simplex conceptus fortassè valeat exprimere plera ut inter se diversa; numquàm tamen supponi valet pro uno eorum, quin simul accipiatur pro reliquis. At signum æquivocû ex usu communi debet esse idoneû, ut pro quolibet ex diversis significatis seorsum accipiatur ad libitum. Adde quòd alioqui iudicium negativum, si ponatur simplex qualitas, erit æquivocum, v. g. *Homo non est equus.* Imò Sciëntia Dei, quæ certè

repræsentat objecta infinita secundum omnem diversitatem, quam inter se habent, dicèda esset æquivoca; quòd videtur absurdum.

7 Ex æquivocis alia dicuntur à *consilio*, alia à *casu*. *Æquivoca à casu* dicuntur, quæ fortuitò sortita sunt idem nomen, ut homo Francus, & mas gallinaceus, quatenus uterque *Gallus* appellatur: & hæc eadem vocantur *purè æquivoca*. Dicuntur verò *æquivoca à consilio*, quæ conveniunt in nomine propter aliquam proportionem, aut similitudinem, quam inter se habent: & hæc eadem sunt *Analogæ*, quæ medium locum tenere dicuntur inter *Univoca*, & *Æquivoca*.

8 Aristoteles tamen in præsentî non explicat *Analogæ* seorsum, sed ea comprehendit sub *Æquivocis*; quia verè significant plura quatenus definitivè diversa, licet non sine proportione, vel similitudine aliquâ. Hinc differunt à *purè Æquivocis*, & vocantur *Analogæ*. Idem quippè sonat *analogia*, ac *similitudo*, *proportio*, vel *proportionalitas*.

9 Ubi notandum, quòd *proportio* apud Mathematicos est comparatio duarum quantitatum inter se, cum altera se habet ad altera, vel ut æqualis, vel ut inæqualis, ita ut excedat, vel excedatur, v. g. dimidiâ, tertiâ, vel quarta parte: *proportionalitas* verò est comparatio, vel similitudo duarum, aut plarium proportionum inter se, ut si dicatur, Sicut se habent 5. ad 10., ita 50. ad 100.; utraque enim est pro-



portio dimidij ad duplum. Hinc transferuntur eadem nomina ad convenientiam, vel similitudinem inter substantias, qualitates, & alia.

10 Analoga alia sunt *attributionis*, alia *proportionis*, vel *porportionalitatis*. Analoga attributionis definiuntur, *Quorum nomen est commune, & ratio significata eadem secundum terminum, diversa tamen secundum habitudinem ad illum.* Sic analogum est nomen *sanum*, quatenus dicitur de animali, medicamento, & lotio: de his enim omnibus dicitur propter habitudinem ad eundem terminum, nempe sanitatem formalem, significando tamen diversitatē habitudinis, ita ut in lotio denotetur habitudo signi, vel effectus, in medicamento habitudo causæ, in animali habitudo subjecti propriè sanitatē habētis.

11 Analoga proportionalitatis definiuntur, *Quorum nomen est commune, & ratio significata partim diversa, partim eadem secundum proportionem.* Sic *ridere* analogicè dicitur de prato, & homine; quia ut risus hominis placidum ostendit animum, sic amœnitas prati bonam iudicat temperiem soli. Hæc analogia dicitur *impropria*, quoties nomen per metaphoram extenditur ad alia præter proprium significatum: dicitur autem *propria*, quando nomen propriè convenit pluribus, diverso quidem titulo, sed non absque porportionalitate quâdam inter se: ut cum nomen, *principium*, aptatur auroræ respectu diei, causæ respectu effectus & fundamento respectu domus.

12 Triplex alia species analogiæ traditur à nonnullis. Prima dicitur *Analogia inæqualitatis*; cum scilicet ratio significata per nomen, inæqualiter participatur ab inferioribus. Secunda dicitur *dependentiæ*; cum videlicet ratio communis participatur à multis cum essentiali dependentiâ unius ab alio. Tertia dicitur *transcendentæ*; quæ tunc adest, cum ratio communis transcendit formaliter differentias. Verùm Analogiæ istiusmodi, dum non impediunt perfectam abstractionem prædicati communis, non officiant Univocationi logicæ; solumque dici poterunt Analogiæ physicæ, vel metaphysicæ, ut alibi opportuniùs ostendimus.

13 Solet hoc loco disputari, an ratio Entis perfectè præscindipossit ab omni differentiâ? an sit univoca, vel analoga Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti? & an transcendat formaliter differentias omnes? Sed præstat hæc remittere ad Metaphysicam, quam seorsum, Deo dante, dabimus.

14 Restant Denominativa, de quibus præter dicta in Summulis, nihil apparet scitu dignum. Ab Aristotele definiuntur sic: *Quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu.* Sic *Iustum* nominis appellationem habet à *justitia*, à quo vocabulo differt *solo casu*, idest, terminatione; quia incipit similiter, & desinit diversimodè. Sunt qui definitionem subtiliùs interpretentur. Sunt qui ut ineptam reprobent. *Lis est nullius ferè mo-*

menti. Definitio, quam in Sæmmulis dedimus, videtur aptior.

## CAP. II.

*Prædicamenta breviter perstringuntur.*

15 **P**rimum Prædicamentum est *Substantia*; que definitur, *Ens per se*: id est (ut passim exponitur), *Ens independens à subjecto, in quo sit.* Hæc expositio convenit quidem Substantiæ prædicamentali, nimirum Substantiæ physice completæ in suo genere, quæ sola directè ponitur in hoc Prædicamento, qualis est Angelus, Homo, Lapis, &c.. Convenit etiam naturæ completæ in esse naturæ, qualis est v.g. humana in quovis homine. Convenit item materiæ primæ, & animæ rationali seorsum. Sed non congruit plurimis substantijs incompletis, sive partialibus, quæ à subjecto pendent inferi, & conservari, cujusmodi sunt animæ brutorum, & reliquæ materiales formæ, constituentes corpora naturalia.

16 Ut ergo designetur conceptus Substantiæ præscindens à completâ & incompletâ, non uno modo exponitur ab Authoribus illud *per se*. Pro præsentis sat est illud exponere de jure physico ad perfectiorem Suppositi, cui maxime convenit *per se existere*, id est, in se sistere, & non in alio. Itaque verè Substantia erit, *Quod suapte naturâ debet identificari cum Supposito*, sive idemitas sit adæquata, sive inadæquata, propriæque partis cum toto. Conceptus iste omnem Substantiam comprehendit, ut inductione patefcet.

17 Ne verò queraris, quod explicetur ignotū per ignotius, scito, Suppositum in rebus creatis esse, *Quod naturam integram habet incommunicabiliter*, ita ut nec ipsum habens, nec natura in sensu composito illius, possit per unionem physicam communicari alteri rei, quâ innitatur. Hæc incommunicabilitas provenit à *Subsistentiâ*, quæ naturæ addita constituit Suppositum; ideoque vocatur etiam *Suppositivitas*, & in naturâ rationali *Personalitas*, quia Suppositum rationale vocatur *Persona*, irrationale verò merum *Suppositum*.

18 Si quæras, quid sit *natura*? In Physicâ discies, esse *principium motus*, & *quietis*, ejus in quo est; & tunc esse *integrum* integritate essentiali, eam continet principium activum, & passivum motus &c. Sic natura cujusvis hominis est integra, quia continet corpus, & animam, quæ principia sunt passivum, & activum operationum humanarum. Penitentiorem de Substantiâ, & Supposito notiam dabit Metaphysica.

19 Substantiæ contraponitur *Accidens* physicum, quod definitur, *Ens in alio*, id est, in subjecto, à quo pendet. Sed, ut *inalietas* soli conveniat Accidenti, explicanda est definitio sic, *Quod naturâ suâ debet inniti subjecto cum adæquata*, & *necessariâ distinctione sui à Supposito*. Hujusmodi sunt calor, color, cognitio, amor, &c. Hic observa, quod Prædicamenta reliqua præter primum, sunt quidem accidentia logica, sive in prædicato, quia præ-

dicantur accidentaliter, live extra essentiam subjecti: sed non omnia secundum omnem sui speciem debent esse accidentia phytica, & entitativè distingui ab omni Substantiâ; ut occasione datâ ostendemus.

20 Denique de Substantiâ notandum, quod in serie prædicamentali *Substantia prima* vocatur ab Aristotele, *Quæ nec in subjecto est, nec de subjecto dicitur*; ut est quodlibet individuum substantiale, v.g. Petrus, aut Bucephalus: *secunda* verò *Substantia* appellatur, *Quæ in subjecto non est, dicitur tamen de subjecto*, ut Homo, Animal, aliaque Genera, vel Species.

21 Secundum Prædicamentum est *Quantitas*. Hoc nomine venit id, quo res corporea redditur capax dimensionis, potensque minui, vel augeri secundum extensionem, aut numerationem. Interdum transfertur etiam idem nomen ad res incorporeas, quarum nobilitas magna, vel parva, dicitur *Quantitas perfectionis*. *Quantitas*, de quâ in præsentî, alia est *continua*, alia *discreta*. *Continua* est, *Cujus partes communi aliquo termino copulantur*; qualis invenitur in tabulâ, cujus partes aliquo puncto, tamquam communi termino, conjunguntur. *Discreta* est, *Cujus partes nullo communi termino copulantur*; qualis reperitur in numero. *Continua*, alia est *permanens*, nempe cujus partes simul existunt, ut in tabulâ: alia est *successiva*, videlicet, cujus partes continuo existentis fluxu dilabuntur, ut partes temporis.

22 *Quantitas* ab Aristotele describitur per divisibilitatem in partes integrales, quarum quælibet post divisionem possit existere velut quoddam totum; ut accidit v. g. in partibus aquæ maris. Illa tamen non est definitio essentialis, ut omnes agnoscunt. Aptior est definitio hæc, *Accidens, quo redditur corpus necessario exigens extensionem suarum partium in loco*, ita scilicet, ut pars una non sit in loco alterius.

23 Aptior adhuc est, & Nostris communiter probata, hæc alia definitio, *Accidens, quo redditur corpus naturaliter impenetrabile cum alio corpore* id est, ita occupans locum, ut nulla vi naturali possit inibi simul esse cum alio corpore, quâ nvis possit Divinitus. Unde inferes, quod sola *continua*, & *permanens*, est propria *Quantitas*; *discreta* verò, & *successiva*; non nisi analogicè. Plura de his in *Metaphysicâ*.

24 Tertium Prædicamentum est *Qualitas*: quæ, missis alijs explanationibus, non incongruè definitur sic; *Accidens physicum non pure modale, quod formam sequitur potius, quàm materiam*. Hinc satis differt à *Quantitate*; quia hæc & ex materiâ dimanat ut proprietas ejus, & materiam imitatur in eo, quod non sit activa, & sit aliorum accidentium receptiva. Differt etiam à reliquis Prædicamentis; quia reliqua vel non sunt accidentia phytica, vel sunt pure modalia. Nulla est autem *Qualitas*, quæ non potius formam, quàm materiam sequatur

saltem per imitationem; ut alibi magis explicabitur.

25 Quatuor species Qualitatis distinxit Aristoteles. Ad primam pertinent *habitus*, & *dispositio*. *Habitus* est *Qualitas difficilis mobilis à subjecto*, ut scientia, virtus, vitium. *Dispositio* est *Qualitas facile mobilis à subjecto*, ut sanitas, morbus. Ad secundam, *potentia*, & *impotentia*. *Potentia* est *Qualitas subjectum habilitans ad operandum*, ut in homine visus acutus. *Impotentia* est *Qualitas subjectum impediens, aut retardans ab operando*, ut stulticia. Ad tertiam, *passio*, & *passibilis Qualitas*. *Passio*, prout hic accipitur, est *Qualitas alterationem causans, & cito transiens*, ut pallor ex metu, & rubor ex verecundiâ. *Passibilis qualitas* dicitur, *quæ alterationem causans, diu permanet*, ut pallor ex ægritudine. Ad quartam *forma*, & *figura*. *Forma* hic sumitur pro externâ corporis specie, pulchrâ, vel fœdâ. *Figura* sumitur pro terminatione quantitatis, quæ reditur corpus rotundum, quadratum &c.

26 Quartum Prædicamentum est *Relatio*, de quâ fusiùs cap. sequ. Quintum est *Actio*, quæ definitur *Ultima, & formalis determinatio cause ad producendum*, censeturque modalis entitas distincta à causâ, & effectu. Cum *Actio* dependet a præsupposito subjecto, dicitur *Eductio*, vel *Generatio*, ut cum ignis ex præsuppositâ materiâ gignitur: cum non ita pendet, sed effectum producit ex nihilo, dicitur

*Creatio*, ut productio Angeli. Sextum est *Passio*, quæ definitur ultima, & formalis determinatio subjecti ad recipiendam formam, quæ in eo sustentetur; hæc etiam creditur in entitate modali consistere.

27 Septimum est *Ubi*, seu *Ubicatio*, seu *Præsentia*, quæ est *Ultima determinatio rei ut sit in loco*. Octavum est *Quando*, seu *Duratio*, quæ est *Ultima determinatio rei ad aliquod tempus*. Nonum est *Situs*, qui significat posituram partium corporis in loco, per quam homo v. g. dicitur stans, sedens cubans, &c. Decimum est *Habere*, quod accipitur hic pro exercitio habendi circa se ornatum, vel quid simile ab arte, vel industriâ quæsitum, ut esse armatum, togatum, redimitum &c.

28 Jam ut res prædictæ in Prædicamento locentur, septem conditiones assignari solent his versibus.

*Vox una, & simplex, rebus  
concinna locandis:*

*Entia per se se, finita, realia,  
tota.*

Prima conditio est, ut eligatur *vox una* in significando, nempe significans objectum, vel unum realiter, ut vox *Petrus*, vel unum formaliter, ut vox *Homo*: unde relegantur voces equivoce, vel analogæ. Secunda, ut eligatur vox *simplex*: unde excluduntur termini complexi. Tertia, ut vox sit *concinna*, idest, non grammaticè dissona.

29 Reliquæ conditiones requiruntur ex parte rerum. Nam quæ res in Prædicamento locantur, debent

bent esse *Entia per se se*; quo rejiciunt entia per aggregationem, ut acervus lapidum: item *Entia finita*; & ideo Deus, aut *Attributa Divina* sunt extra *Prædicamenta*: item entia *realia*; quo removentur entia rationis: demùm entia *tota*, id est, in suo genere completa; quo removentur entia partialia, ut materia, & forma substantialis, quæ seorsùm, aut ratione sui non habent locum in *Prædicamento Substantiæ*, sed tantùm prout inclusæ in composito; atque etiam partes metaphysicæ, quæ adjectivè concipiuntur, nempe *Differentiæ*, quæ non in stipite *Arboris*, sed indirectè ad latera collocantur.

## CAP. III.

## QUID SIT RELATIO?

Et quotuplex?

30 CUM passim occurrat, vel in *Logicâ ipsa*, mētio *Relationis*, non oportet eam diutiùs inexplicatam præterire. *Relatio* idem sonat, ac *respectus*, *ordo*, vel *habitus* unius ad aliud. Ideò *Relativa* definiuntur ab *Aristotele* in præsentî, *Quorum esse est ad aliquid se se habere*. Sic esse denominationum istarum, *pater*, *filius*, *similis*, *equalis*, *maior*, aut *minor*, fitum est in respiciendo aliud extremum, sive terminum, cui res denominata cõfertur. *Relatio* ergo concipitur velut forma quædam, quæ tales denominationes præstat subjecto in ordine ad aliud quid, ab eo distinctum.

31 Unde in *Relatione* consideratur conceptus *In*, & concep-

tus *Ad*. *Quatenus Relatio* inspicitur ut *subjecto inherens*, habet conceptum *In*: quatenus verò spectatur ut *subjectum referens ad terminum*, habet conceptum *Ad*. Et quia conceptus iste proprius est *Relationis* ut *condistinctæ à reliquis Prædicamentis*, ideo *Philosophus* hocce *Prædicamentum* vocat *Ad aliquid*.

32 *Relatio* sic adumbrata dividitur 1. in *realem*, & *rationis*. *Realis* est, quæ rebus existit independentè ab *Intellectu*. *Rationis* est, quæ vel ab *Intellectu* fingitur, vel in ipsâ *mentis operatione*, prout *objectum denominante*, consistit. Dividitur 2. in *Relationem secundum esse*, quæ cum *reali* coincidit; & *Relationem secundum dici*, quæ tunc accidit, cum res in se absoluta concipitur à nobis instar *respectivæ*, seu per speciem rerum *relativarum*, & terminis *comparativis* explicatur; nec tamen ulla ipsi tribuitur ex parte *objecti relationis*: quemadmodum res *spiritualis* à nobis concipitur instar *corporeæ*, v. g. *Angelus* instar *alati juvenis*, quàmvis nulla ipsi tribuatur *corporeitas* vera, vel *ficta*.

33 Dividitur 3. in *mutuam*, & *non mutuam*. *Prima* datur, cum duo extrema se se invicem respiciunt, ut *pater*, & *filius*. *Secunda*, cum *respectus*, aut *ordo* non est *reciprocus*. *Relatio mutua*, alia dicitur *equiparantiæ*, quæ scilicet eodem modo denominat utrumque extremum, ut *Relatio similitudinis*, aut *æqualitatis*: alia *disquiparantiæ*, quæ suis extremis *diversas* tribuit

buit denominationes, ut Relatio patris, & filij, vel majoris, & minoris.

34 Dividitur 4., & principaliter, in *transcendentalem*, & *prædicamentalem*. Transcendentalis est, quæ tota realiter identificatur cum immediato subjecto, quod referri dicitur: ideò non est à subjecto separabilis: nec semper postulat existentiam termini; sed sæpe respicit terminum purè possibilem,

35 Exemplo sint respectus unionis ad extrema, actionis ad effectum, cognitionis ad objectum, potentiæ ut productivæ ad suos terminos ut producibiles, & generativum respectus illi, qui consistunt in exigentia subjecto extrinsecà, vel in aptitudine per se ordinatà ad aliquid.

36 In his omnibus Relatio est penitus identificata subjecto proprio, & immediato; & ideò vocatur *transcendentalis*, quia subjecti essentiam intimè transcendit; vel etiam, quia non pertinet ad certum aliquod Prædicamentum, sed omnia transcendit sub proprijs eorum conceptibus: nam Ubiatio, Actio, & Passio sub proprijs conceptibus transcendentalem Relationem præferunt ad corpus, agens, & passum; quodlibet Accidens ad substantiam; quælibet item entitas incompleta ad suum complementum; imò quælibet creatura ad primam causam.

37 Relatio verò prædicamentalis est, quæ realiter distinguitur, saltem inadæquatè, à subjecto im-

mediato; ideòque ipsum jam in suo esse constitutum velut accidentaliter denominat: estque ab ipso plerumquæ separabilis, seu potens deficere permanente subjecto, & semper indiget termino actualiter existente. Exemplo sint Relationes equalitatis, similitudinis, paternitatis creatæ, coexistentiæ, majoritatis, &c., quarum indolem explicabimus inferius.

38 Sola Relatio prædicamentalis est, quæ propriè pertinet ad Prædicamentum Relationis; diciturque *habere totum suum esse ad aliquid*, videlicet pro explicito, quia, dum apprehenditur denominatio relativa ut talis, v. g. denominatio *similis*, nihil in eà primo aspectu apparet, nisi quoddam esse connotans aliquid à subjecto distinctum. Vel intellige ly *totum de esse* Relationis in genere; nam Relatio in specie, prædicata sua peculiariter formaliter includit.

39 Aristoteles 5. Metaph. cap. 15. prædicamentales Relationes distribuit in tria genera. Primum earum, quæ fundantur in *unitate*, & *numero*, id est, in *cōvenientia*, & *disconvenientia*. Tales sunt Relationes *majoris*, & *minoris*, *equalis*, & *inæqualis*, *similis*, & *dissimilis*, *ejusdem*, & *diversi*. Ubi nota, quòd Aristotelicà phrasi *identitas* in præf. mi sonat convenientiam duorum in substantià, sumptà *substantià* generationis pro essentia cujusque entis: *similitudo* propriè sonat convenientiam in qualitate: *equalitas*, convenientiam in quantitate.

40 Secundum genus est earum, quæ fundantur in *actione*, & *passione*, sive phylicâ, ut *Relatio producentis*, & *producti*; sive intentionali, ut *Relatio cognoscentis*, & *cogniti*; sive morali, ut *Relatio domini*, & *servi*. Huc etiam pertinent *Relationes unitarum* per unionem distinctam, *ementis*, & *vendentis*, *mariti*, & *uxoris*, & aliæ hujusmodi.

41 Tertium earum, quæ fundantur in *mensurâ*, & *mensurabili*, ut *Relatio Scientiæ ad scibile*: ubi non est sermo de mensurâ quantitativa (hæc enim fundat *Relationem æqualitatis*), sed de mensurâ objectivâ, cui proportionatur perfectio actûs: dicitur enim objectum mensura cognitionis, quia perfectionem ejus regulariter ex objecto colligimus. Uerùm hæc *Relatio* re ipsâ est transcendentalis ex parte Scientiæ; solumque erit prædicamentalis in objecto ut cognito, & ad secundum genus reduci poterit.

42 Denique diligenter notandum, in omni denominatione relativâ reperiri *subjectum*, *terminum*, & *rationem fundandi*. *Subjectum* (quod, & *fundamentum* appellatur) est id, quod refertur, & in comparatione mentali accipitur in recto. *Terminus* est id, quod ab alio respicitur, & in comparatione mentali accipitur in obliquo. *Ratio fundandi* (quæ vocatur etiam *fundamentum proximum*) est id, quod ex parte objecti movet Intellectum, ut *subjectum* concipiat comparative ad terminum. Sic, dum dicimus,

*Petrus est Paulo similis in albedine*, *Petrus* est *subjectum*, *Paulus* est *terminus*, *albedo* in utroque existens, est *ratio fundandi*.

43 In *Relativis transcendentibus* *ratio fundandi* (quæ juxta omnes est *Relatio ipsa*) consistit in solâ *essentiâ subjecti*. At in prædicamentibus diversa est juxta diversa genera *Relationum*, de quibus nuper ex *Aristotele*. Nam in primo genere *ratio fundandi* consistit in illâ formâ, vel prædicato duplici, *ratione* cujus conveniunt, aut disconveniunt *subjectum*, & *terminus*: & aliquando est indistincta realiter à *subjecto*, & *termino* simul sumptis: cum enim *Petrus* refertur ad *Paulum* *relatione identitatis* (id est, *similitudinis in substantiâ*), *ratio fundandi* est *substantia utriusque*: &, cum duæ *albedines* in abstracto dicuntur *similes*, vel duæ *quantitates æquales*, *ratio fundandi* est *utraque albedo*, vel *utraque quantitas*: sed adhuc realiter inæquatè distinguitur à *subjecto*, siquidem constituitur etiam ex *termino*. Aliquando realiter distinguitur ab utroque, ut quando dicuntur *similes in albedine* duo *parietes*; tunc enim *ratio fundandi* est *albedo utriusque*.

44 In secundo genere (ad quod & tertium reducitur, ex n. 41). multi volunt, ut *ratio fundandi* sit *aptitudo*, vel *potentia subjecti ad actionem*, aut *passionem*; *actio* vero, vel *passio*, sit tantum *conditio necessaria*. Sed, quod ipsamet *actio* vel *passio*, vel *unio*, &c., sit *ratio*

fundandi, sentiunt plures alij: quorum sententiam præferimus; tum quia clarius est, & expeditior; tum quia non alia est forma denominationum recipientis, & recepti, producentis, & producti, patris, & filij, &c.

45 Nec obstat quod Petrus dicatur actualiter pater Joannis, transacta physice actione generativa, quandiu existit uterque: ad hoc enim sufficit quod actio perseveret moraliter. Si ab actu peccati physice præterito, & moraliter permanente, dicitur homo verè, & propriè peccator, odio dignus, & reus iræ.

## CAP. IV.

In quo consistat Relatio prædicamentalis?

46 **T**Riplex est sententia. Prima totam Relationem (saltem primi generis, de quo maximè disputatur) identificat cum solo fundamento proximo, seu cum ratione fundandi, quæ se tenet ex parte subjecti relati, ita ut terminus, & quidquid se tenet ex parte termini, nullatenus cõstituat intrinsicè Relationem, sed sit purum connotatum extrinsecum, quàmvis necessariò requisitum, ut Relatio detur. V. g. Relatio, quæ album A. dicitur simile albo B., tota consistit in albedine A.; requirit tamen necessariò existentiam albedinis B., tamquam purum connotatum extrinsecum. Ab hac de connotatis doctrinâ, quâ passim aliàs utuntur, Auctores ejus Connotatores appellantur.

47. Secunda Rationem sta-

tuit in modo quodam accidentali realiter distincto à subjecto, termino, & ratione fundandi, qui modus inhæreat subjecto relato, nec aliud munus habeat, quàm purè respicere terminum; ideòque ipse sit Relatio formalis, nẽpe similitudo, æqualitas, paternitas, filiatio, &c. Ita sentiunt Thomistæ, & plerique Scotistæ. Tertia Relationem identificat cum ratione fundandi adæquatè sumptâ, prout hæc à nobis explicata est ad finem capiti præced., adeòque prout spectat etiam ad terminum in primo genere. Ita communiter Auctores nostri, quos alij sequuntur.

Rejicitur prima sententia.

48 **C**Laritatis gratiâ loquamur de Relatione coexistentiæ Petri ad Paulam, quam Connotatores dicunt identificari cum solâ existentia Petri (adde insuper modum durationis, si fortè datur, de quo nulla quæstio in præfenti), quàmvis ita connotet actualem existentiam Pauli, ut sine illa stare nullatenus possit. Arguitur ergo sic: existente Petro, & deficiente Paulo, dicta Relatio coexistentiæ non existit, ut certum est omnibus: ergo dicta Relatio non identificatur adæquatè cum solâ existentia Petri. Patet Consequentia: quia generatim evidens est, quod ex duobus adæquatè identificatis nequit unum in rerum naturâ existere sine altero: ideòque separabilitas, quâ possit unum existere non existente altero, ab omnibus censetur signum evidens distinctionis realis.



49 Alijs terminis. *Id*, quo solo deficiente, & manentibus cæteris ab eo adæquatè distinctis, deficit res A., vel est tota essentia rei A., vel saltem pars essentiæ illius: sed deficiente solâ existentia Pauli, & manentibus cæteris, adæquatè ab eâ distinctis, deficit Relatio A.: ergo existentia Pauli vel est tota essentia talis Relationis, vel saltem pars intrinsecè constituens illam. *Minor cum Consequentia* constat. *Major* nititur huic principio per se noto, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*. Si enim id, quod deficit, non est tota essentia, nec constitutum essentiæ rei A.: ergo eo solo deficiente, nihil deficit ex quidditate, & essentiâ rei A.: ergo nec deficit ipsa res A., quæ est sua ipsius quidditas, & nihil ultra: vel, si deficit, sequitur eam simul esse, & non esse.

50 Et ut in materiâ præsentii loquamur, per te tota entitas, quidditas, & essentia Relationis prædictæ, adæquatè, & unicè consistit in existentia Petri actualiter durante: ergo, dum nihil istius existentia deficit, nihil Relationis deficit: aliunde deficit Relatio per te, deficiente existentia Pauli, etsi nihil existentia Petri deficiat: ergo Relatio deficit, quando nihil ipsius deficit. Quid autem est deficere simul, & non deficere, si hoc non est?

51 Dicunt Connotatores, manere posse constitutiva omnia alicujus compositi, quin maneat compositum ex defectu connotati extrinseci (idem dicunt de re simplici,

nempe manere posse totam ejus entitatem, quin res maneat, eo quod tunc partes compositi maneat solam entitativè, & materialiter, non verò formalitèr in esse partium, vel prout partes, & constitutiva sunt; quia non sunt partes, nisi prout connotantes talem terminum extrinsecum. Addunt, manere tunc constitutiva omnia, vel rem ipsam, de qua est sermo, quoad entitatem, non quoad denominationem: item manere quoad implicitum, quidditivè, quoad rectum, ut quod; non autem quoad explicitum, denominativè, quoad obliquum ut quo.

52 Hæc verba sunt sensu vacua. Insistamus Relationi, claritatis gratia. Quæro abs te, an existentiâ Petri, prout formalitèr est essentia Relationis, vel prout connotans terminum, vel ita ut sumatur Relatio quoad denominationem, quoad explicitum, quoad obliquum, vel ut quo: an, inquam, sic accepta constituatur per aliquid distinctum ab existentia nudè sumptâ secundum suam entitatè actu durantem? Si neges: ergo quoties perseverat existentiâ Petri quoad entitatem actu durantem, perseverare debet cum illis omnibus adminiculis, ita ut Relatio maneat cum totâ realitate objectivâ reduplicationum illarum (suppono cum Adversarijs, reduplicationes illas, quoad denominationem, quoad explicitum &c., non consistere in solis verbis, aut conceptibus, sed habere suam realitatem ex parte objecti); alioqui redibit eodem impetu argumentum suprâ factum.

53 Si autem affirmas: jam ergo Relatio *formaliter* ut talis, vel sumptá *quoad denominationem* &c., non consistit in solâ entitate existentia Petri, sed insuper constituitur in esse talis per aliquam aliam realitatem objectivam, saltem *de obliquo*, sive *ut quo*. At de Relatione sic acceptâ nos loquimur. Ubi nota, posse aliquid importari *ut quo*, vel *de obliquo*, & tamen intrinsecè constituisse rem. Sic enim Gratia intrinsecè constituit denominationem *Filij Dei adoptivi*, licet *de obliquo*, & *ut quo*; non enim ea denominatio verificatur nisi de creaturâ rationali.

54 Scio, plura esse ita connexa cum aliquo connotato penitus extrinsecò, ut, eo deficiente, necessariò deficiant. Sic unio connectitur essentialiter cum extremis, & actio cum termino, adeò ut chymericum sit actionem, v. g. existere, deficiente termino, à quo tamen actio distinguitur adæquatè. Sed tunc falsum est, quod actio deficiat, solo termino deficiente, & manentibus in rerum naturâ cæteris entitatibus adæquatè distinctis à termino actionis; nam tunc, præter terminum, deficit etiam ipsamet *entitas* actionis *materialiter* sumpta, *quidditivè*, & *quoad rectum*: & per defectum hujusce entitatis deficit *formaliter* actio; per defectum autem termini solum deficit actio *purè illativè*, quatenus ex defectu termini inferitur defectus entitatis actionis, titulo scilicet connexionis essentialis.

55 Atqui juxta Adversarios

ex defectu termini Relationis non sequitur defectus alterius entitatis, ex quâ Relatio constituitur: ergo ex defectu termini non deficit Relatio *purè illativè*. Vel ergo Relatio permanet adhuc; vel, si deficit, *formaliter* deficit, eo quòd intrinsecè constituitur ex termino.

56 Undè colliges, importunè instari nostrum argumentum in actione, unione, & alijs metaphysicè connexis cum alio adæquatè distincto. Numquam enim salvatur, quòd deficiente termino, maneat actio *materialiter*, *quoad entitatem*, *quoad rectum*, &c.: immò quotiès deficit actio, ut *connotans* terminum, deficit etiam *entitivè*, seu *quidditivè*, ipsaque *formalis connotatio* est inseparabilis ab entitate actionis. Omnia hæc aliter accidunt, quando res aliqua ponitur essentialiter pendens à connotato sibi extrinsecò, quin tamen entitas illius rei, vel aliquod ex constitutivis ejus, habeat connexionem cum tali connotato, sed potius sine illo permanere possit in rerum naturâ. Hoc volunt passim Connotatores, nominatim in Relatione. Id verò mihi prorsus implicatorium apparet, tum hic, tum in quavis aliâ materiâ.

57 Ubi notandum, quòd Thomistæ sæpè utuntur doctrinâ Connotatorum, cum sermo est de munere, seu denominatione rei secundariâ, quam dicunt posse deficere, permanente re, per defectum solum connotati purè extrinseci. Sed quærendum ab ipsis est, an denomi-

natio secundaria identificetur adæquate cum solâ re denominatâ? Si negent: ergo intrinsecè claudit aliquod aliud constitutivum. Si asserant: ergo repugnat, quòd talis denominatio deficiat, permanente re, nisi deficiat simul, & non deficiat, ut suprà generatim arguebamus.

58 Notandum insuper, immeritò à multis allegari nostrum Doctorem Exim. pro doctrina Connotatorum. Eam enim expressè, & efficaciter impugnat *disp. 7. Metaph. sect. 2. n. 3.*, tum generatim, tum speciatim circa Relationem, eodemque utitur argumento, quo nos usi sumus. Quo autem sensu *disp. 47. sect. 2. § 8.* terminum Relationis appellet *connotatum*, vid. in Log. fus.

*Rejicitur secunda sententia.*

59 **S**ententia de modo Relationis superaddito rationi fundandi, licèt chara Thomistis, & Scotistis, *rejicitur* 1. quia præscindendo ab isto modulo, vel si ejus resultantia impediretur à Deo (ut potest, juxta plerosque Adversarios), subsisteret vera similitudo, æqualitas, majoritas, paternitas, &c.: non enim ideò definirer ovum esse ovo simile, nec palmus palmo æqualis, nec totum majus suâ parte, nec genitor prolis suæ pater, & sic de alijs. Et quidem non purè fundamentaliter (ut Adversarij respondent), sed formaliter, id est, verè, ac propriè. Quid enim sonat juxta communem sensum, duo esse propriè similia, v. g. in colore, nisi unum habere talem colorem, qua-

lem alterum? quod certè verificatur per solos colores utriusque unitos.

60 Professò juxta Aristotel. in *Categor. cap. de Qualit.*, *Similia, dissimiliaque per qualitates solas dicuntur: simile enim quidpiam cuiuspiam nullâ aliâ ratione esse videtur, quàm eâ, quâ tale est.* Non potuit Aristoteles, Prædicamenti hujus inventor, clariùs excludere modum superadditum, ut omninò superfluum. Expende illud, *per qualitates solas*, & illud, *nullâ aliâ ratione*: ut videas, an Aristoteles ultrâ qualitates desideret aliud, quod sit tota ratio formalis assimilandi.

61 Adde, quòd impeditâ Divinitus resultantia modi, duo alba forent similia in non habendo modum. Nunc etiam pro signo priorì ad modum prætentum, verè similia sunt in ratione causæ proximè potentis illum causare, vel in ratione fundamenti proximi. Ipsa quoque denominatio *fundamentaliter similis*, quæ, juxta Contrarios, non constituitur per modum, est denominatio formaliter relativa, cum sit contingens albedini, ab eâ separabilis, & impotens à nobis concipi nisi cum ordine ad terminum.

62 *Rejic. 2.* ab absurdo. Nam ex illâ sententiâ sequitur, quavis muscâ denuò productâ, vel se movente, statim resultare mutationes innumeratas in toto Universo; quia statim in omnibus Entibus Universi produci debent novi modi Relationum ad muscam, videlicet *coexistentie, distantie, dissimilitudinis, inequalitatis* &c.; qui omnes modi

reptiè perire debent procurentur mufcà, cã n nequeant fine termino conſervari. Hoc & per ſe diſſonum apparet, & eſt contra D. Thomam.

63 Qui in 5. Phific. lect. 3. ſic ait cum Ariſtotele : *Nibil advenit mihi de novo per hoc, quãdã incipio eſſe alteri æqualis per ejus mutationem.* Et 3. p. q. 16. art. 6. ad 2., *Ea, quæ relative dicuntur, poſſunt de novo prædicari de aliquo abſque ejus mutatione, ſicut homo de novo fit dexter abſque ſua mutatione, per motum illius, qui fit ei ſiniſter.* Alia teſtimonia D. Thomæ, nec non D. Anſelmi, & D. Bonaventuræ, dedimus in Log. ſuf.

64 *Reſp. 3.* Una Relatio refertur ad alias Relationes inconnexas, abſque novo modo, v. g. una paternitas ſimilis eſt paternitati alterius hominis, eſt etiam abſque ulteriori modo diſſimilis Relationibus æqualitatis, majoritatis, coexiſtentia, &c. : ſi enim requiritur ulterior modus, cum de illo idem argumentum fieri poſſit, dabitur proceſſus modorum infinitus. Pariter ergo ſine modo ſuperaddito poterit una albedo referri ad aliam. *Prob. Conſeq.* : tum quia utrumque, vel neutrum probant pleraque argumenta Contrariorum. Tum quia duæ Relationes inconnexæ, & diverſi generis, non aliter inter ſe comparantur, quàm duæ res omninò abſolutæ.

65 Nolunt Thomiſtæ, ut una Relatio reſultet ex aliã: ideoque volunt, ut paternitas A. per ſe ipſam referatur ad omnes alias Relationes,

& res inconnexas. Quodſi ab ipſis quæras, quomodo paternitas A. ſine ſui mutatione incipit, ac deſinit eſſe ſimilis alteri? reſpondent, denominationem *ſimilis*, eo quod fit ſecundaria in paternitate A., deficere per defectum folius connotati extrinſeci. Ex quã doctrinã volunt inſuper, ut Petrus v. g. per unicam paternitatem referatur ad omnes, quos habuerit, filios; per unicam ſimilitudinem, ad quoviſ homines; per unicam coexiſtentiam, ad omnes res actu exiſtentes, &c.

66 Scotiſtæ, licet admittant Relationem ſuperadditam Relationi, tamen, ut evitent proceſſum in infinitum, ſiſtere coguntur in quibusdam modis, qui per ſe ipſos referantur ad innumeratos alios inconnexos. Et cum nolint Relationes iſtas, utique contingentes, conſtitui per terminos, tenentur earum defectum explicare, ſicut Thomiſtæ, per doctrinam Connotatorum. Verum hæc doctrina efficaciter impugnata manet.

*Tertia ſententia præfertur.*

67 **P**æferenda igitur eſt tertia ſententia communis in Scholã noſtrã, quæ Relationem realiter identificat cum adæquatã ratione fundandi. *Probat*ur autem facile. Id, quo præciſe intellecto, Relatio plenè intelligitur, & quo non intellecto penès quamlibet ſui partem, nequit Relatio intelligi, eſt unica, & tota quidditas Relationis. Atqui præciſe intellectã v. g. duplici albedine ut quatuor, alterã unitã Petro, alterã Paulo, intelli-

gimus quidquid sufficit, ut incun-  
tanter dicamus Petram esse Paulo  
*similem* in albedine, ut probatum est  
n. 59., & 60.: & si quælibet ex his  
ce entitatibus non intelligatur, in-  
dividua ista denominatio nequit  
intelligi, ut experienti constabit:  
ergo &c.

68 In Relationibus secundi  
generis res est clarior. Nam in de-  
nominationibus *producentis*, & *pro-*  
*ducti*, *genitoris*, & *geniti*, seu *patris*  
& *filij*, *unitorum*, *conjugum*, &c.,  
que sunt denominationes per se re-  
lativæ, tota, & unica forma est pro-  
ductio, generatio, unio, contrac-  
tus matrimonij, &c.; in quâ formâ  
consistit ratio fundandi, ex dictis  
cap. I. Dicitur autem *ratio fundan-*  
*di*, quia fundat conceptum compa-  
rativum, cum sit ipsamet Relatio  
realis. Nec obstat, quod productio  
sæpe sit actio transiens, & agenti  
extrinseca. Quia non omnis Relatio  
debet esse physicè intrinseca sub-  
jecto, nisi ut summum radicaliter,  
aut fundamentaliter.

69 Hinc *inferes* I., quod  
Relatio prædicamentalis variè con-  
stituitur, juxta varietatem rationis  
fundandi. Aliquando enim consistit  
in complexo duplicis substantiæ, ut  
Relatio identitatis duorum homi-  
num: aliquando in complexo du-  
plicis accidentis absoluti, ut simi-  
litudo, & æqualitas: aliquando in  
simplici entitate modali, ut Relatio  
unionis inter materiam, & formam,  
Relatio producentis, & producti,  
patris, & filij: aliquando in comple-  
xo duplicis modi, ut propinquitas,  
aut distantia localis.

70 Semper tamen realiter  
distinguitur, saltem inadæquatè, à  
subjecto, quod denominatur, ut inde  
à Relatione transcendentali discer-  
natur. Subjectum enim, quod deno-  
minatur v. g. per Relationem con-  
venientiæ Petri, & Pauli quoad na-  
turam, non est complexum utrius-  
que hominis, sed alteruter homo;  
complexum autem gerit munus for-  
mæ, vel quasi formæ dominantis,  
& est integra Relatio, quæ ab uno-  
quoque homine inadæquatè distin-  
guitur.

71 *Inferes* 2., quod potest  
eadem simplex entitas esse Relatio  
transcendentalis sui ipsius ad aliud,  
& prædicamentalis aliorum inter se,  
quatenus illis præstat denominatio-  
nes correlativas. Sic accidit in unio-  
ne, actione, cognitione, quæ semet-  
ipsas transcendentaliter referunt  
ad extrema, ad causam, & effectum,  
ad Intellectum, & objectum; simul-  
que, prout denominant extrema in-  
vicem *unita*, causam *producentem*,  
& effectum *productum*, Intellectum  
*cognoscentem*, & objectum *cogni-*  
*tum*, istorum inter se prædicamen-  
tales sunt Relationes.

72 Unde sequitur, quod en-  
titas realiter indivisibilis (saltem  
in secundo genere Relationum, seu  
quando Relatio est entitas modalis)  
potest esse forma duorum correlati-  
vorum, eorumque mutua Relatio:  
v. g. unio, productio, receptio. *Di-*  
*ces*: ergo, dum Petrus est pater Pau-  
li, paternitas est filiatio: ergo Pe-  
trum denominabit *filium Pauli*. Sed  
vero instantia manifesta est in cog-  
ni-

nitione, & productione. Paternitas igitur in casu posito est filiatio, non Petri respectu Pauli, sed Pauli respectu Petri; hæc autem filiatio verè denominat Petrum, non *filium*, sed *patrem*; quia denominationem *filij* non continet ut dandam Petro, sed tantum ut dandam Paulo.

73 *Dices* iterum: denominationes *patris*, & *filij* sunt oppositæ, petuntque distinctionem realè. *Dist.*: distinctionem realem subjeutorum, *conc.*; formarum, nego: & insto in denominationibus *recipientis*, & *recepti*, *producentis*, & *producti*.

## CAP. V.

FUNDAMENTA CONTRARIA  
dissolvuntur.

74 **O** Bje. 1.: si nostra sententia vera est, Relatio *identitatis*, seu *conformitatis*, quæ Petrus est sicut Paulus in naturâ humanâ, consistet in complexo utriusque. Hoc autem falsum esse probatur 1.: quia complexum illud est undique substantiale: Relatio autem est accidens, cum sit Prædicamentum à Substantiâ distinctum, debeatque subjecto advenire contingenter. 2. quia Relativum, & Absolutum opponuntur, proindeque identificari non possunt: at quidquid est in eo complexo, est absolutum. 3. quia *totum esse Relationis est ad aliud*; quod minimè verificatur de tali complexo.

75 *Resp.* Concedo sequentiam, quin obstant probationes objectæ. *Ad 1.*: Relatio non semper debet esse accidens physicum, & in

essendo, sed potest esse accidens logicum, sive in prædicando, quatenus tribuit denominationem subjecto contingenter. Talis est denominatio *similis actualiter in naturâ humanâ*; prædicatur enim contingenter de Petro; quia ultra naturam Petri, constitutivè involvit naturam Pauli actu existentem; Petro autem accidentarium est, quod existat Paulus.

76 Hinc Petrus absque intrinsecâ sui mutatione transire potest de non habendo ad habendum illam denominationem relativam, aut è converso, per solam scilicet mutationem Pauli. Et instatur in denominatione proximè *fundamentaliter similis in naturâ*, quæ denominatio est etiam contingens, & superveniens Petro, cum exigit existentiam Pauli; & tamen nullum addit accidens physicum.

77 Nec Relatio debet realiter distingui semper à Substantiâ, vel à reliquis Prædicamentis, ut in Metaphysicâ ostendemus. Unde D. Thomas II. Metaph. lect. 9. *ad finem*, *Prædicamenta*, inquit, *diversificantur secundum diversos modos prædicandi*. Unde idem *secundum quod diversimodè de diversis prædicatur, ad diversa Prædicamenta pertinet*. Sufficit ergo distinctio rationis, etiam imperfecta, seu penès modum significandi, ut Prædicamenta dicantur diversa: quia sufficit ad diversos prædicandi modos. En duplex prædicatio. *Petrus est homo, Petrus est Paulo similis in naturâ*. Utraque prædicat aliquid phy-

physicè substantiale; sed valde diverso modo: nam prima est necessaria, & essentialis, nihilque connotat à Petro distinctum; atque ideò pertinet ad Prædicamentum Substantiæ: secunda verò est cōtingens, & defectibilis permanente subiecto, constituiturque per connotationem alterius extrèmi distincti; & ideò pertinet ad Prædicamentum Relationis.

78 *Ad 2. prob.:* si absolutum idem sonet, ac liberum ab omni respectu ad aliud, etiam transcendentali, nihil est in rebus creatis absolutum, ex dictis n. 36. Si autem idem sonet, ac aptum concipi, & explicari in propria specie citra comparisonem cum alio, complexum Petri, & Pauli est quid absolutum; quia verè potest in specie explicari terminis non comparativis, his v. g. *duplex homo, duplex animal rationale.* At in hoc sensu absolutum realiter non opponitur omni relativo, sed dumtaxat relativo entitative modali, quale invenitur in Relationibus secundi generis. Potest enim eadem res tum absolutè, tum comparative concipi. Ut summum dabitur oppositio quoad statum intentionalem, quatenus non est idem cognosci comparative, & cognosci absolutè.

79 *Ad 3. Probat.:* totum esse illius complexi, prout conceptibilis conceptu comparativo, verè est ad aliud pro explicito: quia sub hoc conceptu, *Petrus in natura similis Paulo*, solum explicatur quo modo Petrus se habeat ad Paulum. Vid.

supra n. 38. Sed hic cavenda æquivocatio. Cum audis, quod totum esse Relationis est ad aliud, ne intelligas ad aliud distinctum à tota Relatione primi generis, sed ad aliud à subiecto relato: ut sensus sit iste: totum esse Relationis, quia Petrus dicitur Paulo similis in essentiâ, est referre Petrum ad aliud à Petro, nempe ad Paulum.

80 Ratio est; quia ly *aliud* solum debet intelligi respectu illius subiecti, quod accipit denominationem relati, v. g. denominationem *similis, equalis, majoris, &c.* At Relatio, quatenus est adæquata forma, vel quasi forma, est id quo subiectum denominatur *simile, &c.*, sed non est id quod eam denominationem accipit: est *similitudo*, sed non est *similis*: quemadmodum actus potentie visivæ est *visio*, sed non est *videns*, nec *visus*, nisi purè ut quo; & sic de alijs innumeris.

81 Hinc, si dicas: Relatio respicit terminum ut quid extrinsecum, sive ut quid distinctum. *Dist.:* respicit ut quod, nego; Relatio enim prædicamentalis, quatenus talis est, non est quod respicit terminum, sed est id quo res una respicit aliâ, ideòque definitur, *Respectus*, vel *Habitudo unius rei ad aliam*: respicit ut quo, *subdistinguo*; respicit terminum, ut quid distinctum, vel extrinsecum Relationi adæquatè sumptè, nego; ut quid distinctum, ut extrinsecum soli subiecto, *conc.* Hinc etiâ hæc propositio, *Petrus, ut distinctus à Paulo, est Paulo similis in natura*, vera est, si denotet, Petrum,

ut distinctum à Paulo, esse subiectum, quod denominatur *simile Paulo*; falsa tamen, si denotet, Petrum in se habere quiddam involvitur in denominatione *similis*, tam *ut quo*, quam *ut quod*.

82 Itaque similitudo specifica Petri ad Paulum est quædam quasi forma constituta ex naturis Petri, & Pauli, tribuitque Petro denominationem partim intrinsecam, partim extrinsecam, in quâ denominatione Petrus gerit munus formæ partialis, & subiecti totalis, & Paulus constituit purè *ut quo* denominationem *similis* convenientem Petro. Idem tenentur Adversarij dicere in denominatione *proximè fundamentaliter similis*; necnon cum duæ paternitates, vel duæ similitudines inconnexæ, denominantur *similes*.

83 Ex dictis colliges, quòd similitudo inter Petrum, & Paulum reciprocè refert utrumque extremum per eadem sui constitutiva, cum solâ diversitate subiecti denominati; nam prout est Petri ad Paulum, solum Petrum denominat; & prout est Pauli ad Petrum, solum Paulum. Nec istæ denominationes inverti possunt, ita ut Petrus, aut Paulus denominetur sibimetipso *similis*, nisi propria essentia illius similitudinis invertatur: quia licèt forma sit una, & eadem, cõtinet tamen duos effectus formales, distinctis subiectis determinatè præstandos. Sic, dum ignis A. producit ignem B., una, & eadem productio denominat A. *producentem*, & B. *productum*, non è converso.

84 Unde facilè solvitur, quòd objici solet in Relatione *Majoritatis*, v. g. cubiti ad palmum, quæ constituitur ex utraque quantitate. Videlicèt, quòd palmus ad cubitum referetur Relatione *majoritatis* (si quidem hæc eadem est cum Relatione *minoritatis*), ac proinde denominabitur *major* cubito. Et eadem ratione sequitur, quòd cubitus erit *minor* palmo, cum ad illum referatur Relatione *minoritatis*.

85 Solvitur, inquam, facilè: quia palmus ad cubitum referatur quidem *majoritate*, at non qualicumque, non quæ sit *majoritas* palmi, sed quæ sit *majoritas* cubiti, simulque *minoritas* palmi, cui soli tribuit denominationem *minoris*, & soli cubito *majoris*. Et insto in *majoritate fundamentalis proxima*, & in eâ, quâ Cælum denominatur *majoris* modo Relationis à se producto.

86 *Objic. 2.*: nostra sententia re ipsâ negat Relationes reales. *Prob. 1.*: quia nihil in Relatione *similitudinis* &c. nos admittimus, quod non admitterent Veteres illi, qui Relationes ex parte objecti negasse dicuntur. *2.*: quia nihil ponimus, quod suapte naturâ habeat ordinari ad aliud; nam album A. ex se non ordinatur ad album B., nec vice versâ; complexum autem utriusque nec potest habere ordinem, quæ non habent partes ejus, nec respicit aliud à se distinctum. *3.*: quia non salvamus in Relatione conceptum *In*: nam in Relatione *identitatis* inter duas substantias, nullam damus formam, quæ subiecto inhæreat. *4.*:

quia



quia Relatio est ens *per se unum*: nos autem ponimus unum *per accidens*, sive unum per aggregationem, cuiusmodi est complexum ex duplici albo. 5. : quia vera Relatio debet *resultare* ex fundamento, & termino simul positis.

87 *Resp. neg.* assumptum; cuius probationes non urgent. *Ad 1.*: hoc distamus à negantibus Relationes reales, quòd illi negabant dari à parte rei formalem *similitudinem* &c., quàmvis actu existerent duo alba, solumque in his agnoscebant fundamentum ad actum Intellectus comparativum, in quo consisteret *similitudo* formalis: nos autem agnoscimus, ex parte objecti, & ante operationem Intellectus, quidquid sufficit, ut existat vera, propria, formalis, & completa *similitudo aequalitas, majoritas* &c., adeò ut hæc nomina non necessario verificentur de actu Intellectus comparante objecti, sed plenum habeat in objectis ipsis verificativum. Hæc autem sunt nomina Relationum, quæ nobis reliquit Aristoteles.

88 *Ad 2.*: in Relationibus secundi generis aliquid ponimus, quod suapte naturâ clarè ordinatur ad aliud (transcendentaliter *ut quod*, & prædicamentaliter *ut quo*), v. g. actionem, passionem, unionem. In primo autem genere, v. g. in similitu line duplicis albi, quod ex se ordinatur ad aliud, non est unumquoque album nudè sumptum, & seorsim spectatum, nisi utsumum *inchoativè*, vel *in aptitudinè*; sed est *ut quo* tota similitudo, consistens in

complexo utriusque albi, & conveniens alterutri eorum respectu alterius; quæ similitudo tota ex se ordinatur ad aliud, non quod sit *aliud* à se tota, sed quod sit *aliud* à recto, vel subjecto, cui ipsa convenit, ut jam supra monuimus.

89 Porro *ex se ordinari ad aliud*, est ita se habere, ut non possit explicitè concipi (etiam intuitivè, vel per speciem propriam), nisi comparando unum cum alio. Atque ita se habet illud complexum, quatenus tribuit denominationem *similis*; nequit enim denominatio ista concipi, nisi comparando unum album ad aliud. Nec repugnat quòd totum complexum habeat aliquid, quod non habeant singulæ partes cõsideratæ seorsum; alioquin complexum ex unitatibus non esset numerus; nec complexum ex hominibus esse Respublica.

90 *Ad 3.*: plurimæ Relationes habent physicè conceptum *In*, cùm sint accidentia physicè inherencia subjecto relato, juxta dicta cap. 3. circa rationem fundandi. Quotiès verò ratio fundandi non distinguitur à subjecto, & termino, tunc, sicut Relatio non est accidens physicè, sed tantum logicè, & ex modo prædicandi contingenter, ita non nisi logicè, & ex modo significandi habet conceptum *In*, quatenus videlicet à nobis concipitur, & significatur instar formæ denominatis subjectum, & ipsum efficientis.

91 *Ad 4.*: Relatio debet esse *unum per se*, non unitate physicâ (quam tamen sæpè habet Relatio

secūdi generis), sed unitate logicā, seu prædicationis, quatenus prædicatur sub nomine univoco, spectante ad unum Prædicabile, nempe ad quintum. Nec alia unitas per se requiritur in Prædicamento, ut cernitur in Prædicamento *Habere*, cum dicitur v. g. *Homo est vestitus*.

92 Ad 5. : illa resultantia non est effectiva, sed formalis, scilicet per modum effectūs formalis realiter indistincti, eo sensu quo ex anima, & corpore unitis resultat esse hominis, & ex objecto, & cognitione resultat esse cogniti. Denique moneo, ut præ oculis habeas instantiam in Relatione, quæ referuntur inter se duæ Relationes inconnexæ, utique sine alijs modis super additis, ne isti sint infiniti.

93 Nam in primis, cum duæ Paternitates dicuntur *similes*, nihil apparet in cōplexo utriusque, quod ex se ordinetur ad aliud: una enim Paternitas ordinatur quidem ad suam filiationem, vel ad filiam, sed non ad aliam Paternitatem. Deinde, similitudo illa non habet physicè conceptum *In*; quia Paternitas A., quæ est fundamentum, vel subiectum, nec inhæret sibi ipsi, nec est subiectum Paternitatis B., ad quam refertur. Præterea similitudo non erit *unum per se*; quia consistit in complexo fundamenti, & termini, nisi recurratur ad Connotatores. Postremo, nec apparet quomodò similitudo resultet ex Paternitate A., & B., si simul positus, cum non sit accidens utrique superadditum.

94 Quædam alia argumenta

soluta in Log. fusiore. Ibi quòque diximus, qualiter intelligendus sit D. Thomas, dum sæpe loquitur de Relatione creatā, quasi de accidenti, quod realiter superadditur fundamento. Vocat autem esse Relationis *imperfectissimum*, ac *debilissimum*, pro explicito conceptus *Ad*. Quia denominatio relativa ut talis, quatenus superaddita perfectioni absolutæ subiecti, ferè nihil valoris phylici addit: posito enim quòd Petrus sit albus, non redditur physicè melior, dum illi accrescit denominatio *similis albo alteri*, quæ jam unicè pendet ab existentia termini Petro extrinseci.

95 Ad extremum observa, quòd Relationes Personarum Divinæ Trinitatis inter se, non sunt prædicamentales, sed transcendentales mutæ, quia unaquæque realiter adæquatè identificatur cum suo fundamento, vel subiecto, v. g. Paternitas cum solo Patre, Filiatio cum solo Filio &c.. Quare perpetam hinc inferas, paternitatem in creatis non distingui à subiecto.

96 Observa rursus, quòd in nostris de Relatione principijs sine incommodo admitti potest Relatio prædicamentalis Dei ad creaturas (vel saltem instar prædicamentalis, eo quòd Deus, & quidquid Deo convenit, non ponatur in Prædicamento): quia nihil derogat immutabilitati Dei, cum denominatio relativa possit esse merè extrinsecā, vel certè adesse, & abesse sine ullā intrinsecā mutatione subiecti, per solam mutationem termini; ut ex D.

Thomá vidimus num. 63. Constat Deum contingenter denominari *dominum, creatorem, coexistentem rebus creatis, &c.*; quæ denominationes non sunt ab æterno, sed requirunt existentiam creaturarum, & suaptè naturá concipi non possunt sub ratione talium, nisi conferendo Deum cum creaturis. Vid. Log. fus.

## CAP. VI.

*Reliqua de Relatione perstringuntur.*

97 **S**uperfunt quæstiones aliquot. *Quær. 1.*: utrum Relatio terminetur formaliter ad relativum? id est, utrum paternitas v. g. terminetur ad filium ut filium? an verò ad entitatem absolutam illius hominis, qui filius est? Primum affirmant Thomistæ. Sed negant Auctores nostri, & meritò. Quia paternitas est actio generativa, cujus terminus, sicut & omnis actionis ab effectu distinctæ, est entitas effectus specificativè sumpta, non reduplicativè ut producta: sicut terminus cognitionis, aut visionis, non est objectum ut cognitum, aut visum, sed specificativè sumptum. Terminus item similitudinis, aut æqualitatis, concipi, & exprimi solet sub ratione absolutæ: unum enim album dicitur simile alteri albo, *ut albo*: & unus homo æqualis alteri, *ut certam quantitatem habenti*.

98 Potest quidem dari Relatio prædicamentalis indistincta realiter à termino; si nimirum detur effectus a sui productione indistinctus, ut multi putant de actibus Intellectus, & voluntatis; tunc enim

Relatio causæ ut actu causantis, quæ est productio, non distinguitur à termino; quod etiam patet in Relatione causæ, ut causantis productionem ipsam: non tamen Relatio istiusmodi terminatur ad relativum prædicamentale: quia terminus non refertur invicem, nisi transcendentaliter, ad causam.

99 Hinc inferes, quòd Petrus non est pater Pauli ut filij, sed ut hominis: & quod filiatio, & paternitas non sunt Relationes oppositæ, nisi quoad effectus formales: nam in abstracto sunt eadem simplex entitas generationis. Quia tamen hæc entitas non potest utramque denominationem præstare eadem extremo, sed requirit duo realiter distincta, ideò Relationes illæ dicuntur oppositæ. Nec oppositio ista facit, ut altera relatio, vel denominatio respiciat alteram formaliter; sed tantum ut alterum extremum constituatur, respiciens alterum specificativè sumptum, & vice versá. Quod etiam proportionem servatá contingit in alijs relationibus mutuis.

100 Cùm autem dicitur, quòd *esse relativi est ad correlativum*, sermo est de *correlativo* non reduplicativè, sed specificativè sumpto; sicut cùm dicitur cognitio terminari ad *cognitum*. Sed nota, nos loqui de solis Relationib. prædicamentalis. Nam transcendentales motuæ, cuiusmodi sunt in Divinà Trinitate, ad relativum terminantur. Sic materia prima transcendentaliter ordinatur ad formam prout ex se in-

vicem ordinatam ad materiam.

101 *Quær. 2.* : Utrum detur Relatio non mutua? Affirmat communissima sententia, & in exemplū adducit Relationem scientiæ ad scibile, nec non creaturæ ad Deum. Exempla ista vera sunt de Relatione transcendentali: de quâ, ut plures observant, sæpe intelligendi sunt D. Thomas, & Aristoteles, cum de Relatione loquuntur. Et scibile quidem non refertur ad scientiam, saltem ex primario sui conceptu, sicut vice versâ; quare hoc sensu Relatio scientiæ non est mutua. Deus autem, ut plerique sentiunt, non refertur transcendentaliter ad creaturas, etiam possibiles, licet cum eis connectatur: quia transcendentalis ordo ad terminum diversæ naturæ, videtur importare dependentiam aliquam.

102 Cæterum Relatio prædicamentalis Dei ad creaturas admitti potest sine incommodo, ex n. 96. Admittenda est etiam in scibili, respectu scientiæ, & scientis, per denominationem *sciti*, seu *cogniti*. Quodsi cõsideretur inter scientiam, & scibile commensuratio proportionalis, analogicè conveniens cum quantitativâ, constituetur ex entitatibus utriusque, & erit Relatio prædicamentalis mutua. Quidquid de hoc exemplo sit, Relatio prædicament. non mutua clariùs probatur exemplis num. 98.

103 *Quær. 4.* : an verum sit, quod Relatio prædicamentalis indiget semper termino existente? Affirmat communis sententia, si Re-

latio tota physicè existat: quia vel constituitur per terminum, vel saltem consistit in formâ essentialiter connexâ cum existentia termini, ut in nostris principijs Relatio *patris*, aut *producentis*. Quia tamen aliquæ sunt Relationes, quæ nequeunt totæ simul existere, nec habere constitutiva omnia coexistentia; duas limitationes adhibeto.

104 Prima sit: ut terminus debeat esse existens in aliqua differentia temporis, præteriti, vel futuri. Quædam enim sunt Relationes prædicamentales ad terminum præteritum, aut futurum, v. g. cum Petrus denominatur *posterior Adamo*, aut *prior Antichristo*. Altera sit: ut terminus existere debeat, vel physicè, vel saltem intentionaliter. Denominationes enim *cognoscentis*, & *amantis*, semper important prædicamentalem Relationem Intellectus, & Voluntatis ad objectum: & tamen sæpè respiciunt objectum nullatenus existens, nisi intentionaliter, ut cum cognoscitur chymera, vel amatur bonum purè possibile.

105 Nec ideò tollitur discrimen ex capite isto inter Relationes prædicamentalem, & transcendentalem: nam transcendentalis, quamvis interdum ex indole specificâ requirat terminum existentem, ut cum unio refertur ad extrema, vel actio ad terminum; tamen ex genere suo admittit terminum; purè possibilem, nec existentiam ejus etiam intentionalem petit, sed ab eâ præscindit, ut cum virtus causæ

refertur ad effectus possibiles.

106 *Quer. 4.:* quæ sint proprietates Relationis? *Resp.* Quinque numerat Aristoteles. Prima: *habere contrarium*. Hæc non convenit omni Relationi, ut ipse monet Aristot., sed ei, quæ fundatur in qualitate. Secunda: *fuscipere magis, & minus*. Nec ista convenit omni, juxta eundem: quamvis enim possit aliquid esse alteri magis, aut minus dissimile, vel inæquale; non ita magis, aut minus pater, vel filius. Tertia: *dici ad convertentiam*: id est, ut ex correlativis nequeat alterum sine mentione alterius significari, v. g. nec dominus sine servo, nec servus sine domino.

107 *Quarta: esse simul naturâ.* Quinta: *esse simul cognitione*. Utraque proprietas ferè in idem recidit: nam, ut ait D. Thomas I. p. q. 13. art. 7. ad 6. tunc relativa sunt simul naturâ *quando unum in suo intellectu claudit aliud*, id est, quando sub ratione talis non potest concipi sine alio; & hoc est esse simul cognitione. Si tamen *ly simul naturâ* propriè intelligatur, ita ut neutrum sit causa existentie alterius; non est proprietas generaliter vera, ut idem Aristoteles advertit.

#### CAP. VII.

##### *De Post prædicamentis.*

108 **A**ffectiones quædam Prædicamentorum, de quibus egit Aristoteles in postremis Capitibus, vocantur Post-prædicamenta. Quinque numerantur, videlicet, *Oppositio, Prioritas, Simultas, Motus, & Habere* Oppo-

sitio est quadruplex: *relativa, contraria, privativa, & contradictoria*. Relativa est, quæ versatur inter correlativa, sive inter extrema mutuo relata, consistitque in repugnantia duarum denominationum invicem correspondentium, ut eadem subjecto convenient, saltem in individuo sumptæ; ideoque talis oppositio subjectorum distinctionem arguit. Sic repugnat, quod idem subjectum ex vi ejusdem generationis sit pater, & filius. Hæc oppositio datur etiam in correlativis æquiparantia: nam album A. denominatur *simile albo* B., & album B. *simile albo* A.; neutri autem eorum convenire potest utraque denominationis.

109 Contraria versatur inter duas qualitates se se excludentes ab eodem subjecto, ut inter calorem, & frigus, aut inter alborem, & nigrorem. Privativa, inter formam, & ejus carentiam in subjecto formæ capaci, ut inter visum, & cæcitatem in homine. Contradictoria, inter esse, & non esse rei absolute, loquimur hic de oppositione rerû in essendo: nam oppositio in significando, quæ propria est enuntiationum, in Summulis explicata est.

110 Prioritas contingit quatuor modis, quos hi versus indicant:

*Tempore, naturâ, prius ordine dic, & honore:*

*Causam causato dicimus esse prius.*

Quatuor, inquam, modis: nam prioritas causæ recurrit cum prioritate naturæ. Dicitur prius *tempore*, quod du

duratione præcedit aliud, ut Alexander Cæsarem. Dicitur prius *natura*, quod est causa alterius, vel saltem prærequisitum, aut conditio se tenens ex parte causæ: sic Sol habet naturæ prioritatem respectu lucis, quam producit. Hinc, dum causa producit effectum, etiam in instanti temporis indivisibili, dicitur causa esse *in signo priori* illius instantis, effectus autem *in signo posteriori* ejusdem instantis.

III Huic prioritati annectitur prioritas *in existendi*, vel *subsistendi consequentiâ*; quæ reperitur inter extrema connexa non mutuó, & convenit ei, cujus existentia infertur ex alio, quia vicissim infe-

rat existentiam illius. Prius *ordine* dicitur, quod alijs collocatione præmittitur. Prius *honore*, quod alijs dignitate præit.

III Simultas totidem modis contingit, quot prioritas. Motus est transitus ejusdem subjecti ab uno termino in alium: de quo latè in Physicis. Habere, dum significat habere aliquid circumpositum, ut vestes, aut arma, pertinet ad decimum Prædicamentum: at prout significat habere aliquid quocumq; modo, ut habere divitias, servos, amicos, scientiam, magnitudinem, &c. extenditur per varia Prædicamenta.

## TRACTATUS QUINTUS,

*De quibusdam Dubiis ad Libros Periherménias spectantibus; præcipue verò de Veritate, & Falsitate Enuntiationum.*

**I**N duobus Libris Periherménias, id est, de Interpretatione, differunt Aristoteles de Signo, de Nómine, Verbo, & Oratione, præsertim Enuntiativa. De his egimus in Summulis. Sed supersunt Dubiola quedam de Signo vocali, & Definitione; necnon Quæstiones aliquæ de veritate, & falsitate Enuntiationum; quæ in præsentî resolvi consueverunt.

### DISPUT. I.

*Aliqua Dubia de Signo vocali, ac Definitione.*

#### CAP. I.

*Dubia de Signo vocali.*

**D**UBIT. I.: quænam sit ferma, quæ vox constituitur formaliter in esse Signi ad placitum? Dubium hocce resolvi-

mus in Summul. *disp. 1. cap. 3.* Sed quia huc remisimus objectiones, iterum dicimus, vocem in esse Signi ad placitum constitui per denominationem extrinsecam, cujus forma est voluntas Institutorum cujusque idio-

idiomatis, prout moraliter perseverans in acceptatione, & memoriâ viventium.

2 Ratio: quia vox *taurus* v. g. per illam voluntatem redditur deputata, & ordinata, ut in cognitionem tauri venire nos faciat; & præciso quovis alio, dummodò intelligamus, vocem ab eâ voluntate destinari ad tale munus, intelligimus esse signum, & statim nobis oberrat in mente *taurus*. Id quod perspicuè patet in alijs signis ad placitum, in quibus eadem est ratio. Quid enim aliud facit, ut campanæ sonitus Missam significet, aut ramus vinum vendibile, nisi hominum intentio?

3 *Objic. 1.*: pueri, & rustici non norunt Institutoris voluntatem; & tamen vocum significationem sciunt. Immodò nec sapientes de tali voluntate cogitant semper ac percipiunt signa vocalia. Bruta quòque percipiunt signa ad placitum; cum tamen voluntatem Institutoris percipere nequeant.

4 *Instatur* Objectio: quia rusticus novit valorem monetæ, ignorans, vel non cogitans voluntatem Principis, per quam valor ille constituitur: novit etiam se esse matrimonio junctum, quin matrimonij constitutiva distinctè valeat explicare: imò novit significationem vocum, quin noverit quidquam dicere de formâ Signi, quæcumque sit. Sapientes item, dum loquuntur, sæpe nil cogitant de ente rationis, aut aliâ formâ, per quam tibi placuerit constituere sig-

na vocalia. Imò sæpe constitutum evidenter noscunt, & constitutiva sub proprijs eorum conceptibus prorsus ignorant, vel de illis valde dubitant; ut accidit circâ Continuum.

5 Semper ergo, ac cognoscitur signum ad placitum, cognoscuntur omnia illius constitutiva, proindeque voluntas Institutorum; implicat enim cognosci rem, quin ejus constitutiva noscantur: sed cognoscuntur sub cõceptu confuso, *signum talis rei*; non verò sub conceptibus expressis uniuscujusque. Bruta nullum percipiunt signum ad placitum in esse-talis, ut est certum: quæcumque dant signa, vel percipiunt præter naturam, sunt illis signa ex cõsuetudine; & hæc consistit in facilitate, quam acquirit canis v. g., renovandi speciem alicujus objecti sensibilis, audito materialiter aliquo nomine.

6 *Objic. 2.*: significatio vocum nunc existit; Institutorum autem voluntas jam non existit. Hæc objectio soluta est in Summul. loc. cit. *Objic. 3.*: voluntas Institutorum habet pro objecto significationem vocum: ergo, nesemetipsam pro objecto habeat, oportet ut à significatione distinguatur. *Resp.* Triplex distingui potest significatio. *Alia*, in actu primo remoto, consistens in entitate vocis de se capaci, ut assumatur in signum. *Alia* in actu primo proximo, consistens in aptitudine proximâ ad excitandam cognitionem de re aliqua: & de hac significatione quæ-

tio procedit, illamque dicimus constitui per voluntatem Majorum, cujus non est objectum, sed effectus formalis.

7 *Alia* demùm est significatio in actu secundo, consistens in actuali excitatione cognitionis de objecto, dum vox auditur. Hæc ultima est objectum voluntatis Majorum, qui unicè voluerunt, ut, audità voce, talis in audiente cognitio excitaretur; & eà ipsà voluntate formaliter constituerunt vocem in esse signi. Illa ergo voluntas non respicit se pro objecto; quia significationem in actu primo, non vult signatè, sed formaliter constituit; solùmque vult significationem in actu secundo, a quâ distinguitur.

8 *Dices*: si vult significationem in actu secundo, nequit non velle, ut vox sit Signum, quod est velle significationem in actu primo. *Dist.*: nequit non velle signatè, sive expressè, *neg.*; exercitè, *conc.*: hoc autem non est absurdum, quia omnis volitio exercitè vult se, cum idè quisque velit, quia vult. Totam solutionem aptè explicabis exemplo valoris monetæ, aut voluntatis legislativæ.

9 *Objic.* 4.: Signum pro formali dicit relationem ad signatum; sed Majorum voluntas non est relatio: ergo &c. *Resp. neg. Min.*: quia illa voluntas est transcendentalis relatio sui ad signatum, & potest denominare vocem relatum prædicamentaliter ad idem. Vel, si mavis, fornam Signi voca relationem *secundùm dici*, vel etiam relationem

rationis fundamentalem, de quâ intelligèdi sunt plures Authores, dum signum relatione rationis constitui dicunt.

10 *Dubit.* 2.: quonam ordine vox significet rem, & conceptum? Non est sermo de his vocibus, *conceptus*, *cognitio*, & similibus, quas certum est unicè significare conceptus. Nec item est sermo de naturali significatione, quâ vox, ut quælibet actio voluntaria, supponit, atque adèò significat conceptum de se ipsà. Sermo igitur est de vocibus significantibus res à conceptu distinctas, necnon de conceptibus, quos loquens habet circà res easdè, quas voce significat. *Prima sententia* tenet, rem, & conceptum eque principaliter significari per vocem. *Secunda*, primariò, & immediatè solum conceptum; secundariò, & mediatè rem. *Tertia*, primariò, principaliter, & directè rem; secundariò, indirectè, & ex consequenti conceptum.

11 Hæc ultima sententia vera est: & *probat*. Id voces directè significant, quod loquentes intendunt manifestare, dum ferè loquuntur, nec vanam subtilitatis gloriam aucupantur. Id autem non esse proprios conceptus, sed res, *probat* 1.: quia deberemus alioqui reflexè cognoscere nostros conceptus semper ac loquimur; nemo quippè directè intendit manifestare, quod non præcognoscit. At ut experientia ipsa testis est, plerùmque de rebus loquimur absque tali reflexione.

12 *Probat* 2.: ex intentione



ne docentium, atque discentium in Scholis. Ut enim ait Mag. Augustinus *Libr. de Magist. cap. 14.* Num hoc magistri profitentur, ut cogitata eorum, & non potius ipse disciplina, quas loquendo se trahere putant, percipiantur, atque teneantur? Subjungit: Nam quis tam stultè curiosus est, qui filium suum mittat in Scholam, ut quid magister cogitet, discat?

13 *Confirm.*: quia aliter nobis manifestatur conceptus loquentis per hanc vocem, *cognosco lapidem*, quàm per hanc vocem *lapis*: sed per primam directè, & principaliter manifestatur nobis conceptus loquentis, & indirectè lapis: ergo per secundam è converso. Adde, quòd hæc nomina *Leo, Aries, Taurus, &c.*, non sunt, nec dicuntur nomina conceptuum, sed rerum. *Appellabit Adam nominibus suis cuncta animantia.* Genes. 2.

14 *Objic. 1.*: idè loquimur, ut conceptus manifestemus, & propter humanum commercium, quod consistit in manifestatione conceptuum: nec alium ob finem instituta sunt. Signa vocalia, quæ superflua essent, si conceptus per se se manifestari possent. Primaria ergo significatio vocum respicit conceptus, *R. sp.* Non idè loquimur de rebus externis, ut manifestemus directè, & primariò conceptus formales, sed potius, ut manifestemus conceptus objectivos, id est, objecta conceptuum.

15 Si conceptus per se patere exterioris, non essent necessaria

signa vocalia: sed hoc probat, ea substitui pro conceptibus in munere significandi; non tamen, primarium eorum munus esse significare conceptus, sed potius facere illud ipsum, quod conceptus internè faciunt, & externè facerent, si patecerent, nempe directè, & immediate significare res. Humanum commercium exigit quidem voces aliquas directè impositas ad significandos conceptus, & motus animi; sed insuper exigit plurimas alias primariò institutas ad excitandum in altero notitiam rerum similem illi, quæ in nobis est, & non nisi secundariò notitiam de nostrâ notia.

16 Cùm autem D. Thomas ait, quòd vox non significat rem, nisi mediante conceptu, intelligendus est de mediatione conceptus, non per modum significati propinquioris, sed per modum mensuræ, id est, exemplaris, aut regulæ, quam imitatur vox in significando res extra animam. Commoniter enim dicitur, voces significare conceptus objectivos, & exprimere formales; quemadmodum imago Cæsaris, delineata ad normam alterius imaginis, præcipuè repræsentat Cæsarem, sed exprimit alteram imaginem.

17 Hinc voces significant res ut conceptas, sive ut objectas conceptibus, ly *ut* reduplicante conditionem prærequisitam ex parte loquentis per modum regulæ, seu normæ significandi; qua ratione in exemplo nupero dici potest, quod imago B. repræsentat Cæsarem ut repræsentatum per imaginem A.,

quin ideò hanc repræſentet primario. Hinc etiam diſces, quòd non eſt idem, ſubſtitui pro alio, ac illud ſignificare directè: cùm enim una Regis imago ſubſtituitur loco alterius, non illam directè ſignificat, ſed Regem. Nec ſubſtitutio vocis pro conceptu, eſt ſuppoſitio logica, ut in Summul. notavimus.

18 Hic obſerva, quòd vox *homo* non aliter ſignificat naturam univerſalem, & vox *animal rationale* definitionem hominis, niſi quatenùs altera inſtituta eſt ad excitandum in audiente conceptum indefinitum, altera conceptum definitivum naturæ humanæ: hos tamen conceptus ex parte loquentis non ſignificant, niſi indirectè.

19 *Objic.* 2. : qui loquitur aliter, ac accipit, mentitur: ergo voces maximè ſignificant conceptus. *Neg. Conſeq.*: quia ad mentientium ſufficit, quòd voces non conformètur conceptibus in ſignificando res enuntiativo modo. Aliud autem eſt, quòd voces debeant conformari conceptibus, id eſt, eos imitari in ſignificando; aliud verò, quòd eòſdè præcipuè ſignificare debeant. Illa cõformitatis obligatio probat, conceptus eſſe regulas, aut normas ſignorum vocalium: ſed ſimul convincit, quòd ſicut conceptus directè, & immediatè ſignificant res, ita, & voces eorum imitatrices.

20 *Objic.* 3. : ſcriptura directè, & immediatè ſignificat voces, & non niſi mediatè, & indirectè res: idem ergo dicendum de vocibus relatu ad conceptus. *Reſp.* Multi diſ-

paritatem agnoſcunt, & negant *Conſeq.*: alij negant *Antec.*: utrique probabiliter, ut in Log. ſuſiore videre licet. Sed præſtat dicere, tam vocem, quàm rem immediatè ſignificari per ſcripturam, ſed rem in recto, & per modum objecti verificativi, vocem autem in obliquo, ſeu per modum objecti purè manifeſtati, & non verificantis: quemadmodum, cùm dicis, *creatura Dei*, non ſolam creaturam, ſed Deum etiam ſignificas immediatè, & expreſſè, & tamè Deus non ſignificatur in recto, & per modum objecti verificativi; & ideò verè dicis, *creatura Dei eſt quid finitum, ac limitatum.*

## CAP. II.

*Dubia circa Definitionem.*

21 **D** *Ubit.* 1. : ad quam Intellectus operationem ſpectet Definitionem? *Prima ſententia* tenet Definitionem perfectam in ſolo iudicio conſiſtere. *Secunda*, pertinere ad primam operationem Intellectus, atque adeò in ſolâ apprehenſione complexâ reperiri. *Tertia*, ad primam, & ſecundam operationem pertinere poſſe, ideòque interdum eſſe iudicium, interdum apprehenſionem. *Noſtra ſententia* ſit, Definitionem perfectam ita ſpectare ad primam Intellectus operationem, ut non poſſit in iudicio conſiſtere, niſi quâ parte iudicium continet apprehenſionem, vel apprehenſioni æquivaleret.

22 *Prob.* . Hoc iudicium, *Homo eſt animal rationale*, non eſt definitio hominis, niſi quâ parte continet formaliter, aut æquivalenter

ter apprehensionem, *animal rationale*. Nam quâ parte continet terminum *homo*, est Definitum formale, quod, juxta regulas definiendi, debet non ingredi Definitionem: quatenus verò continet copulam, est prædicatio; sive applicatio Definitionis ad Definitum, proindeque Definitionem constitutam supponit: quemadmodum in hoc, *Homo est animal*, in quo prædicatur Genus de Specie, copula non constituit, sed supponit Genus constitutum.

23 *Confirm. 1.*: quia, si judicium pertinet ad integritatem Definitionis, numquam poterit integra Definitio prædicari de Definito, nec illi subjici: quod est contra inconcussam regulam de conversione Definitionis cum Definito, objectivæ in essendo, formalis in significando. *Confirm. 2.*: quia huic apprehensioni, *Animal rationale*, plenè convenit definitio Definitionis: est etenim *Oratio explicans essentiam rei*, utpotè distinctè manifestans ea, in quibus essentia hominis consistit, & plenè cõstans genere proximo, & differentiâ ultimâ: erg. quidquid ei additur in judicio, est extra rationem Definitionis perfectæ. *Accedit* auctoritas Aristotelis, sæpè docentis, quòd Definitio nihil affirmat, aut negat, idè: que non dicitur vera, vel falsa; sed bona, vel mala.

24 Sed observa, quòd, si judicium, *Homo est animal rationale*, sit realiter indivisibile, secundum se totum erit definitio in sen-

su reali; non enim partes habet, quarum alia præ. alijs sit definitio. Sed tunc nostræ doctrinæ sensus erit, quòd judicium ut tale non est de conceptu formali Definitionis, sicut juxta Adversarios non est de conceptu formali Definiti, quamvis illud ipsum judicium adæquatè identificetur cum Definito. Quare debet inibi distingui per rationem pars, quæ sit Definitio, nimirum tendentia judicij præcisè prout æquivaleret apprehensioni definitivæ.

25 *Objic. 1.*: perfecta Definitio est Modus sciendi perfectus; per apprehensionem autem à judicio sejunctam nihil sciatur, ut patet in hac apprehensione, *stellæ pares*. *Confirm.*: Modus sciendi est oratio: ergo Modus sciendi perfectus est oratio perfecta: atqui nulla apprehensio est oratio perfecta: ergo nulla est Modus sciendi perfectus, proindeque nec Definitio. *Resp.* Si modus sciendi strictè sumatur pro actu generante scientiam propriè talem, ne judicium quidem est Modus sciendi, quia sola demonstratio scientiam generat-

26 Si verò Modus sciendi idem sit, ac Oratio ignoti manifestativa, ut definiiri solet in Summulis, vel, quod eodèdè redit, Oratio dialectica artificiosè declarans id, quod simplici rei nomine confusè significatur; utique apprehensio, *Animal rationale*, est modus sciendi perfectus, cum artificiosè declaret essentiam hominis, quæ confusè significatur nomine *homo*. Hoc autem non convenit apprehen-

fioni, *stellæ pares*; quæ præterea non est fundata, nec fualiva.

27 *Ad Confirm.* En instantiam: vermis est animal; ergo vermis perfectus est animal perfectum: atqui nullum, ex his animalculis dicitur animal perfectum; ergo nullum dici potest vermis perfectus. Potest ergo aliquid esse de genere imperfecto, & tamen dici perfectum in sua specie, quia totam habet perfectionem, quæ in talem speciem cadere potest.

28 *Replie.*: vi solius apprehensionis, *animal rationale*, nondum scimus, quid sit homo; donec illud objectum cum homine comparemus. Nescimus item, cujus rei sit explicatio, donec appareat identitas illius objecti cum homine. *Accedit*, quod Definitio dicit relationem ad Definitum, quo cum proinde simul esse debet in mente. *Resp.* In primis ad hæc omnia non est opus iudicio, sed sufficit apprehensio reflexa comparativa definitionis eum definito. Deinde, licet nondum sciamus, quid est homo, per notitiam comparativam; scimus tamen per notitiam absolutam illius quidditatis, quæ est hominis: scire enim quidditatem hominis, verè est scire, quid est homo,

29 Nec definitio debet signatè dicere, cujus rei sit explicatio; sed solum talis esse, atque ita vividè proponere rei essentiam, ut Intellectus, si terminos penetret, nequeat illam negare de re, cujus est, nec alteri applicare: quemadmodum propria pinctura hominis, quæ

vis non habeat inscriptionem *homo*, non ideò definit esse perfecta ejus imago; imò imperfecta esset, si inscriptione indigeret. Relatio ad definitum sufficit transcendentalis, sicut juxta Adversarios relatio definiti ad definitionem. *Inflabis* iterum: per Definitionem respondetur interroganti, *Quid est homo?* Respondetur autem per enuntiationem. *Resp.* Definitio non est tota responsio, sed illa tantum pars, quam interrogans scire cupit, videlicet prædicatum.

30 *Objic.* 2.: in his iudicijs, *Leo est animal rationale, Homo non est animal rationale*, non datur hominis definitio, cum tamen detur expressio, *animal rationale*. Patet: quia perfecta definitio non coheret cum iudicio erroneo; imò neque cum dubio de convenientiâ ejus ad Definitum. *In primis* negari posset assumptum: quia primum iudicium ideò falsum est, quia leoni applicat definitionem alienam, videlicet hominis: illam ergo continet. Secundum ideò non est verum, quia negat definitionem de suo definito: illam igitur exprimit. Quamvis autem scientia discursiva, seu iudicativa necessariò excludat dubium, & errorem; non sic scientia pure definitiva, quæ non est scientia in sensu stricto.

31 Deinde verior responsio est: quòd ad Definitionem non sufficit quælibet apprehensio prædicatorum essentialium, sed requiritur apprehensio tam clara, perspicua, & ultimata, ut necessitet ad non applican-

eandam talem quidditatem alieno subjecto, nec illam de subjecto proprio negandam, si tunc ad iudicium deveniatur: quemadmodum pictura hominis si perfecta sit, necessitat Intellectum, ut illam nec hominis esse neget, nec iudicet esse leonis.

32 Apprehensiones huiusmodi vocantur *suasivæ*, quia tam vividè proponunt objectum, ut vehementer inclinèt in iudicium, & si ad illud non necessitant quoad exercitium, necessitant quoad specificationem, excludendo radicaliter iudicium contrarium; ideòque, licèt non sint iudicia formalia, quia formaliter nihil affirmant, aut negant, sunt tamen iudicia virtualia, seu radicalia, quatenus ad iudicandum movent, & iudicio equivalent in vè certificandi Intellectum, & excludendi dubium. Talis est apprehensio primorum principiorum: talis & illa, quæ resultat ex visione objecti præsentis, aut quotiès objectum percipimus cum ingenti motivo ad iudicandum.

33 Hujus igitur indolis esse debet apprehensio definitiva, ut patet ex ipso munere Modi sciendi, seu *manifestationis ignoti*; non enim reddet objectum propriè notum, nisi illud eà claritate proponat, ut non possit coherere cum dubio, vel errore circà ipsum. Et hoc est quod alij communiter dicunt, Intellectu non propriè definire, nisi terminos penetret, & penetratis terminis non posse definitionem applicare alieno subjecto, nec dubitare cuius sit. Certè Definitio juxta Aristotelem est

Medium in Demonstratione; in quâ nequit esse Medium, quod non evidenter apprehenditur.

34 Hinc ad *object.* negandum est, quòd Intellectus conjungere possit illa iudicia cum apprehensione perfectè definitivâ, necnon quòd talis apprehensio relinquat locum dubitationi, vel errori. Quare, si quando Intellectus illa iudicia format, tunc apprehensio, *animal rationale*, nec erit apprehensio suasiva, nec propriè definitiva.

35 Dices: apprehensio, *animal rationale*, quâvis non sit suasiva, cõstat nihilominus genere, & differentiâ, & est Oratio explicans essentiam hominis per ejus prædicata essentialia. *Insto* in hoc iudicio conjecturali, *Forstian homo est animal rationale*; quod non est definitio hominis, nec Modus sciendi, si quidem per illud non propriè scitur quid sit homo, nec dubitatio excluditur; & tamen nihil in eo desiderari videtur, ut sit juxta Adversarios perfecta definitio. Si dicas, desiderari evidentiam, aut claritatem, quæ est de conceptu Modi sciendi, idem à nobis tibi dictum puta.

36 Itaque, licèt apprehensio non suasiva possit utcumque constare genere, & differentiâ, esse que aliqualis explicatio essentiæ rei, nunquàm tamè hæc munera præstat perfectè, sive non cum ea claritate, quæ per inet ad conceptum Modi sciendi, & quæ proinde est de essentiâ Definitionis, cuius genus proximum est Modus sciendi; non aliter ac quidquid est de essentiâ ani-  
ma-

malis, est de essentiâ hominis.

37 Denique observa, quòd etiam Divisio non necessariò requirit iudiciam, sed potest in apprehensione salvari, v. g. in hac, *Hominiis alia pars corpus, alia rationalis anima*. Nihil tamen prohibet, eam sæpè consistere in iudicio, v. g. *Hominiis alia pars est corpus &c.*: neque enim in eâ militat argumenta, quæ super Definitione dedimus.

38 *Dubit. 2.*: an Definitio sit Modus sciendi à Divisione distinctus? Nemo dubitat, quin distinguatur à Divisione potentiali, ut in Summul. advertimus. Sed quantum ad Divisionem actualè, & essentialè, sunt qui negativè respondeant: nam quælibet ex his divisionibus, *Hominiis alia pars corpus, alia anima rationalis, Hominiis alia pars animal, alia rationale*, non minùs est Oratio explicans essentiâ hominis, tum physicam, tum metaphysicam, quàm cõsuetæ definitiones hominis: ergo utrisque convenit Definitionis definitio, & essentiâ.

39 Sunt ex adverso, qui distinctionem agnoscant, saltem ex parte modi tendendi: nam Definitio tendit modo compositivo, partes scilicet copulato in unam essentiâ: Divisio è contrâ modo resolutivo, totum scilicet in suas partes distribuendo, seu resolvendo. Hæc autem diversitas sufficit ad diversas species Modi sciendi; sicut ad diversas species Enuntiationis complexæ sufficit diversitas in modo tendendi, ut patet in Copulativa, & Disjunctiva de iisdem extremis.

40 Hæc secunda sententia probabilior apparet, maximè cùm Divisio debeat exprimere Divisum proprio nomine, saltem de obliquo; Definitio autem potius debeat à Definiti mentione abstinere. Ad fundamentum primæ sententiæ dici potest, per Divisionem non propriè explicari essentiâ rei, quia nomine *essentiæ* non veniunt partes distributivè sumptæ, sed copulativè acceptæ.

## DISPUT. II.

### *De Veritate, & Falsitate Enuntiationum.*

#### CAP. I.

*In quo consistat Veritas Enuntiationum? Et an illam essentialiter exigat omnis Enuntiatio vera?*

**N**on est sermo de Veritate transcendentali, quæ est passio Entis ut sic, & convenit etiam enuntiationi falsæ, ut

cuiuslibet enti reali, diciturque consistere in intrinsecâ rerum cognoscibilitate. Sermo est de Veritate Enuntiationum, quatenus correspondentium objectis, quæ vocantur *Veritas formalis*. Hæc ab omnibus definitur, *Conformitas actus cùm objecto*, quâ nimirum actus repræsentat objectum sicuti est, seu quâ

ita

ita se habet ad actum in representando, sicut objectum se habet in essendo. Et ex adverso falsitas definitur, *Disformitas actus cum objecto*, quæ nimirum ab actu representatur objectum aliter, ac est. Quæ definitiones sumuntur ex illo Philosophi pronuntiato, *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.*

2 Varias sententias de constitutivo Veritatis indicavimus, & cursim rejecimus in Log. ful. Sententia in Schola nostrâ communis Veritatem stare dicit in complexo actus, & objecti, ita ut hoc nomine *Veritas* importetur actus in recto, objectum in obliquo, proindeque denominationem *veri* esse partim intrinsecam, partim extrinsecam actui, intrinsecam prout involvit actum ipsum, extrinsecam prout importat objectum,

3 *Prob.*: illa sunt constitutiva cujusque rei, quibus præcisè positis intelligitur res constituta, & quorum quolibet mente secluso, vel præcisè, res intelligitur immediatè deficere. At qui, posito, & intellecto hoc actu, *Petrus currit*, eo præcisè quòd insuper intelligas, Petrum re ipsâ currere, intelligis, actum esse verum, id est, objecto conformem, seu representantem objectum sicuti est: & aliunde, si vel objectum, vel actum mente secludas, aut præscindas, intelligis, conformitatem istam immediatè deficere, vel integram non permanere: ergo &c. *Minor* apparet innegabilis: quis enim concepiat, per illum actum representari cursum Petri si-

cuti est, si præscindat vel à representatione, vel ab eo quòd Petrus re ipsâ currat?

4 *Confirm.* exemplo similitudinis, aut convenientiæ physice, qua v. g. Petrus, & Paulus sunt conformes in esse hominis, aut in qualitate, vel quantitate: nam physica ista conformitas constituitur ex utroque extremo, ut vidimus Tract. præced.; sicut etiam conformitas imaginis artificialis cum prototypo,

5 Unde colliges, per objectum etiam constitui Veritatem formalem illorum actuum, qui sunt necessariò veri. Hæc necessitas aliquando provenit ex sola naturâ objecti de se necessarij, ut si quis ex testimonio purè humano dicat, *Deus est trinus*: aliquando ex solâ intrinsecâ perfectione actus, ut si quis per actum naturalem intuitivum, aut per actum Fidei supernaturalis, affirmet objectum ex se contingens: aliquando ex utroque capite, ut in Visione Beatorum de existentiâ Dei, aut in actu supernaturali de quovis objecto necessario, necnon in actibus scientificis, aut aliâs evidentibus de objecto immutabili.

6 Quando ea necessitas provenit ex perfectione actus (sive objectum sit in se necessarium, sive non), dicitur, & est *Veritas radicalis*, id est, exigentia veritatis formalis, alio nomine *Certitudo cognitionis*. Sed exigentia ista, ubi datur, non sola constituit Veritatem formalem: quia hæc à nemine explicatur per exigentiam conformitatis, aut connexionem actus cum ob-

objecto, sed per actualem cōformitatem, quę est velut terminus illius exigentię, & ab illā realiter inadæquatē distinguitur, utpotē constituta per objectum. Sic, licet cognitio necessariō connectatur cum suo effectu formali, non illum sola constituit. Sic item denominatio *calidi* non minū distinguitur inadæquatē à subjecto illam intrinsecē ex gente, quam à subjecto non exigente, ut patet in igne, & aquā calidā.

7 Et verò, si connexio actus cum objecto solum sit naturalis (ut in naturali cognitione intuitivā objecti contingentis), poterit Divinitus deficere objectum permanente actu cum sua connexione, & exigentiā veritatis; qui tamen non erit tunc formaliter verus. Immo quamvis actus cōnectatur essentialiter cum objecto, si tameningas, objectum permanente actu deficere, non concipies actum formaliter verum, seu conformem objecto. Unde inferes, per objectum etiam constitui veritatem formalem sciētię Divinę prout determinatę ad Creaturas; ut expressē docet Exim. Doctor disp. 8. Metaph. sect. 2. num. 17.

8 Quę de Veritate diximus, intellige eum proportionē de Falsitate, illam scilicet cōstitui de obliquo per carentiam objecti, seu per objectum ut se habens aliter, ac enuntiatur. Quodsi propositio sit negativa, ejus veritas constituetur per carentiam objecti, & falsitas per objecti existentiam.

*Non omnis Enuntiatio, quę vera est, exigit essentialiter, aut ab intrinseco Veritatem.*

9 **P** Hurtado disp. 9. de Anim. a §. 36. putat, omnem actum enuntiativum, sive omne judicium, quod verum est, essentialiter exigere veritatem, ita ut hæc nulli actui vero sit cōtingens; imo hinc infert, veritatem formalem adæquatē identificari cum actu, velut proprietatem ejus metaphysicam. Sed, quod hæc illatio recta non sit, cōstat ex dictis n. 6 & 7. Quod autem radicalis veritas, seu exigentiā veritatis (quę utique multis actibus convenit, ut vidimus n. 5. & 6.) non cōveniant omni actui vero, qui naturalis sit, abstractivus, & inevidens, asserimus in præsentī.

10 Et *prob.*: hic actus, *Petrus currit in foro*, quem suppono verum, sed elicitedum ex motivo fallibili (v. g. ex auctoritate unius testis), potuit idem numero elici non currente Petro; sed tunc esset falsus: ergo de se est indifferens, ut sit verus, vel falsus, consequenterque non exigit essentialiter Veritatem, *Prob. Maj.*: quia, non currente Petro, possent adhuc existere principia omnia, & causę tunc influentes in illum actum, videlicet idem Intellectus, eadem species, idem motivum; nihil enim horum connectitur necessariō cum existentia cursus Petri, & ex his iisdem principiis proflueret juxta Advēfarium alius actus falsus tendentię similis, si Petrus non curreret: at manentibus iisdem principiis prorsus immutatis,



ris, non est cur non posset idem actus elici; nam, ut est in proverbio, *Item manens idem, semper est natum facere idem*: ergo: &c.

11 *Dices*, illi actum pendere ab existentia objecti tamquam ab extrinseca conditione, sine qua principia actus influere non possunt; non aliter ac actus Fidei de objecto contingenti futuro, a futuritione objecti pendet tamquam ab extrinseca conditione. Sed *contra*: ideo futuritio objecti est conditio ad actum Fidei necessaria, quia sine illa nequit existere motivum Fidei, quod est testimonium Dei revelantis: at sine existentia cursus Petri potest abs dubio existere in casu nostro idem motivum judicandi.

12 *Dices* iterum, actum verum connecti cum existentia cursus tamquam cum suo objecto formali; nullus enim actus sine objecto existere potest. Sed *contra*: iudicium falsum, *Petrus currit in foro* posset concipi ex eodem motivo, scilicet ex testimonio unius hominis, idemque objectum signate affirmaret; & idò esset falsus, quia diceret, *Petrum currere*, cum re ipsa non curreret: ergo iudicium verum, quo de loquimur, ex Parte objecti formalis non repugnat falsitati.

13 *Confirm.* ab absurdo. Nam ex contraria sententia sequitur, posse ab Angelo, vel dæmone, in medio naturali cognosci evidenter entia supernaturalia, & ipsum etiam mysterium Trinitatis: si nimirum comprehensivè cognoscat, ut potest, actum naturalem, quo quis

credat ex mera autoritate humana, Deum esse trinum, aut si comprehendat actus illos, quibus hæretici credunt plura Fidei mysteria. Sequitur etiam, diabolum nunquam falli posse in judicijs suis conjecturalibus: cum enim comprehendat propria iudicia, distinctè noscit omnia eorum prædicata essentialia, proindeque, an connectantur essentialiter cum veritate. Eadem absurda sequuntur (ut hoc obiter advertas), si veritas dicatur consistere in modo relationis Thomistico; hic enim juxta suos Authores connectitur essentialiter cum termino.

14 Ex dictis colliges actus etiam de materia necessariam, si naturales sint, & opinativi, aut inevitantes, esse contingenter veros quantum est ex se, quamvis ex immutabilitate objecti nequant esse falsi: v. g. si quis ex mera auctoritate humana iudicet, Deum esse trinum in Personis. Ratio est: tum quia ille actus nititur motivo ex se fallibili, & aliunde nullum principium habet intrinsecè repugnans Falsitati. Tum quia sequeretur alioquin absurdum, de quo nuper.

15 Sed intellige, actus istos non connecti cum suis objectis speciali titulo Enuntiationis, aut Veritatis; quidquid sit de alio titulo generali, quo juxta plures quodlibet ens connectitur cum quolibet qui titulus, juxta suos patronos, non quodlibet ens reddit medium idoneum ad cognoscenda distinctè cætera omnia per comprehensionem creatam.

## CAP. II.

Argumenta contra doctrinam

Capitis precedentis

enervantur.

16 **O**bjic. 1. : si Veritas

consistit in actu, & ob-  
jecto, denominabit utrumque *forma-*  
*liter verum*; quemadmodum si-  
militudo physica utrumque deno-  
minat extremum. *Neg. sequel.*: quia  
denominatio *formaliter veri* exigit  
determinatè pro subjecto actum re-  
præsentantem: definitur enim, *Con-*  
*formitas actus cum objecto*; non ve-  
rò, *Conformitas objecti cum actu*.  
Similitudo physica idcirco utrum-  
que extremum denominat, quia ex  
vi suæ definitionis non determina-  
tur potius ad unum, quàm ad aliud  
& utrumque est capax denomina-  
tionis, quàmvis non respectu ejus-  
dem termini. Oppositum accidit in  
relationibus disquiparantiæ, v. g.  
in majoritate cubiti ad palmum,  
quæ non utrumque denominat *ma-*  
*jores*, licet ex utroque constituatur.

17 *Objic. 2.*: si veritas consti-  
tuitur per objectum, plura sequun-  
tur absurda. 1.: quòd Veritas Di-  
vinæ Scientiæ de peccato, erit ma-  
la moraliter, utpotè ex objecto mo-  
raliter malo constituta; nam, ut  
ajunt, *Malum ex quocumque defec-*  
*tu*. 2.: quòd Veritas meæ cognitio-  
nis enuntiantis Scientiam Dei, sim-  
pliciter infinita erit, imò prorsus  
æqualis Veritati Scientiæ de cog-  
nitione meâ, siquidem utraque Veri-  
tas habet constitutiva prorsus ea-  
dem. 3.: quòd Veritas hujus actus,  
*Hircocervus est chymera*, erit Veri-

tas impossibilis, & chymérica; nam  
chymericam est id, cujus vel unum  
constitutum est chymera. 4. quòd  
poterit aliquid de præsentante, re,  
non existente constitutivo ejus, v. g.  
Veritas hujus actus, *Troia fuit*.

18 *Resp.* Hæc omnia instan-  
tur in denominatione *cogniti*, quæ  
certe constituitur ex objecto, & ac-  
tu. Nam pariter sequitur 1., quòd  
Scientia Divina de peccato, ex se  
refundit effectum formalem mora-  
liter malum; & quòd peccatum *esse*  
*à Deo cognitum*, est quid malum. 2.:  
quòd Scientia Dei tam perfectè est  
*à me cognita*, quàm mea cognitio *à*  
*Deo cognita*, siquidem utraque de-  
nominatio habet constitutiva prorsus  
eadem 3.: quòd denominatio  
*cogniti*, cadens in Hircocervum, est  
denominatio impossibilis, & chy-  
mera. 4.: quòd nunc existit deno-  
minatio *cogniti* sine subjecto, ex  
quo intrinsecè constituitur, ea ni-  
mirum, quæ provenit ex cognitio-  
ne, *Troia fuit*, vel ex alijs de ob-  
jecto futuro, præterito, vel purè  
possibili.

19 Igitur *neg. 1. sequel.*: quia  
Veritas eas dumtaxat donomina-  
tiones suscipit, quarum est capax ac-  
tus, utpotè qui significatur in recto,  
non solum hoc nomine *actus verus*,  
sed etiam hoc nomine *Veritas*: actus  
autem Divinæ scientiæ non est ca-  
pax denominationis *mali morali-*  
*ter*, sicut nec alia quævis cognitio  
enuntians peccatum, in quod nulla-  
tenus influit; nam ex suppositione,  
quòd alius peccet, non est malum  
cognoscere peccatum sicuti est. Nec  
pec-

peccatum refundit denominationem *mali* in omne Constitutum, cuius est pars; ut patet, tum in denominatione *cogniti*, de quâ nupèr; tàm in Justificatione, quæ constituitur per peccatum, tamquam per terminum à quo.

20 Illud verò, *Malum ex quocumque defectu*, intelligendum est de defectu alicujus circumstantiæ, vel partis, ex ijs, quas Constitutum, alioqui bonum, habere debet, & non habet. Veritati autem, de quâ est sermo, nihil deficit, *Replie.*: Deus amat Veritatem suæ sciëntiæ de peccato. *Dist.*: Veritatem radicalem, *conc.*; formalem, *subdist.*: amat secundum rectum, *conc.*; secundum obliquum, *neg.* Hoc modo Deus amat Justificationem nostram, & suam Oppositionem cum peccato.

21 *Neg.* etiam absolutè 2. *sequel.* Quia licèt materialiter, & in esse Entis non detur inæqualitas, inter binarium ex creatura, & Deo, & binarium ex Deo, & creaturâ; nihilominus constitutiva ista diversimodè importatur hoc nomine, *Veritas cognitionis creatæ*, & hoc, *Veritas Scientiæ Divinæ*; nam primo nomine importatur creata cognitio tamquam rectum, id est, tamquam unicum subiectum denominationû; secundo autem, nonnisi cognitio Divinâ. Et hinc fit, ut prima illa Veritas nec sit æqualis secundæ, nec in finita: quia rectum ejus est incapax talium denominationum.

22 3. *sequel. dist.* sic: Veritas illius actus erit impossibilis, & chy-

merica, secundum rectum, *neg.* secundum obliquum, *subdist.*: secundum obliquum erit chymerica in esse entis, *conc.*; in esse veritativi, id est, in ordine ad denominandum actum *conformem objectum*, *neg.* quia in hoc sensu nulla chymera est chymerica, nec impossibilis, dum enuntiat ut talis. Vel paulo aliter: secundum obliquum erit chymerica in ordine ad existentiam realem, *conc.*; in ordine ad existentiam intentionalem sibi proportionatam, *neg.*: sic enim nullum objectum est chymericum.

23 Ad 4. *sequel.*: Veritas propositionum de objecto præterito, futuro, & purè possibili, non existit tota physice, quando existit actus; sed solum dicitur existere tota morali modo, quatenus objectum enuntiatum, sicuti fuit, erit, aut esse potest, perinde correspondet enuntiationi, ac objectum de præsentem enuntiatum sicuti est; & idcirco perinde valet, ac objectum præsens, in ordine ad acceptionem Veritatis usualem: quod est morali modo nunc existere. Plura certè sunt Constituta, quæ absolutè dicuntur existere per existentiam unius partis. Sic se habet denominatio *cogniti*, de quâ supra: item denominatio *prioris*, aut *posterioris temporaliter*: item cum homo dicitur *senex*, aut domus *antiqua*, per annos præteritos.

24 *Objic.* 3.: Veritas est perfectio Intellectus; ergo non constituitur per aliquid extrinsecum. *Prob. Antec.* 1. à pari: quia bonitas est per-

fectio Voluntatis, & in ejus actibus tota consistit. 2.: quia Veritas est Attributum Dei, qui & ipse Veritas appellatur. 3.: quia error, seu falsitas, est imperfectio mentis; nam ideo repugnat in mente Divina, & ideo habitus errandi, seu falso judicandi, magna imperfectio est humanæ mentis; & ideo etiam non licet mentiri, seu alios decipere. 4.: quia Intellectus innatè appetit Veritatem, & innatè refugit falsitatem: appetitus autem innatus non quærit, nec refugit, nisi bonum, aut malum intrinsecum.

25 Objectio instatur: quia Veritas externæ locutionis non est intrinseca verbis, nec loquenti; & tamen dicitur perfectio loquentis, sicut externum mendacium imperfectio non moralis; & ideo repugnat Deo; & ideo nec licet nobis vocali mendacio decipere quemquam; & etiam ideo habitus, vel consuetudo barbære loquendi, pejerandi, blasphemandi, quavis absque internâ advertentiâ, magna censetur imperfectio.

26 Itaque Veritas radicalis, quæ in se actibus supra indicatis n. 5., physica perfectio est, tum ipsius actus, cui penitus identificatur, tum potentie intellectivæ, cui physice immanet. Et hinc etiam veritas formalis, quæ radicalem supponit, est physica mentis perfectio præ falsitate, non secundum se totam, sed dumtaxat secundum rectum, non præ secundum representationem actus, quæ semper est physice melior in actibus radicaliter veris, quam in alijs. Ve-

ritas autem purè formalis, à radicali sejuncta, qualis est in actibus contingenter veris, non est physica perfectio præ falsitate: hic enim actus opinativus, *Petrus currit*, non magis perficit Intellectum physice & formaliter, dum est verus, quam dum est falsus.

27 Hujusmodi Veritas solum dici poterit perfectio mentis, tum *arguitivè*, quatenus regulariter supponit solertiam Intellectus, aut prudentiam in judicando; tum *causaliter*, quatenus ex conformitate judicij cum rebus etiam contingentibus plura derivantur humanæ vitæ commodâ, pluraque malavitantur: & eodem titulo dici potest *perfectio moralis*; quia est moraliter æstimabilis, seu prudenter appetibilis. Similiter, proportionem servatâ, discurrendum est de Falsitate, vel errore formali, ut dicatur, vel non dicatur imperfectio mentis.

28 Unde ad *object.*, loquendo de perfectione physice, & formaliter perficiente, *dist. Antec.*: Veritas radicalis, vel quæ in eâ fundatur Veritas formalis quoad rectum, est perfectio Intellectus, *conc.*; Veritas formalis adæquatè sumpta, vel etiam purè formalis sumpta quoad rectum, & comparative ad Falsitatem, *neg. Antec. & confeg.*

29 Ad 1. *prob.* disparitas in aperto est: quia bonitas non stat in conformitate volitionis cum objecto, velut imaginis intentionalis; sed in eo, quod actus tendat in objectum bonum prosecutive, & in-

ma-

malum averſivè; tendentia autem proſecutiva, vel averſiva, adæquatè identificatur cum actu Voluntatis, ſicut tendentia judicativa cum actu Intellectus.

30 *Ad 2.* Veritas eſt Attributum Dei, quatenus accipitur pro veracitate in dicendo, quæ eſt ſumma neceſſitas non mentiendi, ſeu non fallendi, & quatenus idem ſonat, ac Infallibilitas, quæ eſt veritas radicalis, infinita excludens eſſentialiter à mente Divinâ periculum errandi. Cæterum veritas præciſè formalis circa objecta creata, licet ſecundum rectum ſit perfectio Dei, & ipſe Deus; tamen adæquatè ſumpta prout involvit rectum, & obliquum, non eſt Attributum, nec appellatio Dei; quis enim dicat, *Deus eſt Conformitas auctus cum objecto?*

31 3. Error, ſeu Falſitas radicalis (id eſt, fallibilitas, aut proclivitas errandi) eſt phyſica imperfectio mentis; formalis autem, non niſi *argutivè*. & *cauſaliter*, aut etiâ *moraliter* in ſenſu expoſito. Hoc ſufficit, ut falſitas omninò repugnet in mente Divinâ, maximè cum repugnet Infallibilitati omnimodæ, quæ eſt Attributum Dei. Sufficit item, ut non liceat mentiri, nec alios decipere, ſignanter propter humanum commercium, quòd in bonis de lineâ morali præcipuè conſiſtit. Sufficit denique, ut habitus errandi ſit imperfectio, & vitium Intellectus; eſt enim quædam potentix Falſitas radicalis.

32 Quod intellige de habitu

inclinante ad judicandum ex motivo levi, aut irrationabili: nam habitus opinativus, qui ſolum inclinat ad judicandum probabiliter ex motivo gravi, tamenſi fallibili, ita eſt quædam perfectio phyſica Intellectus, ut nec ſit perfectio per modum *Virtutis intellectualis*, nec imperfectio per modum *Vitij*; quamvis moraliter denominari poſſit, nunc perfectus, nunc imperfectus, à Veritate, vel Falſitate, quæ ſuis actibus contingat.

33 *Ad 4.* Intellectus appetit quidem innatè Veritatem radicalem, qualis ineſt actibus ſcientificis, & hoc ſenſu innatè appetit ſcire. Ad Veritatem autem formalem, prout eſt actualis conformitas cum objecto, non terminatur appetitus innatus niſi mediatè, quatenus terminatur ad radicalem, vel etiam ad appetitum elicitem veritatis contingentis. Quamquàm ſine ab ſurdo admitti poſſeſt in creaturâ rationali appetitus innatus in bona extrinſeca, & moraliter dumtaxat eſtimabilia. Sic homo dicitur innatè appetere honorem, gloriam, famam, commercium, ſocietatem, amicitiam; quæ omnia ſunt bona extrinſeca, quibus homo non redditur melior, aut deterior, niſi argutivè, cauſaliter, aut moraliter. Nec aliter diſcurrendum de odio, ſeu fugâ innatâ Falſitatis.

34 Pro alijs objectionibus *obſervâ* r. : quamvis actus radicaliter verus, v.g. Fidei ſupernaturalis, per ſuam eſſentiam repugnet Falſitati formali, non ideò per ſuam eſſentiam ]

tiam est formaliter verus: quia illa repugnantia solum est radicalis, & mediata, quatenus exigit Veritatem formalem immediate oppositam Falsitati. Sic ignis non est per suam substantiam formaliter calidus, quamvis per suam substantiam repugnet frigori; quia solum repugnat mediate, & radicaliter, exigendo calorem. Sufficit tamen repugnantia illa radicalis, ut in actu Fidei clarè cognito cognoscatur mysterium revelatum.

35 *Observa 2.*: verissimè dicitur, nullam esse cognitionem sine objecto, sed non ideo debet objectum esse aliquid in rebus existens; alioqui judicia de præterito, futuro, aut possibili, non haberent objectum, & cognitio de ente rationis foret cognitio sine objecto. Sensus ergo est, quod omnis cognitio debet representare, seu verè, seu falsè, aliquod objectum, vel existens, vel possibile, vel chymericum. Quare iudicium modò verum, *Petrus currit*, si existeret non currente Petro, non esset cognitio sine objecto, sed esset cognitio falsa sui objecti.

36 *Dices*: saltem illud iudicium, non currente Petro, mutaret objectum; quia non est idem cursus Petri existens, ac non existens. *Resp.* Iudicium illud non mutaret objectum *signatè*, id est, mutatione cadente in significationem actus; semper enim significaret Petrum currere, nec unquam significaret Petrum sedere: mutaret tamen objectum *exercitè*, id est, mutatione cadente in existentiam physicam objecti; &

ideo esset falsum, utpotè non conforme objecto suo. Cursus Petri, licet non sit *exercitè* idem existens, ac non existens; est tamen idem *signatè*; alioqui duo judicia contradictoria de tali cursu non haberent idem objectum, nec essent affirmatio, & negatio ejusdem de eodem.

## CAP. II.

*Utrum Propositio aliqua semel vera possit abire in falsam?*

37 **P**ræfixa quæstio instituitur circà propositionem de materia contingenti, mentalem, naturalem, & inevidentem: utque disputationi sit locus, ab omnibus hic *supponitur* 1., propositionem ejusmodi, non essentialiter, sed contingenter veram esse, juxta dicta cap. 1. Nec est idem esse veram contingenter, ac mutabiliter; nam licet in primâ sui productione potuerit non esse vera, quæstio superest, an Veritatem semel habitam possit exuere? *Supponitur* 2., propositionem eandem posse in Intellectu conservari per aliquot instantia, vel partes temporis, quæ instantia, seu partes vocentur A., B., C., D., &c.. Quibus suppositis, dubitatur, an propositio vera v. g. in A., possit eadem reddi falsa in B.?

38 Negant Authores multi, præsertim è Nostris. Sed probabilius affirmant etiam è Nostris alij complures cum Exim. Doct. disp. 8. Met. sect. 2., necnon Thomistæ, & Scotistæ communiter: estq; sententia expressa Philosophi, & D. Thomæ, quorum locos, & verba dedimus in Log. suf.

39 *Prob. ratione.* Propositio, *Petrus currit*, vera in instati A., si conservetur in B., in quo Petrus jam non currit, reditur falsa: ergo potest de verâ in falsam abire. *Prob. Antec.*: illa propositio, quodcumque existit, enunthiat Petrum currere de præsentî; sed in instanti B. falsum est Petrum currere de præsentî; ergo &c. Nec talis propositio enunthiat (ut Adversarij respondent) cursum Petri præsentem pro solo instanti A., in quo ipsa fuit primò productâ.

40 Patet hoc: quia propositio illa non enunthiat cursum Petri de præterito, sed absolutè de præsentî, non dicit Petrum currisse, sed currere: at enunthiare in instanti B. cursum ut præsentem pro solo instanti A., non est absolutè enunthiare cursum de præsentî, sed de præterito, cum instans A. non sit præsens in B., sed jam præteritum; nec est dicere, quòd Petrus currit, sed quòd currit: ergo dicta propositio enunthiat cursum præsentem, non pro solo instanti A.: sed pro instanti, in quo ipsa invenitur, sive sit A., sive B. *Urgetur*: in B. falsum est dicere, *Instans A. est præsens*: ergo pariter falsum est dicere in B., *Petrus currit de præsentî* si cursum non est præsens nisi pro A.

41 Dicunt nonnulli, quòd esse de præsentî, præterito, aut futuro, non sunt differentiæ intrinsecæ propositionum mentalium Intellectûs nostri, sed denominationes extrinsecæ, quæ proveniunt à variatione instantium, & variari possunt,

quin varietur representatio cognitionis: quemadmodum Divina scientia de creaturis existentibus, invariata permanet, sive creaturæ actu existant, sive extiterint, sive extiturræ sint. Hinc sequitur, quòd propositio, *Petrus currit*, producta in A., tunc est de præsentî; sed conservata in B., jam non est de præsentî, sed de præterito, idque sine intrinsecâ sui variatione.

42 Verùm hæc doctrina est apertè contraria Magno Augustino, qui Lib. II. de Civit. Dei. cap. 21. ex professò probat discrimen inter scientiam Dei, & cognitionem humanam ex capite variationis tēporum. Est etiam expressè contra D. Thomam multis in locis in Log. fus. indicatis, nominatim q. 1. de Verit. art. 5. c., ubi, *Anima*, inquit, *diversimodè intelligit cursum Socratis, ut præsentem, præteritum, & futurum; & secundum hoc diversas conceptiones format*, &c. Et statim explicat ibidem, cur non eadem ratio militet in cognitione Divinâ.

43 Est item manifestè contra experientiam. Quis enim in se nõ experiatur istorum diversitatem judiciorum, *Troia fuit, Troia est?* Profectò, cum non discernamus talitates instantium, si aliundè judicium ex se præscindit à differentijs temporis, præsentis, præteriti, & futuri, numquam sciemus pro quo tempore judicamus aliquid existere: non enim cognosci à nobis poterit, cuinam ex his verbis vocalibus, *existit, extitit, existet*, æquivalat tendentia judicij, nec ad quod

instans ex possibilibus determinatè referatur, atque adeò nec an sit verum, an falsum.

44 Adde, quòd, si mentale verbum, *existit*, non differt intrinsecè à verbo *existet*, hæc duo iudicia, *Generale dilubium existet in aliquo tempore*, *Generale Dilubium existit in aliquo tempore*, æquè vera nunc erunt; quia non different in objecto, nec in modo tendendi: quæ sequela repagnat Scripturæ sacræ.

45 Rejectâ igitur hac doctrinâ, veluti contrariâ communi sensui, *confirmatur* probatio nostra retorquendo exemplum, quo passim armantur Adversarij. Hæc propositio, *Petrus existit in instanti A.*, quamvis expressè designet instans A., & in eo sit vera, si conservetur in B., redditur falsa. *Prob.*: propositio ista non solum affirmat existentiam Petri in A. sed simul significat, ipsum instans A. esse absolutè præsens: at instans A. nõ est, nec esse potest absolutè præsens in B. in quo jam est absolutè præteritum: ergo talis propositio, existens in B. falsum significat. *Prob. Maj.*: hæc propositio, *Petrus existet in instanti A.*, significat instans A. esse absolutè futurum, & hæc, *Petrus existit in instanti A.*, tale instans esse absolutè præteritum: & alioqui verè diceres hodiè, *Petrus existit cras*, *existet heri*; vel etiam, *Antichristus existit in fine mundi*, *Adamus existet in exordio mundi*. Eadem autem est ratio, ut propositio, quæ de hoc primò, significet, instans A. esse absolutè præsens.

46 Communis Adversariorum doctrina est, quòd propositio de præsentia ad sui veritatem non exigat, ut tempus, pro quo affirmat objectum, sit præsens quandiu propositio conservatur, sed solum ut sit præsens tunc, cum ipsa primò producit. Quare, si semel est vera, quia datur objectum in tempore tunc præsentia, semper vera manet, licet postea cõservetur, quando jam tale tempus est præteritum. Idem cum proportionem valet in propositionibus de præterito, aut futuro. Idcirco veræ sunt adhuc plures propositiones Sacræ Paginæ, quæ de futuro, vel de præsentia loquuntur, quamvis earum objectum jam modo non sit futurum; nec præsens: v. g. illa Isaïæ, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*.

47 Hæc doctrina impugnatur facilè. Nam eadem numero propositio, *Petrus existit in instanti A.* sicut potest conservari in B. (ut modo supponitur), potest, & in B. primò produci: ergo stante doctrinâ Contrariorum, si primò produceretur in B., significaret, instans A. esse præsens in B. Sed idem, & eodem modo significat conservata in B. ac primò producta in B.: ergo conservata in B. significat, instans A. esse præsens in B. quo nihil falsius. *Prob. Min.* subsumpt. : quia significatio, & modus significandi est essentialis propositioni mentali: conservatio autem, cum sit continuata productio ejusdem essentialitatis, non variat essentialitatem rei, nec efficit, ut alia sit essentia conservata nunc



nunc, quàm si nunc primò existeret.

48 Nihil magis inculcant Adversarij, quàm quòd propositio mentalis nequit non significare semper, quod semel significat, ne alioquin successivè mutet significacionem, & objectum. At eodem jure verum est, quòd propositio eadem, de se indifferens ut primò producatur in quolibet instanti, non potest significacionem mutare divisivè, significando scilicet aliud, aut aliter, producta in uno instanti, quàm producta in alio.

49 Unde, colliges, quòd propositio de presenti, sive designet instans, sive non, v. g. *Petrus currit*, semper affirmat objectum pro tempore, quo ipsamet actu existit, seu conservata, seu primò producta; sicut propositio de preterito, pro tempore ante se transacto; & quæ de futuro est, pro tempore post se venturo. Nec absurdum est, quòd propositio exercitè, sive indirectè reflectatur in se metipsam; nam pariter juxta Adversarios reflectitur in se ut primò productam.

50 Nec urgent objecta exempla Sacræ Paginæ. Nam illæ sunt propositiones scriptæ, quæ, sicut & vocales, pro mensura, & regulâ significandi respiciunt judicia mentalia, idè que non aliud, nec pro alio tempore significant, quàm judicia, pro quibus substituuntur. Cum autem propositiones illæ ex intentione hominum, & Dei substituuntur, non pro judiciis nunc existentibus, sed pro existentibus olim in mente Prophetarum, ad illud tempus an-

tiquum suam significacionem retrahunt, & inde suam derivant Veritatem.

51 Aliud est in judicijs mentalibus, quibus essentialis est modus significandi cum tempore, nec possunt ad placitum in varia tempora referri. Unde judicia supernaturalia Prophetarum, nisi à nostris differant in modo tendendi, non possent etiam Divinitus conservari usque ad tempus, quo jam objectum desijt esse futurum; sicut nec possent cōservari nunc actus Fidei, quibus olim Apostoli credebant, Christum esse præsentem in carne mortali. Quia tales actus, utpotè ab intrinseco, & essentialiter veri, nequeunt existere, quando jam objectum non ita se habet, sicut enuntiatur.

52 Nec tamen negamus, dari posse actus mentis creatæ habentes modum tendendi absolutum à temporum differentijs instar scientiæ Divinæ, v. g. intuitus, quæ Beati futura vident in Verbo. Cæterum de his non est quæstio præsens, sed de actibus naturalibus, & contingenter veris, quos intrinsecè variari pro variâ differentiâ temporis, quam significant, planè videtur evidens.

CAP. IV.

*Diruitur fundamentum contrariæ sententiæ.*

53 **A**uthores contrarij hoc uno fundamento, quod variè promovent, innituntur. Ut propositio, *Petrus currit*, sit vera, debet objectum ejus existere toto

tempore importato per copulam, seu verbum; id est, debet Petrus currere toto tempore, pro quo illum currere affirmat propositio: ut autem sit falsa, debet Petrus non currere in aliqua saltem parte illius temporis. At si semel Petrus supponitur currens toto illo tempore, jam non potest in aliqua illius temporis parte non currere, ut est evidens: ergo si dicta propositio semel est vera, jam non potest unquam esse falsa.

54 *Confirm.*: illa propositio, vel significat, Petrum currere in omni instanti, vel in uno determinato: v. g. in A., vel in aliquo instanti disjunctivè? Quocumque autem ex his modis significet, nequit transire de verâ in falsam; nam ad hunc transitum opus est, ut Petrus in omni instanti currens, in aliquo non currat, vel currens in A., in eodem non currat, vel currens in aliquo, in nullo currat: quod est penitus implicatorium.

55 Pro solutione observa, quod propositio de præsentis, v. g. *Petrus currit*, determinat quidem tempus præsens præ futuro, & præterito, sed illud significat indefinitè quantum ad instantia particularia, permittitque contrahi sive per instans A., sive per B., &c. Quare in ordine ad instantia est æquivalenter disjunctiva; quia solum petit ad sui Veritatem, Petrum currere in eo instanti, quod ipsi propositioni est præsens, quodcumque illud sit. Unde reddit æquivalenter hunc sensum, *Aliquod instans est præsens, sive A., sive B., sive aliud, & in eo*

*Petrus currit. Nec potest exponi sic, Petrus currit in aliquo instanti, quod fuit, est, vel erit; hoc enim esset disjunctivè tendere in tempus præsens, præteritum, & futurum: illa verò essentialiter discernit tempus præsens à præterito, & futuro.*

56 Hinc fit, ut illa significatio temporis præsentis possit verificari successivè per varia instantia, prout quodlibet eorum fuerit præsens, & propositioni coexistens. Nam in prædicatione contingenti significatio indefinita rationis communis, vel formaliter disjunctiva, verificari potest modo per unum, modo per aliud individuum; ut patet in hac, *Homo currit*, quæ modo per Petrum, modo per alium quemlibet est verificabilis. Vel, ut ajunt, modo *supponit* pro uno, modo pro alio: sumpto scilicet verbo *supponit* pro eodem, ac *verificatur quoad statum, sive constantiam termini.*

57 Igitur propositio, *Petrus currit*, quamvis vera fuerit in A., potest esse falsa in B.: quia in B. jam non supponit pro A., sicut antea, sed pro solo B.; supponit enim pro eo instanti, de quo verificatur esse tempus præsens, dum ipsa propositio loquitur; & cum in B. jam non sit præsens A., sed præteritum, definit pro illo supponere, & supponit pro B., quod actu est præsens, & in quo si Petrus noc currit, falso enuntiatur, illum currere tempore præsentis.

58 Jam ad *Object. dist. Maj.*: debet objectum existere toto tempore utcumque importato per copu-

nam, *neg.* toto tempore, pro quo supponit significatio temporis præsens, in quo propositio loquitur, *conc. Maj.* Tum *dist. Min.*: jam non potest non currere in aliqua parte illius temporis, pro quo supponit propositio, dum vera est, *conc.*; in alio tempore, pro quo successivè supponat significatio temporis præsens, *neg. Min.*, & *Conseq.*

59 Ad *Confirm.*: illa propositio est æquivalenter disjunctiva, sic tamen, ut disjunctio versetur, non inter præsens, præteritum, & futurum, sed inter taleitates instantium, simul exigendo absolutè, ut eorum aliquod sit præsens. Æquivalet igitur huic tendentiæ, *Petrus currit in aliquo instanti*; quæ tendentia per illud, *in aliquo instanti*, disjunctivè attingit taleitates omnium instantium; sed per verbum, *currit*, absolutè significat, aliquod eorum esse præsens, determinaturque, ut nunquam supponat pro ullo instanti, quod fortè fuerit præteritum, aut futurum.

60 Hinc dicta propositio, corrente Petro in A., vera est in A., quia tunc verificatur totum illud, *currit in aliquo instanti*, siquidem instans A. est aliquod instans, & est tunc præsens: at eadem falsa est in B., Petro jam tunc non corrente; quia Petrus jam in nullo instanti currit, quod sit præsens; solum enim B. est præsens, & in hoc non currit: tunc ergo verbum *currit* falsificatur. Unde sine contradictione salvatur, quòd Petrus successivè in aliquo instanti currit, & in

nullo currit; quia primum salvatur in A., secundum in B.

61 *Repl. 1.*: ergo propositio mutat successivè significationem, & objectum, siquidem modò significat Petrum currere pro instanti A., postea jam non significat pro A., sed pro B. Hoc æquè premit Adversarios; apud quos illa eadem propositio, quæ modò significat Petrum currere pro instanti A., si primò produceretur in B., significaret Petrum currere pro B. Tam enim repugnat, quòd propositio mentalis mutet objectum divisivè, quàm successivè.

62 Itaque *neg. Consequ.*: quia dicta propositio semper significat, aliquod instans esse præsens, & Petrum in eo currere: semper exprimit tempus præsens præ futuro, & præterito, semperque attingit ex parte objecti taleitates omnium instantium possibilem, quatenus potentium secundum se participare rationem temporis sibi præsens. Quare, dum transit de verà in falsam, non mutat significationem, nec objectum in esse objecti significati, sed solum in esse objectivi verificantis, pro quo supponit verbum, *currit*, per statum.

63 Mutatio hæc objecti verificativi nihil habet incommodi, nec significationem intrinsecè variat: quia propositio disjunctiva, vel indefinita de materià contingente, ex se indifferens est, ut verificetur per quodlibet membrum disjunctionis, quin ipsa determinet, quodnam sit. Quare determinatio membri verificantis oritur ab exist-

tentia objecti, & est extrinseca propositioni; ut patet in hic, *Aliquis homo currit*, quæ in variata permanet, licet Petrus loco Pauli succedat in munere verificandi.

64 Si fortè hinc inferas: ergo propositio, *Petrus currit*, si cursus existit in A., semper vera manet, cum sit verificabilis per quodlibet ex instantibus, quæ disjunctivè significat. *Conc. Consequ.*, dummodò verum sit quòd cursus existit in A.: sed hoc in B. non est verum; quia tunc, sicut non existit instans A., sed extitit, ita nec existit cursus in instanti A., sed extitit, & cum in nullo alio tunc existat, siquidem nullum aliud est præsens præter B., in quo non existit; propositio redditur falsa in B., quia cursus jam in nullo membro disjunctionis existit. Memineris, quòd illa propositio semper determinat tempus sub ratione præsentis præ futuro, & præterito, licet non determinet talitatem instantis, per quod ratio temporis præsentis contrahatur: id quod pariter Adversarij dicunt de propositione illà ut primò producta.

65 *Repl. 2.*: ex instantibus A, B, C, aliud est præteritum, aliud est præsens, aliud est futurum, dum propositio conservatur in B.: ergo propositio disjunctivè significans illa instantia, disjunctivè significat præsens, præteritum, & futurum. *Dist. Conseq.*: disjunctivè significat præteritum, & futurum, reduplicativè ut talia, *neg.*; specificativè sumpta, ita ut significatio præscindat ab statu præteritionis, aut futuritio-

nis, & solum atingat instantia quatenus secundum se possunt, aut possent esse propositionem præsentia, *cõc. Conseq.* Nec refert, quòd instans A., si est præteritum, jam non possit esse præsens. Nam hæc impotentia per accidens est respectu propositionis, quæ de se est indiferens ut existat ante, vel post instans A.

66 *Repl. 3.*: dicta propositio, dum existit in A., significat quantum potest, & capax est: vel ergo capax est significare cursum Petri pro instanti B.?, vel non? Si primum dicatur: ergo jam in A. significabat cursum pro B.: ergo jam erat falsa in A., si cursus non existit in B. Si secundum: ergo, dum conservatur in B., non significat Petri cursum pro B., ac proinde non falsificatur per carentiam cursus in B. *Resp.*: propositio est capax significare cursum pro A., pro B., & pro alio quovis instanti, atque ita de facto significat, dum existit in A.; significatione tamen verificabili dumtaxat per illud instans, quod propositioni coexistit, quodcumque illud sit; quia semper determinat rationem temporis præsentis.

67 Unde significatio ista, dum existit in A., nondum est verificabilis per B., quippè quod nondum est præsens; fiet tamen verificabilis, si conservetur in B., in quo proinde si Petrus non currat, affirmatio cursus falsa erit. Sic propositio. *Quotquot sunt in gymnasio scribunt*, disjunctivè significat omnes homines potentes esse in gymnasio, & pro omnibus affirmat scriptio-

nem; sed tamen eâ significatio non est verificabilis, nisi per eos, qui de facto existunt in gymnasio; quia omnes attingit sub ratione *existentis in gymnasio*, quam supponit contrahi per aliquos.

68 Alia vide in Lag. fus., ubi Quæstionem hanc ex professio discussimus. Nunc *adde 1.*, quod propositio de præsentis ex se nec determinat tempus præsens ad primum instans suæ productionis, nec ad totum tempus suæ durationis: sed exprimit indefinitè tempus sibi existenti coexistens, sive in quo existit ipsa, præscindendo ab eo quod illud sit A., vel B., atque etiam ab eo quod ipsa existat conservata, vel primò producta. Imò, quàmvis propositio, *Petrus currit*, restringeret tempus præsens ad primum instans suæ productionis (ut Adversarij volunt), & in eo esset vera; falsificaretur conservata in B.; quia in secundo instanti falsum est quod Petrus currit in primo; non enim in eo currit, sed cucurrit; cum primum instans jam sit præteritum.

69 *Adde 2.*, quod ratio temporis præsentis potest indefinitè significari ut communis pluribus, sive ut participabilis a pluribus, quàmvis non nisi unicum instans sit actu præsens, & reliqua omnia sint præterita, vel futura: quia ad significationem indefinitam sufficit, quod ratio significata possit à multis participari successivè, tametsi non simul. Sic indefinitè dicimus, *Papa est Caput Ecclesiæ*, quàmvis hoc munus non nisi successivè participari possit à multis.

70 *Adde 3.*, quod propositio de præsentis potest mutari, tum de vera in falsam, tum de falsa in veram: similiter aliquæ propositiones, quæ sunt de futuro, vel de præterito limitato, nam hæc, *Petrus curet cràs*, vel hæc, *Petrus cucurrit heri*, potest esse hodiè falsa, & cràs vera, & è converso. Aliter dicendum, si tempus futurum, aut præteritum, nõ limitetur: nam tunc affirmativa propositio de futuro mutari potest de vera in falsam, sed non vice versa; ut patebit consideranti. E contrario, affirmativa de præterito potest mutari de falsa in veram, sed non vice versa. Opposito modo censendum de propositionibus negativis, quæ absolute sunt de præterito, vel futuro.

## CAP. V.

*Deciduntur alia de Veritate, & Falsitate quæstiones.*

71 **Q**uer. I.: utrùm Veritas, aut Falsitas formalis, conveniat soli iudicio? an etiam apprehensioni? *Resp. I.:* tam Veritas, quàm Falsitas, propriè dicta, soli iudicio convenit *formaliter*. Non enim propriè dicitur falli, vel assequi veritatem, qui iudicium suspendit, seu qui nondum apud se fert sententiã objecto difformem, aut conformem. Idem autem est ferre sententiã, ac iudicare. Unde Veritas ista, quæ soli Intellectus est propria, vocari poterit *Veritas sententiæ*; similiterque Falsitas. Dixi *formaliter*: quia *radicaliter* convenit etiam hujusmodi Veritas, aut Falsitas, apprehen-

hensionibus suis, quæ vehementer inclinant ad judicandum.

72 *Resp. 2.*: Veritas largè sumpta, prout est præcisè conformitas repræsentationis cum objecto citrà sententiam, reperitur etiam in apræhensione; nam v. g. conceptus *homo* repræsentat id, quod verè est in objecto. Sed hujusmodi Veritas, quæ dici potest *puræ repræsentationis*, minùs propria est: tum propter dicta nuper: tum quia nomen *Veritas* propriè significat aliquid proprium Intellectus: Veritas autem ista est communis sensibus, v. g. visui, imò picturis etiam, & statuis.

73 *Resp. 3.*: Falsitas, etiam largè sumpta, reperiri potest in apræhensione complexâ, v. g. in hac, *homo quadrupes*; secus autem in apræhensione purè simplici; quia, licèt volens apprehendere hominem, elicias conceptum *leo*, non ideò hæc repræsentatio est difformis objecto suo, quia non respicit hominem, sed leonem.

74 *Quær. 2.* Utrùm Veritas, & Falsitas suscipiant magis, & minùs? Vel, quod eòdem redit, utrùm una propositio possit esse verior, aut falsior altera? Quod attinet ad Veritatem, affirmandum in primis est de Veritate radicali, seu de certitudine, vel evidentia cognitionis. Sic actus Fidei supernaturalis verior est naturali, idest, certior: & inter naturales sæpè alius alio est evidentior. Affirmandum item, si Veritas accipiatur materialiter, & in esse entis: ubi enim entitas actus

est perfectior, Veritas, quæ actum in recto importat, perfectior, sive major est entitativè.

75 Cæterùm Veritas formalis prout præcisè dicit conformitatem *judicij ut talis* cum objecto, non admittit magis, & minùs, sed, ut ajunt, *consistit in indivisibili*. Ratio est: quia non stat Veritas actus, nisi objectum in se habeat totum illud, quod actus enuntiat; si enim desit aliquid ex eo, deest Veritas, ut patet in hoc actu, *Homo est animal rationale quadrupes*. At objectum in se habere totum illud, quod enuntiat, ita ut nihil ex eo desit, consistit in indivisibili, nec latitudinem admittit.

76 Aliter dicendum de Falsitate, non solum radicali, sed formali. Quia Falsitas desumitur ex distantia, seu recessu à vero: magis autem à vero distat propositio dicens, Planetas esse tantum tres, quàm dicens, esse tantum sex.

77 *Objic. 1.*: magis repugnat Falsitati Veritas necessaria, quàm contingens: ergo est major Veritas. *Dist. Antec.*: magis repugnat mediâtè, & radicaliter, *conc.*; immediâtè, & formaliter, *neg. Antec.* atque etiam *Consequ.*, si loquamur de Veritate purè formali. Hæc enim semper est æqualis in excludendo immediâtè, & formaliter falsitatem; cum æquè impossibile sit dari Falsitatem in sensu composito Veritatis contingentis, ac in sensu composito necessariæ.

78 *Objic. 2.*: hic actus, *Homo est animal rationale*, verior erit, quàm

quàm hic, *Homo est animal*; est enim similior objecto suo. *Resp.* Verior quidem est veritate *representatio- nis*, in qua iudicium convenit cum apprehensionibus prævijs; sicut apprehensio, *animal rationale*, est hominis imago verior, id est, expressior, quàm apprehensio, *animal*. Non tamen est verior veritate *sententia*, quæ propria est iudicij *ut talis* (hanc solam diximus consistere in indivisibili); quia tam verè habet homo in se totum, quod enun- tiat hic actus, *Homo est animal*, quàm totum, quod enun. tiat iste, *Homo est animal rationale*.

79 Nec obstat similitudo major quoad expressionem: quia Veritas *sententia* non est similitudo qualiscumque, sed similitudo in habendo totum aliquid; & hæc non admittit magis, & minus, cum sit quædam æqualitas: exemplo sit similitudo duplicis albi in habendo totos quatuor gradus albedinis. Unde D. Thomas q. 1. de Verit. art. 5., & sæpè aliàs, Veritatem formalem explicat per æqualitatem actus, & objecti.

80 Dices: ergo pariter con- sistet Falsitas in indivisibili, cum consistat in privatione Veritatis, five in eo, quod objectum non ita se habeat, ut enun. tiatur. *Neg. Con- seq.*, & suppositum: quia Falsitas ex communi sensu non est mera privatio Veritatis; ideòque non defini- tur præcisè *non conformitas*, sed potius *difformitas actus cum objec- to*; in qua difformitate dari potest magis, & minus, sicut in distantia,

& inæqualitate: nec solum dicit, ob- jectum non ita se habere ut enun- tiatur, sed etiam se habere aliter.

81 *Quer.* 3.: utrum propo- sitio singularis de futuro, sit deter- minatè vera, aut determinatè fal- sa? De futuro necessario nemo du- bitat, v. g. cum dicitur, *Sol orietur cràs, si Petrus currat, movebitur*. De futuro contingente, seu libero, v. g. *Petrus peccabit cràs*, negavit Aris- toteles 1. Periherm. cap. 8. eo duc- tus motivo, quod alioquin tollere- tur libertas, & contingentia rei fu- turæ; si enim hodiè verè dicitur, *Petrus cràs peccabit*; jam Petrus cràs non poterit non peccare, quia fieri nequit, ut quod semel verum supponitur pro certo tempore, res- pectu ejusdem temporis non sit ve- rum.

82 Sed, si Aristoteles id in- telligi voluit de Divinà scientià fu- turorum, turpiter erravit ut ethnici- cus; sicut etiam si de cognitione creata, quæ in Dei revelatione fun- datur. Hinc autem efficaciter pro- batur determinata Veritas in cog- nitione quoque naturali. Nam pro- positio naturalis, *Antichristus pec- cabit*, idem affirmat, quod scientia Dei, vel actus fidei de peccato An- tichristi futuro: implicat autem, quod ex duabus cognitionibus idem affirmantibus, altera determinatè vera sit, altera non.

83 Adde, quod sicut est per se notum hoc principium, *Quodlibet est, vel non est*, & hoc etiam, *Quodlibet fuit, vel non fuit*, ita & hoc. *Quodlibet erit, vel non erit*: sed prop-

propter illa duo evidens est, quòd ex duabus Contradictorijs de præfenti, vel de præterito, altera est determinatè vera, & altera determinatè falsa: ergo propter illud tertium evidens esse debet, quòd ex contradictorijs de futuro, altera determinatè vera est, altera falsa; quàmvis ante eventum dignosci nequeat naturali lumine, quenam earum vera sit. Hæc eadem argumenta valent pro futuris conditionatis v. g. (*Si Petrus tentaretur, peccaret*), ut applicanti constabit.

84 Fundamentum Aristotelis apparentius urget in Divinâ præscientiâ, utpotè omninò certâ, & infallibili ab æterno; cujus tamen Veritas nonnisi contra lumen rationis, & Fidei, vocaretur in dubium. Illæsa igitur manet Petri libertas ad peccandum: quia Veritas, tam Divina, quàm humana, licèt tempore præcedat peccatum Petri, tamen est peccato posterior posterioritate *attemperationis*; quatenus non ideò peccabit Petrus, quia Deus, aut homo id verè cognovit; sed potiùs ideò cognitio vera fuit, quia Petrus liberè peccaturus erat.

85 Ex suppositione talis Veritatis jam Petrus non potest non peccare, sed quendam habet necessitatem peccandi. Verùm non omnis necessitas opponitur libertati, sed illa solùm, quam Voluntas liberè non facit, nec vitare potest, & quæ dicitur *necessitas antecedens*: illa verò, quam Voluntas liberè sibi facit, aut vitare potest, & quæ dicitur *necessitas consequens*,

libertati non officit. Sic ex suppositione quòd nunc liberè consentias tentationi, necessè est te peccare nunc. Quia tamen hanc necessitatem ipse tibi facis liberè, cum potueris in hoc etiam instanti suppositionem istam impedire; idcirco liberè peccas.

86 Hujus indolis est necessitas peccandi, quam infert cognitio vera de peccato Petri futuro: Petrus enim, postea suo tempore existens, liberè faciendo peccatum, liberè sibi facit talem necessitatem, siquidem illa Veritas nunquam extitisset, nisi Petrus nunc liberè peccaret: unde potest Petrus illam impedire; quia si non peccet, ut potest, jam Deus ab æterno non præscivit peccatum, sed præscivit non peccatum, & propositio creata naturalis jam ab initio fuit falsa. Prioritas autem temporis de materiali se habet, quando suppositio anterior perinde attemperatur liberè determinationi Voluntatis, ac si esset præfens.

87 *Objic.*: futurum liberum non est actu determinatū ut sic, nec in se ipso, nec in causâ: ergo nequit in eo fundari nunc determinata Veritas. *Resp.* Omisâ determinatione futuri in causâ primâ, de quâ Theologi disputabunt. *dist. Antec.*: non est actu determinatum in se ipso, nec erit postea, *neg.*; non est, erit tamen postea, *conced. Antec.*, & *neg. Conseq.* Propositio, *Petrus peccavit*, non affirmat, quòd peccatum est actu determinatum, sed quòd erit in tempore venturo: si er-



ergo re ipsâ erit, quâmvîs modò non sit, jam propositio conformatur suo objecto, cum illud enuntiet sicuti erit; quemadmodum conformatur propositio de præterito, dum enuntiat objectum sicuti fuit. Diffi-

cultas autem de constitutione Veritatis per objectum, quod actu non est, soluta manet n. 23., & æquè militat in propositione de præterito, quam esse determinatè veram nemo negavit.

## TRACTATUS SEXTUS, ET ULTIMUS.

*In Libros Aristotelis Analyticos.*



QUATUOR scripsit Libros Aristoteles, quos Analyticos (id est, Resolutorios, nam græca vox *analysis* latinè vertitur *resolutio*) nuncupavit, quia in eis materiam, & formam Syllogismi, nec non principia, partes, & affectiones ejus, distinctè examinando, resolvit mentalitè Syllogismum. Liber primus, & secundus Formam syllogisticam in communi declarant, dicunturque Libri *Priorum*, seu *de priore resolutione*: tertius, & quartus, Demonstrationem, sive syllogismum Demonstrativum, & conditiones ejus à materiâ desumptas explicant, vocanturque Libri *Posteriorum*, seu *de posteriore resolutione*. De his præter dicta in Summul., quædam supersunt breviter in præsentî tractanda.

### DISPUT. I.

*De Syllogismo in communi.*

#### CAP. I.

*Dubia quædam de Syllogismo, & Præmissis ejus in ordine ad Conclusionem spectatis.*

**I** **D**ubii. i., in quo consistat essentia Syllogismi? Sunt, qui dicant, in solis consistere Præmissis. Sunt ex adverso, qui in sola Conclusionem. Sed communis sententia collocat essentiam syllogismi in Præmissis, & Conclusionem simul sumptis. Tum quia definitio Syllogismi Aristotelica,

quam omnes approbant in Summulis, nec de solis Præmissis, nec de sola Conclusionem verificatur. Tum etiam, quia stantibus iisdem Præmissis, per solam diversitatem Conclusionem diversus efficitur syllogismus, ut patet in Modis directis, & indirectis primæ Figuræ; similiterque diversus evadit, si eadem Conclusio inferatur ex Præmissis diversis.

2 Cum autem dicitur, quod Syllogismus demonstrativus facit

scire, seu causat scientiam, nomine scientiæ non venit sola Conclusio, quia à toto Syllogismo causata; sed venit scientia habitualis, vel etiam denominatio scientiæ, quam Intellectui præstat Syllogismus in genere causæ formalis. Item, cum Syllogismus nonnumquam dicitur cognitio unius veritatis per aliam, & post aliam, sumitur per synecdochem pars pro toto, nempe Conclusio pro Syllogismo.

3 *Dubit.* 2. : utrùm Syllogismus stare possit in actu realiter indivisibili, qui representet totum objectum Præmissarum, & Conclusionis? *Resp. neg.* : quia Syllogismus idem sonat, ac *Ratiocinatio*, seu *Discursus mentis* : discursus autem, & ratiocinatio necessariò importat cognitiones realiter distinctas, quarum una oriatur ex alia, vel alijs, Idcirco nec Deus, nec Angeli discunt; quia, licet cognoscant effectus in causis, non tamen ex causis, quasi ex eis prius cognitis progrediantur ad cognitionem effectuum. Vide D. Thomam 1. p. q. 14. art. 7., & q. 58. art. 3.

4 *Dubit.* 3. : qualiter Præmissæ formales causant Conclusionem? Certum est, causalitatem aliquam intervenire. Syllogismus enim non est discursus per successionem cognitionum accidentariam, ut cum post cognitum Petrum convertitur mens ad cognoscendum Paulum; sed est *discursus secundum causalitatem*, ut loquitur D. Thomas cit. q. 14. art. 7. Plures volunt, ut causalitas hæc sit effectiva, ita ut Præmissæ

Conclusionem physicè efficiant simul cum Intellectu. Sed plures alij malunt, ut Præmissæ solum directivè, seu moraliter, concurrant ad Conclusionem, quatenus ostendendo identitatem Extremorum cum Medio, determinant Intellectum ad affirmandum identitatem eorum inter se: quod genus concursus, illuminando, invitando, inclinando, seu determinando, dicitur causalitas moralis, qualem habent regulæ Artis in artefacta, & cognitio objecti amabilis in amorem.

5 Probatur hæc sententia 1. paritate: quia, juxta communem sententiam, nec apprehensio simplex ad judicium, nec cognitio ad amorem, nec intentio finis ad electionem mediorum, concurrit physicè, sed solum moraliter, 2. : quia nequit unus actus vitalis physicè producere alium ejusdem potestatis; alioquin visio visionem, & auditio auditionem pareret. Porrò causalitas moralis sufficit, ut Præmissæ comparentur causis activis, & absolute dicantur causare Conclusionem; ut patet in regulis Artis respectu operis externi, & in mandato, vel consilio ad furtum.

6 *Objic.* : Præmissæ sibi assimilant Conclusionem in evidentia, vel probabilitate: sola autem causa physica sibi assimilat effectum. Conclusio item secundum formalitatem illationis debet in Præmissis contineri, quia in Intellectu continetur secundum formalitatem *intellectionis*, & in specie secundum formalitatem *imaginis*. *Resp.* Intellectus, cum

cum sit intrinsecè cognoscitivus evidenter, probabiliter, & discursivè, seu illativè, sufficienter continet in consortio speciei correspondentis illa omnia prædicata, seu formalitates Conclusionis, quin opus sit recursu ad Præmissas, nisi per modam applicationis, aut principij moraliter præcontinentis Conclusionem.

7 Notandum hic, quod Præmissæ debet existere simul tempore, sivè in eodem instanti cum Conclusionè, quando illam causant. Quia non solum causa physica debet actu existere, dum causat, sed etiam causa moralis, quæ causat per se immediatè, seu non præcisè per aliquem effectum derelictum; ut patet exemplo cognitionis ad amandum, & regulæ Artis ad ædificandum. Possunt quidem Præmissæ tempore præcedere vel altera, vel utraque; quando scilicet Intellectus nondum satis penetrat terminos utriusque; vel etiam quando Intellectus, adquisiturus scientiam, incipit vestigare principia, ut inde procedat ad conclusiones; tunc enim datur successio temporis quoad primam productionem Præmissarum. Sed tunc necessè est Præmissas conservari, vel repeti in instanti, quo elicitur Conclusio, ut iterum patet exemplo cognitionis ad amandum. Vid. D. Thomam 1. p. q. 58. art. 7. ad 2.

CAP. II.

Utrum Præmissæ necessitent Intellectum ad Conclusionem?

8 **D**uplex est pro re præsentii necessitas, altera

quoad specificationem, seu quoad speciem, seu contrarietatis; quæ necessitas cogit ad non ponendum actum Conclusioni oppositum: altera quoad exercitium, seu contradictionis; quæ necessitas cogit ad actum Conclusionis re ipsa ponendum, & exercendum. Prior illa necessitas in præsentii conceditur à ferè omnibus. Quia Intellectus dissentiri nequit principijs illis per se notis, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se, Dicit de omni, & Dicit de nullo: dissentiretur autem, si, postquam per Præmissas assensit identitati Extremorum cum medio, identitatem eorundem inter se negaret per actum Conclusioni oppositum; vel si judicans verè dici animal de omni homine, & Petrum esse hominem, judicaret non verè dici animal de Petro. Unde Intellectus in eodem instanti contradictoria judicaret, videlicet omnem hominem esse animal, & aliquem hominem) qualem judicat Petrum) non esse animal.

9 Hæc militant pariter in Præmissis probabilibus, ut patebit consideranti. Quare, licet possit Intellectus Conclusioni probabili dissentiri absolutè, sed non ex suppositione, quod assensitur Præmissis. Sic, licet Voluntas possit absolutè averfari medium necessarium ad finem, non tamen ex suppositione quod efficaciter intendat finem.

10 Major est Authorum dissentio circa necessitatè quoad exercitium. Sed affirmativa sententia, saltem quantum ad Præmissas evidentes, satis communis est in omni

Schoia; & cum limitationibus mox adhibendis vera videtur. *Prob.*: quia Intellectus necessario, & independenter ab applicatione libera Voluntatis, assentitur objecto; quod ipsi proponitur ut omnino evidens: ut accidit, cum videns ortum Solem, assentitur existentiae diei, vel cum proponuntur prima principia, & veritates per se notae, v. g. *Totum est majus sua parte, Duo, & tria faciunt quinque.* Sed positis Præmissis, objectum Conclusionis Intellectui proponitur, ut prorsus evidens: judicanti enim evidenter, v. g. omnem hominem esse animal, & Petrum esse hominem, nihil apparet evidentiùs, quàm Petrum consequenter esse animal. Tunc ergo Intellectus suspendere nequit assensum Conclusionis. *Confirm.*: quia Voluntas, positá intentione finis efficaci, necessitatur quoad exercitium ad electionem medij, quod proponitur ut simpliciter necessariam ad finem; ergo pariter, &c.

II Eadem necessitas à plerisque extenditur ad Præmissas probabiles: quia, licet earum objectum non sit evidens, est tamen evidens illius connexio cum objecto Conclusionis, & ut talis advertitur: ergo qui primum judicat, imponit sibi necessitatem judicandi secundum. Sic nemo opinatur te amisisse oculos, quin opinetur te esse cæcum. Et qui judicat, te fuisse convivam in mensa Titij, & omnes Titij convivas fuisse ebrios, necesse est te judicet ebrium fuisse. Huc etiam facit paritas Voluntatis, quæ licet non

teneatur efficaciter intendere finem, si tamen sic intendat, nequit non eligere medium, cum quo finis connectitur necessario.

12 Adhibe tamen hucusque dictis limitationes tres. *Prima* sit: ne simul cum Præmissis occurrat apprehensio vividior alius objecti disparati, quæ conatum, & attentionem Intellectus adeò distrahat, ut, non sinat attendere Conclusioni. Si talis apprehensio adsit, Præmissæ necessitabunt quoad specificationem, non quoad exercitium. *Secunda*: ut Præmissarum termini bene penetrantur, earumque sensus plene advertatur: alioquin ne quoad specificationem quidem dabitur necessitas. Ratio utriusque limitationis est: quia tunc vel non plene advertitur, vel non redditur satis evidens connexio objecti Præmissarum cum objecto Conclusionis.

13 Hinc accidit, ut nonnumquam inter disputandum, concessis Præmissis ritè dispositis, Cōsequentiæ negetur à non rudibus. Quia scilicet Intellectus, vel aliarum apprehensionum tumultu distrahitur, vel non satis penetrat primo aspectu terminos Præmissarum, licet percipiat quantum sufficit, ut illis assentiatur utcumque. Nec repugnat, quòd aliquis incautè judicet simul duo contradictoria virtualia: ideòque passim Adversarium, duo quæpiam simul concedentem, redarguimus inconsequentiae, & contradictionis.

14 *Tertia*: ut prædicta necessitas tribuatur Præmissis de me-

dio communi dispositis in primâ Figurâ juxta quatuor Modos perfectos: item Præmissis de medio singulari juxta Figuram primam, & secundam; nec non syllogismi hypothetici juxta formam explicatam in Summulis, præsertim conditionalis, & disjunctivi. Cæteras Præmissas non necessitare quoad exercitium, immò nec quoad specificationem, saltem Intellectum non nimis perspicuam, verius puto.

15 Ratio: quia forma syllogistica in secundâ, & tertiâ Figurâ non est adeo perspicua, ut statim evidentem reddat connexionem objecti Præmissarum cum objecto Conclusionis: non enim regulatur per principia *Dicit de omni &c.*, nisi mediâtè, & remotè. Ideirco inventa est Reductio Syllogismorum imperfectorum ad perfectos; quæ prorsus foret inutilis, si Præmissæ dispositæ juxta Figuram imperfectam necessitarent ad Conclusionem, ita ut nemo Præmissis assentiens posset illam suspendere, vel negare.

16 *Dices*: omnis Syllogismus cujusque Figuræ necessariò, & *vi formæ* concludit. *Resp.* Hoc solum probat, quòd, stante veritate Præmissarum cujusque Figuræ, non potest non esse vera Conclusio, si deducatur, quæcumque sit materia *viòd quam*. Cum hoc tamen coherent, quod Conclusio non deducatur, vel quòd loco illius eliciatur ex alio motivo actus oppositus, eo quòd illa veritatum connexio non nisi imperfectè, & subobscurè reddatur evidens per Præmissas.

17 Cum his igitur limitationibus tenenda nobis est Conclusio- nis necessitas, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium. Subditur quidem Intellectus imperio Voluntatis in cõsententialibus, & in probabilibus nondum præjudicatis. At in evidenter propositis, subditur primum remotè, seu mediâtè, quatenus à Voluntate potest antecedenter, vel applicari ad quærendas species, & apprehensiones evidentes, vel aliò distrahi, ne in eas incidat. Deinde non rarò subditur etiam immediâtè *secundum quid* in ordine ad assensum Præmissarum, quando scilicet apprehensio evidens non omninò determinat modum, & tendentiam assensus.

18 V. g. potest quis evidenter apprehendere identitatem hominis, & animalis, quin eo ipso determinetur omninò ad prædicandum potiùs animal de homine, quàm hominem de animali, nec ad eliciendam potiùs propositionem universalem, quàm indefinitam. Hæc apprehensio necessitat Voluntatem, ut aliquem imperet assensum, sed illi relinquit optionem inter varias tendentias, & modos prædicandi: quare poterit Voluntas illum determinatè assensum imperare, qui fuerit opportunus ad finem, v. g. cõstruendi syllogismum juxta regulas Logicæ.

19 Unde colliges, quatenus Logica dirigat ad Demonstrationem: dirigit enim immediâtè ad Præmissas quoad dispositionem terminorum: ad conclusionem autem

immediatè dirigit simpliciter, seu quoad substantiam assensus, in secundâ, & tertiâ Figurâ, atque etiam in primâ, dum concluditur indirectè, vel dum termini solum imperfectè penetrantur: ad Cöclusionem tamen directam primæ Figuræ, Præmissis benè penetratis, non dirigit Logica, nisi mediatè, quatenus ad Præmissas ritè disponendas dirigit.

20 Sed contra necessitatem assertam *Objic.* 1.: quòd Præmissarum objectum connectatur cum objecto Conclusionis, nihil probat ad præsens: nam quia assètitur uni objecto, non cogitur saltem quoad exercitium assentiri formaliter cæteris, quibus cum illud connectitur; alioquin nemo posset sic judicare, *Petrus est albus*, quin haberet hunc assensum explicitum, *Petrus est ens*, vel hunc, *Existit Deus*. Adde, quòd Voluntas sæpè vult objectum aliquod, quin velit formaliter cætera, quibus cum illud identificatur, aut connectitur.

21 *Resp.* Non insistimus in mera connexionè objectorum, sed in connexionè ut evidentè propo- sita, quæ si detur, vel assentiendum est utrique objecto, vel neutri. Combinatio autem extremorum cum Medio in primâ Figurâ talis est, ut necessariò excitet vividissimam apprehensionem de connexionè infal- libili objecti Præmissarum cum ob- jecto Conclusionis: imò, quàmvis illam non excitet, ipsamet Præmis- sarum dispositio potest illam sup- plere; quia in lineâ ostensionis vir-

tualis claritatem summam attingit.

22 Contra verò, ex hoc solo actu, *Petrus est albus*, non necessariò excitatur apprehensio explicata de eo quòd Petrus sit ens, vel quòd Deus existat. Si tamen cum eo actu conjungeretur hic, *Quidquid est album, est ens*, vel hic, *Si Petrus est albus, existit Deus*: necessariò excitaretur, vel suppleretur prædicta apprehensio evidens, nec posset co- hiberi assensus circâ objectum con- sequens. Quod additur de Volun- tate, fortassè non est verum, quan- do connexio evidentè advertitur ut inevitabilis; ideòque nemo vult alterum jugulare, quin velit eum mori. Sed esto concedatur, paritas nulla est propter discrimen inter potentiam liberam, & necessariam.

23 *Objic.* 2.: datur in Intel- lectu habitus primorum principio- rum: datur etiam alius habitus sciën- tiæ circâ Conclusiones: at uterque habitus erit otiosus, si Intellectus assètitur necessariò, tum principiis evidentibus, tum Conclusionibus inde natis: neque enim causa ne- cessaria acquirit habitum. *Resp.* Ha- bitus intellectuales fortè non distin- guuntur ab speciebus, ut multi opi- nantur in Animasticâ. Præterea, po- tior est ratio in Intellectu, quàm in alijs causis necessarijs, ut habitum adquirat; eo quòd assiduitate intel- ligendi operetur cum minore cona- tu, ac defatigatione, & in hoc sen- su facilius. Sed *nota*, quòd habitus scientiæ non est ad solas Conclu- siones, sed simul etiam ad princi- pia quatenus disposita in formam

Præmissarum, quamvis principia secundum se, & seorsum accepta, distinctum habitum generent.

24 *Objic.* 3. contra Conclusiones necessitatem quoad exercitium in Syllogismo probabili, quam aliqui negant, licet cōcedant quoad Specificationem. Præmissæ probabiles non pariunt assensum Conclusionis nisi merè probabilem: sed ad assensum merè probabilem non necessitatur Intellectus quoad exercitium: ergo &c. *Dist. Min.* non necessitatur &c. absolute, & nullâ suppositione factâ, *conc.*: aliquâ suppositione factâ, *neg. Min.*, & *Consequ.* Et insto in necessitate quoad Specificationem, quæ absolute non datur in probabilibus, saltem dum simul apprehenditur motivum aliquod in contrarium, ut sæpè accidit.

25 Itaque, sicut assensus probabilis Præmissarum, quamvis absolute suspendi possit in quolibet instanti, tamen ex suppositione, quod existat in instanti A., jam nō potest in eo instanti suspendi, sed necessario existit, juxta illud, *omne quod est, ex suppositione quod fit, necesse est esse*; ita Conclusionis assensus potest quidem absolute, & nullâ factâ suppositione suspendi, sed non ex suppositione assensus Præmissarum, per quem virtualiter præjudicatum supponitur objectum Conclusionis cum evidenti apprehensione connexionis objectivæ. Nam præjudicium istiusmodi refundit in assensum Conclusionis illam necessitatem essendi, quam

habet ipsummet in eo instanti, in quo esse supponitur. Id quod Adversarij dicere tenentur in necessitate quoad Specificationem.

26 Hinc inferes 1., quod in Conclusionem non datur probabilitas major, quam in Præmissis, sed una, & eadem, utpotè in eodem motivo fundata. Nec verum est, quod magis necessitet Intellectum: nam, sicut Præmissæ necessitant, non absolute, & secundum se, sed ex suppositione quod eis assentiatur Intellectus, ita ex hac ipsâ suppositione dumtaxat necessitat probabilitas Consequentis, non absolute, & secundum se.

27 Inferes 2., quod assensus Conclusionis probabilis potest quidem esse formidolosus, sed formidine indistinctâ, vel in separabili ab eâ, quæ comitatur assensum Præmissarum: quæ formido, sicut non efficit, ut Præmissæ suspendi possint ex suppositione, quod sint; ita nec ut Conclusio suspendi valeat ex suppositione Præmissarum. Repete instantiam necessitatis quoad Specificationem.

28 Inferes 3., quod in Syllogismo probabili evidentia connexionis objecti antecedentis cum consequenti, non reddit evidentem Conclusionis assensum: est enim evidentia *consequentis*, non *consequentis*. Sic evidens mihi est, quod, si Petrus ambulat, movetur: sed hæc evidentia non me necessitat ad assensum absolutum hujus Consequentis, *Petrus movetur*, donec assentiatur huic enuntiatio, *Petrus ambu-*

ist; quare si assensus iste sit merè probabilis, & formidolosus, reddet etiam formidolosum assensum illius Consequentis, non obstante evidentia connexionis inter ambulare, & moveri.

## CAP. III.

Duplex questio de Conclusionem  
Syllogismi.

29 **Q**uaritur 1.: utrum ad eliciendam Conclusionem ex Præmissis ritè dispositis, necessario prærequiratur cognitio de bonitate Consequentis, sive illationis? Duplex est illatio: altera *objectiva*, consistens in connexionem objectorum, vi cuius nequit stare objectum Præmissarum, quin stet objectum Conclusionis: altera *formalis*, consistens in recta dispositione terminorum formalium juxta regulas Logicæ, quatenus idonea ad convincendum in quacumque materia.

30 *Affero* 1.: non est necessaria cognitio de bonitate illationis formalis cum reflexione ad regulas Logicæ. De hoc vid. dicta Tract. 1. disp. 1. num. 102. & seqq.. *Affero* 2. cum communi sententiâ: non prærequiritur iudicium de bonitate illationis objectivæ distinctum à Præmissis. *Prob.*: quia sequeretur alioquin, plusquam tres terminos, aut tres Præmissas ad syllogismum esse necessarias: nam ex his, *Omnis homo est animal, Petrus est homo*, non posset inferri Conclusio, donec adderetur hoc aliud iudicium, *Objectum istorum actuum connectitur cum eo quod Petrus sit*

*animal*, & tunc demum posset concludi sic, *Ergo Petrus est animal*.

31 *Objic.*: Conclusio inferitur propter connexionem objecti antecedentis cum consequenti: quæ connectio, ut moveat, debet esse præcognita: non cognoscitur autem per solas Præmissas, nisi ut summum virtualiter; & implicite. *Confirm.*: quia, ut intentio finis determinet in actu secundo ad electionem, debet expressè judicari utilitas, aut necessitas medij: ergo pariter, ut Præmissæ ultimò determinent ad Conclusionem, debet expressè judicari necessaria ipsius illatio.

32 *Objectio* ut summum probat necessariam esse connexionem illius explicitam apprehensionem: quod quidem facile concesserim, quando per accidens non benè penetrantur Præmissæ, vel quando formam habent in secundâ, & tertiâ Figurâ. Sed nec apprehensio connexionis explicita semper est necessaria. Nam ut Intellectus moveatur, ac determinetur ad Conclusionem, sufficit prævia cognitio connexionis implicita, quando est tam vivida, ut sit proxima explicitæ. Talis est cognitio illius connexionis, quam in se continet Præmissæ in Modis perfectis primæ figuræ: tali quippè modo expriment suum objectum, ut ferè ponant ob oculos objectum Conclusionis, vel connexionem cum ipso.

33 *Confirmatio* immeritò æquiparat Voluntatem cum Intellectu, id est potentiam cæcam cum oculatâ, maximè cum in casu nostro



tro præcedat iudicium æquivalens explicito circa necessitatem objectivam Conclusionis, & nihil simile præcedat in casu electionis medij.

34 *Quær. 2.*, utrùm Conclusio formaliter attingat objectum Præmissarum? id est, Utrùm Conclusio mentalis, v. g. *Ergo Petrus est animal*, non solum assentiatur identitati Petri cum animali, sed etiam intrinsecè repræsentet pro motivo, seu ratione assentiendi, quòd Petrus est unus ex hominibus, de quibus verè dicitur animal; prout iudicatum est in his Præmis-

sis, *Omnis homo est animal*, *Petrus est homo?*

35 Prima sententia; quam tenent Scotistæ, & plures è Nostri, absolute negat. Secunda absolute affirmat, eamque tenet expressè D. Thomas 1. 2. q. 8. ar. 3., quem sequuntur Thomistæ, & Nostri frequentius. Secunda sententia mihi est probabilior: sed quia illius probatio, ac defensio pendet à penitiori examine operationum Intellectus, quod Animasticæ proprium est; idcirco nunc eam indicasse sufficiat cum remissione ad Animasticâ.

## DISPUT. II.

## DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

## CAP. I.

*Quid sit Demonstratio? & quotuplex? Ubi de Præcognitis, & Principijs.*

1 **D**emonstratio, quæ & Syllogismus Apodicticus, seu Demonstrativus appellatur, juxta Aristotel. 1. Post. cap. 2. est *Syllogismus faciens scire*, videlicet, tum in genere causæ efficientis, causando scientiam habitualement; tum in genere causæ formalis, quatenus constituit Intellectum actualiter scientem; ipse quippè est actualis scientia, & eo quòd ipsum habeamus, scimus, ut ait Aristot. Cujus ad mentem clariùs definitur Demonstratio sic, *Syllogismus, in quo ex Præmissis certis, & evidentibus evidens Conclusio deducitur*, vel etiam brevius, *Syl-*

*logismus evidens*. Unde Colliges ad Demonstrationem, & Scientiam principijs naturalibus innixam, opus esse non solum certitudine, sed evidentia.

2 Sed rogabis, quid sit evidentia? Quid certitudo? *Resp.* Evidentia est claritas, quæ res ita perspicuè objicitur Intellectui, quasi oculis videretur meridianà in luce. Alia est *Evidentia objecti*, consistens in tali vi, ac proportionemotivi, quæ necessariò rapiat assensum, vel certè nullà dubitatione retardari sinat. Alia, *evidentia cognitionis*, consistens in intrinsecà perspicuitate actus, quæ non cohæreat cum formidine falsi.

3 Certitudo est firmitas veritatis, aut persuasionis. Alia est *objecti*, alia *subjecti*, alia *cognitionis*.

Certitudo objecti est ejus necessitas ita se habendi, ut judicatur, saltem prout stat sub tali motivo. Certitudo subjecti est tenax adhæsiō Intellectūs ad suum judicium, ut verum; quæ non semper oritur ex meritis judicij, vel objecti, sed non raró ex pervicaciã, vel passione, ut cūm hæretici mordicis adhærent suis erroribus. Certitudo cognitionis est ejus intrinsecã repugnantia ad falsitatem. Certitudo ista, quæ pendet ex motivo, dicitur metaphysica, dum falsitati repugnat essentialiter; dicitur physica, dum falsitati repugnat tantū naturaliter; dicitur moralis, dum falsitas non nisi difficillimè contingere potest, nec ab ullo prudente est timenda.

4 Omne judicium evidens est certum, vel metaphysicè, vel physicè: non tamen omne judicium certum est etiam evidens, ut patet in actu Fidei supernaturalis, qui, cum sit summè certus, non est evidens, sed obscurus. Ad Demonstrationem ergo requiritur evidentia judicij, & quæ in eã imbibitur certitudo cognitionis, vel metaphysica, vel saltem physica.

*Demonstratio dividitur multifariam.*

5 **D**emonstratio multifariam dividitur. Nam  
1. alia est *Demonstratio à priori*, quæ scilicet pro Medio assumit causam physicam, aut metaphysicam, ut probet effectum, aut proprietatem: alia est *à posteriori*, vel *à signo*, quæ nimirum pro Medio assumit effectum, ut probet causam;

& quæ arguit *à concomitanti*, sive à Medio connexo cum objecto inferendo, cujus non sit causa, nec effectus, ut si probet, Cœlum existere in loco, quia existit in tempore.

6 2. alia est Demonstratio *Quia*, alia *Propter quid*. Prima solum ostendit, quòd res est: secunda ostendit propter quam causam res est. Divisio ista hoc solum a precedenti differt, quòd propriè non dicitur Demonstratio *Propter quid*, nisi quæ per causam proximam probat effectum, v. g. risibile per admirativum, aut eclipsim Lunæ per interpositionem terræ: cæteræ omnes vocantur *Demonstrationes Quia*; sive sint ab effectu, sive à concomitanti, sive à causà remotã. Inter Demonstrationes *Propter quid* dicitur *potissima*, seu *perfectissima*, quæ demonstrat primam passionem per essentiam subjecti, v. g. admirativum per animal rationale.

6 3. alia est Demonstratio *ostensiva*, alia *ducens ad impossibile*. Prima rem simpliciter ostendit ex Præmissis evidentibus: secunda arguit ab *incommodo*, *absurdo*, vel *inconvenienti* quòd sequetur, nisi Conclusio vera sit. Denique Demonstratio ratione formæ tot Figuras, & Modos habere potest, quot in Summulis pro Syllogismo dedimus.

*De Præcognitis, & Præcognitionibus.*

8 **A**D demonstrandum prærequirit Aristoteles tria *Præcognita*, & duas *Præcognitiones*.

*tionēs. Præcognita esse debent Subjectum, Passio, & Principia. Subjectum est id, de quo aliquod prædicatum demonstrare volumus. Passio nunc sumitur pro prædicato ipso demonstrando. Principia sunt veritates illæ, per quas convincitur, Passionē convenire Subjecto.*

9 Tria hæc præcognoscenda sunt duobus modis, qui modi vocantur *Præcognitiones*. Alter modus habetur, cum de objecto cognoscitur, *quod est*, sive *an est*: alter, cum de objecto cognoscitur, *quid est*, *Cognitio an est*, ferri potest vel in esse rei, cognoscendo scilicet rem esse existentem, aut saltem possibilem; vel in esse veritatis, aut complexi enuntiabilis, cognoscendo scilicet, aliquam propositionem esse veram. *Cognitio quid est*, subdividitur etiam in cognitionem *quid nominis*, & cognitionem *quid rei*; quarum prima est conceptus ultimatus nominis, secunda est ipsius rei definitio.

10 Igitur subjectum, Passio, Principia, debent præcognosci primò quoad *quid nominis*; nisi enim nomina ultimatè concipias, quomodò demonstrabis? Deinde Subjectum, & Passio debent præcognosci *quod sunt* in esse rei; nisi fortè de possibilitate Subjecti disputetur. Non tamen debet Passio necessariò præcognosci *quod est* in Subjecto, cum hoc ipsum sit demonstrandum; sed sufficit quòd prænoscat ut res quædam in se possibilis. Principia verò præcognosci debent *quod sunt* in esse veritatis.

saltem per apprehensionem evidentem.

11 Denique non debent Subjectum, & Passio præcognosci quoad *quid rei*, nisi quando quidditas ipsa, vel definitio pro Medio assumitur, aut à posteriori demonstranda suscipitur. De cætero sufficit præcognitio *quid nominis* ad aliquid demonstrandum: quamvis enim exactè definire nescias Cælum, aut Solem, poteris de his multa differere, saltem per Demonstrationem *Quia*.

*De principijs, & Propositionibus per se notis, atque etiam de Circulo nonnihil.*

12 **S**ED quæres, quænam sint Principia, ex quibus procedere debet Demonstratio, & quæ præcognoscenda sunt demonstranti? *Resp.* Principia in præsentibus sunt propositiones Medio vacantes. In sensu lato dici possunt Principia, quæcumque propositiones cognoscuntur hic, & nunc evidenter sine Medio, vel sine discursu, quàmvis in se sint cognoscibiles per medium: atque ita omnis etiam Demonstratio à posteriori, seu quæ arguit ab effectu cognito per evidentem sensuum experientiam, procedit ex principijs, id est, ex propositionibus evidenter cognitis absque Medio.

13 Propriè tamen non dicuntur Principia, nisi propositiones indemonstrabiles à priori, quæ scilicet in se non habent causam, per quam probari possint: idèque dicuntur propositiones *primæ*, id est,

non pendentes ex aliâ priore; & *immediata*, id est, medio â priori carentes.

14 Principia sic accepta, alia dicuntur græcè *Axiomata*, latinè *Dignitates* (aliàs *Prologia*, *Profata*, vel *Effata*), ea nimirum, quæ naturæ lumine nota sunt, & Scientijs omnibus communia, & quæ proinde necesse est vera putet is, qui Scientiam aliquam disce- re aggreditur; cujusmodi sunt hæc, *Impossibile est idem simul esse, & non esse, totum est majus sua parte*. Alia dicuntur *Positiones*, ea videlicet, quæ, licet a priori sint indemonstrabilia, & penetratis terminis evidentia; non sunt tamen communia, nec nota cuilibet sine Magistro, sed alicujus Scientiæ propria; ideoque non necesse est ea præcognoscat is, qui ad discendum accedit, cum soleant in limine ipsi proponi, & explicari. Hujusmodi est in Logica, *ex vero non sequitur nisi verum*.

15 Hæc pertinent definitiones rerum essentielles, quæ inter Positiones, seu prima principia uniuscujusque Scientiæ numerantur, quia in Scientijs ad methodicè differendum præmitti solent, & plerumque vel prudenter supponuntur, vel non probantur, nisi per inductionem ab experientiâ, vel etiam ab inconvenienti: qui modus probandi convenire potest omnibus Principijs, etiam Dignitatibus, sicuti forsitan minus evidentia videantur.

16 Jam, quod diximus, ad

demonstrandum præcognoscenda esse Principia in esse veritatis, sic intellige, ut Dignitates, etiam quando non ingrediuntur formaliter Demonstrationem, debeant esse demonstranti præcognitæ saltem habitualiter, id est, ut demonstrans, non solum non differatur illis, sed dispositus sit ad assentiendum, quandocumque menti occurrant: Positiones verò non debeant præcognosci ante omnem Demonstrationem, sed solum quando ex illis conficienda est Demonstratio, vel ex præmissis per illas demonstratis.

17 Cum Principijs ita explicatis recurrunt propositiones per se notæ. Dicitur autem propositio *per se nota*, quam ex proprijs terminis quisque probat ut veram, seu quæ non indiget aliâ ratione, vel medio, ut a quolibet ratione utente approbetur, præter conceptum ultimatum suorum terminorum, nempe subjecti, & prædicati, quibus constat. Quod si hoc pacto nota sit secundum communes, & obvias notiones, quas omnes a pueritiâ imbibunt, tunc dicitur propriissimè per se nota. Talia sunt Principia generalia, quæ Dignitates appellantur, ut, *Totum est majus sua parte, Quodlibet aut est, aut non est*.

18 Si verò propositio nota sit ex proprijs terminis, quorum ultimatus conceptus non habetur communiter a quolibet, sed ad aliquam Facultatem pertinet, tunc erit per se nota, minus propriè quidem, sed tamen propriè; quia licet extrema sint reconditoria, si ta-

men tota ratio veritatis enuntiabilis consistit in ipsis, sufficit penetratio terminorum, ut propositionis veritas pateat: hic autem est character propositionis per se notæ. Hoc sensu per se nota dicitur omnis propositio immediata, seu quæ vacat medio a priori, per quod probetur, v. g. *Qualitas est accidens, Quantitas non est qualitas*, & generaliter ea Principia, quæ Positiones dicuntur; necnon quoties predicatum est de immediatâ ratione subjecti, seu quoties definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito.

19 Notandum hic, in sensu lato vocari quoque per se notas veritates contingentes, quas immediatè percipimus per evidentem experientiam. Sic enim per se notum est unicuique homini se existere. Sed propriè non dicitur propositio per se nota, nisi quæ eadem per se patet omnibus. Veritates autem contingentes, & singulares de objecto creato, vel non patent, nisi singulæ singulis, vel non nisi videntibus, aut aliter experientibus.

20 Denique notandum, non esse contra rationem propositionis immediatæ, ac per se notæ, quòd possit à posteriori demonstrari. Quâ occasione dicere oportet, quatenus liceat in demonstrando Circulus. Tunc utimur Circulo, quando vice mutata sumimus objectum Consequens pro Antecedenti, & inde inferimus ut Consequens, quòd prius fuerat Antecedens. Hoc si fiat absque aliâ notitiâ veritatis denuò

assumptæ in Antecedens, quàm quæ priore discursu comparata fuerat, dabitur Circulus vitiosus, qui dici solet *Circulus formalis*, aut *uniformis*, aliàs *petitio principij*.

21 Quòd si Consequens prius illatum, postea penitus cognoscatur, vel etiam ex alio capite probetur, licebit tunc per illud probare antiquum Antecedens discursu retrogrado, qui vocatur *Circulus materialis*, & *Regressus demonstrativus*, nullo utique vicio laborans. Sic passim probamus causas per effectus; ac dein per causas attentius consideratas, & melius cognititas, à priori probamus effectus eosdem.

## CAP. II.

Quales esse debeant Præmissæ Demonstrationis, præsertim ex materiâ circâ quam?

22 **A**ristoteles 1. *Post. cap.* 2. ad Præmissas Demonstrationis præscribit conditiones quasdam, ex quibus conficitur hæc veluti definitio Demonstrationis, *Syllogismus constans ex veris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus, causisque Conclusionis*. Sex istæ conditiones commodè reducuntur ad tres: ut nimirum Demonstratio constet 1. ex præmissis veris, nec veris utcumque, sed certis, & evidentibus: 2. ex immediatis, id est, Medio vacantibus, sive indemonstrabilibus à priori; & hoc ipsum est constare ex primis: 3. ex causis Conclusionis, ubi comprehenduntur illæ particulæ, ex prioribus, & notioribus; nam causa est prior

naturâ, quàm effectus, & est etiam naturâ notior, quatenus in illâ fundari debet exacta cognitio effectus.

23 Sed circâ 2. conditionem quæres, an omnis Demonstratio constare debeat ex *primis*? *Resp.* Omnis Demonstratio *Propter quid* de objecto necessario constare debet ex *primis*, vel formaliter, vel saltem virtualiter, constando scilicet ex præmissis mediatis, quæ jam supponantur demonstratæ per prima Principia, quorum proinde vim, & evidentiam jam participant, ideòque assumi possunt, ut Principia pro novis Conclusionibus demonstrantur.

24 Circâ 3. conditionem quæres, an Præmissæ debeant esse Conclusionem notiores, id est, clariores, & evidentiores, atque etiam veriores, id est, certiores? Affirmant plurimi contra plurimos alios. Et quidem affirmativa pars nihil habet incommodi, quantum ad excessum claritatis, & evidentiæ, quæ facile potest admittere magis, & minus. Sed quantum ad excessum certitudinis, probabilior est negativa pars. Quia certitudo, prout est communis Præmissis, & Conclusioni ejusdem syllogismi, sæpè non admittit magis, & minus: si enim est certitudo metaphysica, utrobique falsitatem excludit essentialiter; si verò physica, utrobique falsitati repugnat sine miraculo vires naturæ superante.

25 *Objic.* : *Propter quod unumquodque tale, & illud magis, ut fert celebre proloquium, ab Aris-*

tot. traditum: sed Conclusio est certa propter præmissas: ergo Præmissæ sunt certiores. *Resp.* Proloquiū illud in primis limitandum est ad prædicatum potens suscipere magis & minus: quare licet tu sis homo propter patrem tuum, non ideò pater tuus est magis homo. Deinde, juxta plurimos, tò *propter* limitari debet ad genus causæ finalis; quò in genere, si amatur v. g. medicina propter salutem, magis amatur salus. Immò nec in isto genere locum habet, nisi prædicatum, in quo fit comparatio, insit utrique extremo: ex eo enim, quòd homo sit creatus propter Deum, perperam inferes, Deum esse magis creatum.

26 Redeo ad conditiones n. 22. expressas: & moneo duo. 1.: ut Demonstratio sit *ex causis*, non solum sufficit causa physica, ut est Solis ortus respectu diei, sed etiam causa, vel radix metaphysica, ut est rationale respectu admirativi, & admirativum respectu risibilis; imò sufficit prædicatum, quod sit quoad nos proxima ratio connexionis, aut convenientiæ extremorum, tamen si non sit causa ipsorum secundum se, ut cum demonstratur, quòd homo est vivens, quia est animal. Porrò causa ad demonstrandū utilis pro varietate materiæ, potest esse quintuplex, nimirum efficiens, exemplaris, finalis, materialis, & formalis; de quibus latè in Physicâ.

27 2.: conditiones illas strictè requirit Demonstratio *Propter quid*. Sed latiori sensu dici potest, quòd omnis Demonstratio, etiam à  
pos-

posteriori, seu *Quia*, constare debet primum ex Præmissis evidenter *veris*: deinde ex *immediatis*, vel indemonstrabilibus, saltem ex non indigentia, quatenus Præmissæ evidentes, undecumque tales evadant, non indigent hic, & nunc novo Medio, ut evidentiam refundere possint in Conclusionem: demum ex *causis Conclusionis*, quæ sint causæ saltem in cognoscendo, licet non semper in essendo; ita scilicet, ut objectum Præmissarum, quamvis non sit causa, nec radix objecti Conclusionis, sit tamen titulo necessariæ connexionis efficax motivum, & ratio, cur assentiamur Conclusionis objecto.

28 Præter hucusque dicta, præcipit Aristoteles, ut Præmissæ Demonstrationis content prædicato *de omni*, *per se*, & *secundum quod ipsum*. Prædicatum *de omni* est, quod pro omni tempore convenit omnibus, de quibus subjectum verificatur. Hoc prædicatum dicitur *prioristicum*, seu ratione formæ, quando expressè applicatur omni contento sub subjecto, præscindendo à veritate rei; ut sæpe fit in Libris *Priorum*, ubi propositiones universales, re ipsâ non veræ, formari solent in exemplum formæ syllogisticæ, v.g. *Omne A. est C.*, vel *Omnis homo est albus*. Dicitur verò *posterioristicum*, seu ratione materiæ (de quâ in Libris *Posteriorum*), quando ex naturâ objecti re ipsâ convenit omni, & semper, etiam si subjectum non distribuatur expressè, v. g. *Homo est animal*. Hoc re-

quiritur in aliquâ saltem Præmissâ Demonstrationis categoricæ.

29 Sed notandum, quod ad prædicatum *de omni* sufficit convenientia pro omni tempore, quod sibi determinat natura subjecti, aut prædicati. Unde hæc propositio *Hyems est frigida*, vel hæc, *Aestas est calida*, constat prædicato *de omni*, quamvis subjectum determinet statuta tempora; ut etiam hæc, *Luna patitur eclipsim*, quamvis prædicatum determinet tempus, quo terra interponitur Solem inter & Lunam.

30 Prædicatum *per se* datur duobus modis. Prædicatum *per se primo modo*, est, quod ponitur in definitione subjecti tamquam tota quidditas, vel pars quidditatis, vel tamquam quid formaliter imbibitum in aliquâ parte essentiali; cujusmodi sunt respectu hominis rationale, animal, vivens, & reliqua prædicata superiora. Prædicatum *per se secundo modo*, est illud, quod, cum sit extrâ essentialiam subjecti, necessariam tamen ejus connexionem terminat; ut sunt proprietates physicæ, vel metaphysicæ.

31 Addit hic Aristoteles duos alios modos *per se*, videlicet *per se existendi*, vel *essendi*, qui modus proprius est Substantiæ, quatenus hæc dicitur *Ens per se*, ut discernatur ab Accidenti, quod est *Ens in alio*: item *per se causandi*, quo modo competit effectus suæ propriæ causæ quâ tali, ut architecto competit ædificare, citharædo pulsare citharam: unde quod citharædus ædificet, aut architectus citharizet, non est

est *per se*, sed *per accidens*. Hæc tamen perfectitas non efficit prædicatum *per se*, ut nunc sumitur, nisi accedat connexio necessaria subiecti cum prædicato. Quare sola perfectitas duplex in prædicando, nuper explicata, debet impræsentiarum attendi.

32 Denique prædicatum *secundum quod ipsum* (quod Aristoteles vocat *prædicatum universale*) est prædicatum *de omni, per se*, quod subiecto convenit convertibiliter; ut respectu hominis rationale admirativum, risibile. Dicitur *secundum quod ipsum*, quia tale prædicatum convenire non potest ulli subiecto, quod non sit illud ipsum, vel sub ipso contentum. Ex dictis inferes, prædicatum *universale*, ut nunc sumitur, comparari ad prædicatum *per se*, tamquam speciem ad genus; & similiter prædicatum *per se* ad prædicatum *de omni*, si hoc accipiatur ut præscindens à priorifico, & posteriorifico.

33 Porrò prædicatum istis conditionibus præditum idcirco exposcit Aristoteles, ut Demonstratio Præmissis constet *necessarijs*. Sed, ut admonent Interpretes, non omnes conditiones, quas præscribit Aristoteles in Libris *Poster.*, pertinent ad conceptum Demonstrationis ut sic, sed plures ad solam Demonstrationem *Propter quid*, universaliter concludentem, aliæ ad solam *potissimam*. In specimen limitationis doctrine Aristotelicæ notant hic omnes, prædicatum *secundum quod ipsum* requirit, dum pro-

pria passio demonstranda est de subiecto ex propria radice; ad alias autem Demonstrationes sufficere prædicatum *de omni, & per se*.

## CAP. III.

Quid sit Opinio, & Syllogismus Topicus, & quatenus à Demonstrativo differat.

34 Quoniam Syllogismus in communi dividitur in Demonstrativum, Topicum, & Sophisticum, ac de Sophistico satis in Summulis dictum est, oportet nunc explicare Topicum, ut ei contrapositus Demonstrativus magis innotescat. Sed, cum id fieri non possit, nisi sciatur, Quid est Opinio, prius hoc explicandum est. *Opinio* (inquit D. Thomas 1. p. q. 79. art. 9. ad 4.) *significat actum Intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*. Communiter pro eodem accipitur, ac iudicium *probabile*, id est, conceptum ex motivo, seu fundamento, verosimili quidem, & alliciente ad assensum, sed non evidenti, nec infallibili, vel saltem non applicato per lumen infallibile, ideòque relinquente locum formidini falsitatis.

35 Formido hæc est duplex: altera *permissiva*, quæ identificatur cum ipso iudicio probabili, quod non omnino pacificat Intellectum, sed potius permittit simul existere timorem, ne fortè lateat falsitas, altera *formalis*, quæ in Intellectu est actus iudicans, aut vividè apprehēdens periculum falsitatis, idque vel ex rationibus pro contrariâ parte



militantibus, vel etiam ex cognitâ fallibilitate motivi, propter quod præstatur assensus; & inde resultat in Voluntate timor falsi, qui propriè dicitur formido. Formalis ista formido non semper comitatur iudicium probabile, saltem si nec advertatur fallibilitas motivi suadentis nec ullam se oferat motivum adversæ partis: imò nec semper comitatur iudicium prorsus erroneum, aut temerarium, cum possit illi adjungi certitudo subjecti, ut supra notavimus.

36 Differt Opinio ab actu scientifico, quatenus inevidens, & obscura est, & insuper incerta ex se; non quia semper versetur circa objectum materiale contingens; sed quia actus opinativus, quâ tum est ex se non repugnat falsitati, eo quòd motivum non est sufficiens, vel non applicatur sufficienter, ad refundendam certitudinem cognitionis. Unde, quòd Aristoteles ait, Opinionem esse de contingentibus, seu de ijs, quæ aliter se habere possunt, intelligendum est *in vi Opinionis*, quatenus hæc ex se non impedit objectum aliter se habere.

37 De cætero, constat pluri-  
mas Opiniones versari circa res necessarias, aut impossibiles, v. g. cum disputatur de connexionione Omnipotentis cum possibilibus, vel de distinctione essentis ab existentia in creatis. Hinc etiam, cum Aristoteles ait, *Probabile esse, quòd plerumque contingit*, seu quòd ferè semper fieri solet, non negat, alia esse Probabilia, quæ vel contingunt semper,

vel nunquam. Sic, qui dicit, *Evidens est, quòd oculis patet*, non ideò negat alium evidentiæ modum.

38 *Quæres*, quatenus differat Opinio à Fide? *Resp.* Fides in genere est iudicium de objecto habitum ex testimonio, & autoritate dicentis. Dum nititur testimonio, seu revelatione Dei, & à principio supernaturali provenit, dicitur Fides Divina, & ab Opinione differt in eo, quòd sit certissima, & infallibilis, solùmque cum illâ convenit quatenus inevidens, & obscura. Dum verò nititur hominis autoritate, dicitur Fides humana, estque incerta, & fallibilis, semper physicè, & plerumque moraliter, quia *Omnis homo mendax*; & idcirco latè comprehenditur nomine Opinionis, potestque deservire ad Syllogismum Topicum.

39 Propriè tamen ab Opinione differt humana Fides; quia Opinio motivum habet à re ipsâ petitum, sive aliquomodo ad rem ipsam pertinens, aliquid scilicet, quòd videatur rei causa, signum, aut effectus, vel argumentum à simili, à pari, ab inconvenienti, &c.: Fides autem præcisè movetur, quia homo dicit. Sed utraque in eo convenit, quòd sit inevidens, & fallibilis.

40 Porrò à Suspensione, & temerario iudicio differt Opinio; quia Suspensio nititur indicio levi, ut etiam iudicium temerarium, quòd insuper habet militare contra gravem rationem, vel præsumptionem vehementem partis oppositæ; Opinio autem propriè sumpta exigit

motivum alicujus momenti, quod non sit prorsus indignum approbati, etiam comparativè ad motivum partis oppositæ, si adsit: alioqui judicium in eo fundatum, non erit probabile.

41 Porro probabilitas judicij opinativi erit major, aut minor, prout fuerit pondus, ac vis suavisiva rationum assentiendi, tum absolutè, tum comparativè ad rationes oppositas, dum adsunt; potestque ita decrescere, ut solum dicatur probabilitas cum addito tenuis, vel tenuiter. Semper tamen necessè est, ut contra se nihil habeat certum; aliter non erit Opinio, sed judicium erroneum; nam, ut ajunt, *Contra certum non datur probabile.*

42 Ex dictis Syllogismus Topicus, (qui vocatur etiam Opinativus, Probabilis, Dialecticus) sic definiri potest: *Syllogismus faciens opinari; vel, Syllogismus, in quo ex Præmissis probabilibus, aut ex alterà probabili, & alterà certà, probabilis Conclusio deducitur.* Ratio, cur sufficiat altera præmissa incerta, est, quia sufficit, ut identitas utriusque extremi cum medio non sit certa; proindeque non potest ex eo motivo certa evadere identitas extremorum inter se.

43 Sæpe quidem ex Antecedenti certo deducitur Conclusio probabilis: sed tunc subintelligitur altera Præmissa incerta. V, g. cum sic arguimus: *Materia prima habet propriam essentiam, ergo, & habet propriam existentiam;* subaudi-

tur hæc Præmissa merè probabilis, *Quidquid habet propriam essentiam, habet, & propriam existentiam, vel hæc alia, Essentia non distinguitur ab existentia.*

44 Sed quando ambæ Præmissæ sunt propabiles, curandum est, ut sint comprobabiles, seu potius verificabiles, ita ut veritas unius, si forte detur, non destruat necessariò veritatem alterius; alioquin Conclusio evadet spuria, imò evidenter falsa, vel chimerica. V. g. si ita arguas, *Datur physica prædeterminatio, quoties voluntas liberè agit; sed physica prædeterminatio tollit libertatem: Ergo datur aliquid tollens libertatem, quoties Voluntas liberè agit;* sumis quidem Præmissas, quarum altera in Scholâ Thomisticâ, altera in Jesuiticâ defenditur ut probabilis, sed nihilominus Consequens est plane implikatorium.

45 Sic explicatus Syllogismus Topicus differt à Demonstrativo, non ratione formæ, quæ servare debet easdem regulas utrobique, nec ratione materiæ circa quam, quia idem materiale objectum potest alius scire, alius opinari; vel propter diversa motiva, vel propter idem diversimodè propositum; sed ratione materiæ ex quâ, idest, ratione propositionum formalium, ex quibus constituitur uterque, & quæ in demonstrativo sunt omnes certæ, & evidentes, in Topico autem Conclusio, & altera saltem Præmissa, inevidentes, & incertæ.

46 Quòd si detur Syllogismus

ex Præmissis moraliter certis, quavis á multis reduci videatur ad Topicum, meliùs vocabitur Demonstratio, non philosophica, sed historica, vel moralis.

## CAP. III. ET ULTIM.

De Scientia, quæ per Demonstrationem habetur.

47 **P**RO complemento doctrinæ demonstrandi, superest, ut de Scientiâ, quam Demonstratio facit, aut importat, nonnihil hic breviter differamus. *Scientiæ* nomen accipitur 1. latissimè pro qualibet notitiâ verâ, utpotè quæ sufficit, ne res dicatur absolutè nesciri, 2. pressius pro quâlibet notitiâ evidenti, sive sit discursiva, sive non: atque ita convenit etiam notitiæ primorum Principiorum, quæ vocatur *intellectus*, aut *intelligentia*: convenit item notitiæ experimentalî, quâ immediatè percipimus evidenter objecta contingentia, & singularia.

48 Pressius adhuc accipitur 3. pro notitiâ discursivâ per Syllogismum evidentem habita. Hæc acceptio apud Philosophos frequentissima, complectitur Demonstrationem à priori, & à posteriori. Quare Scientia actualis idem est, ac *Demonstratio*: habitualis autem est *Habitus per Demonstrationem adquisitus*.

49 Circâ objectum Scientiæ sic acceptæ *quæritur*, an debeat esse *universale*, *necessarium*, *perpetuum*, *ingenerabile*, *incorruptibile*, & *Ens per se*? Hæc attributa passim illi tribuuntur á Philosophis

cum Aristotele, propterea negantibus, Scientiam esse de singularibus, contingentibus, corruptibilibus, & entibus per accidens, aut non entibus.

50 *Resp. 1.*: attributa illa ritè explicata competunt objecto Scientiarum totalium, quæ appellantur Disciplinæ, saltem quoad actus præcipuos. Nam earum Subjectum, seu ratio *sub quâ*, est aliquid *universale*, v. g. Ens ut sic, Corpus mobile ut sic, Modus sciendi ut sic: *Universali* autem conveniant attributa illa, sensu in superioribus explicato. Nulla profectò Disciplina per actus primarios differit de singulari qua tali: nam etiam cum de Sole differitur, ea prædicata demonstrantur, quæ pariter convenirent Solibus alijs ejusdem speciei, si darentur. Excipe tamen actus differentes de Causâ primâ, seu de summo Ente, nempe Deo.

51 Nulla item Disciplina primariè differit de ente per accidens (saltem quatenus hoc nomine significatur ens casuale, vel anum per aggregationem, ut acervus lapidum); sed omnes exigunt objectum, quod sit *ens per se unum*, tum unitate logicâ per conceptum univocum, aut saltem analogum, tum unitate physicâ, seu reali; quæ tamen non est in omnibus æquè rigida, sed latitudinem admittit; ut in *Metaphysicâ* dicemus.

52 *Resp. 2.*: sine ijs attributis dari potest objectum Demonstrationis, atque adeò Scientiæ, sive actus scientifici, qui vel ad nullam

Disciplinam pertineat propter materiam facilem, & obviam, vel pertineat ad aliquam minùs principaliter, aut secundariò. Exemplo sint Demonstrationes istæ. *Quidquid cogitat, existit; sed ego cogito; ergo existo. Hic lignorum fascis est unum per accidens; Sed hic lignorum fascis actu existit; ergo aliquod unum per accidens actu existit.*

53 Profectò, isti sunt syllogismi evidentes; proindeque non falsi, nec sophistici, nec topici; ergo demonstrativi; non enim alia restat species syllogismi. Nec refert quòd altera, vel utraque Præmissa sumatur ab experientia. Nam potest ab experientia progredi discursus scientificus: alioqui notitia, quam de existentia, & attributis Dei adquirimus ex creaturis hisce, quas cernimus, non posset esse Demonstratio, nec Scientia; quod est contra communem sensum, cui favet Apostolus *Ad Rom. cap. 1.*

54 *Dices:* nihil apud Philosophos solemnius, quàm quòd Scientia est de necessarijs, & in eo differt ab Opinione, quæ est de contingentibus. *Insto:* ergo, sicut Opinio potest nihilominus esse de necessarijs, & passim est, ut vidimus *cap. præced.*; ita Scientia poterit esse de contingentibus. Itaque Philosophi loquantur de Scientijs totalibus quoad actus præcipuos, vel de solâ Scientia Propter quid universaliter concludente. Adde, quòd, sicut Opinio dicitur esse de contingentibus, non absolutè in se ipsis, sed quantum est ex vi motivi, quo nititur;

ita Scientia est de necessarijs, non absolutè in se ipsis, sed ex suppositione motivi evidentis, & in sensu composito actus scientifici, qui necessariò connectitur cum objecto.

55 Jam Scientia discursiva, seu demonstrativa, tot modis dividitur, quot Demonstratio. Unde alia est Scientia à priori, alia à posteriori; alia Quia, alia propter quid: & hæc ultima est, quæ à multis sola vocatur Scientia simpliciter, & cui propriè convenit celebris definitio scientiæ, sumpta ex Aristot. *r. Post. cap. 2.*, videlicet, *Cognitio rei per causam, & quòd illius est causa, & quod aliter se habere non potest.*

56 Quæ definitio sic explicatur. In primis *ly per causam* indicat notitiam discursivam, hominis propriam; nam Angelus non cognoscit effectus per causam, sed in causa; per simplicem intuitum: indicat item causam proximam; nam remota non est propriè, & strictè causa effectus mediati.

57 Deinde illa verba, *& quòd illius est causa*, denotant, non sufficere cognitionem ejus, quod est causa, & ejus, quod est effectus, nisi cognoscatur unum, ut causa alterius. Unde, qui videret Lunæ defectum, simulque cerneret, terram inter Solem, & Lunam interponi, si non cognosceret, eclypsum à terre interpositione provenire, non sciret propter quid Luna deficeret.

58 Non tamen requiritur iudicium expressum de causalitate, distinctam à Præmissis, & Conclu-

sionem præcedens, alioquin tres Præmissas exigeret Demonstratio Propter quid; sed sufficit, quòd minus causandi vividè apprehendatur, vel exercitè cognoscatur in Præmissis per ipsam penetrationem Medij; nisi malis, ut Conclusio formalis attingat Præmissarum objectum, ex dictis disp. præced. in fine. Denique illud, *Et quòd aliter se habere non potest*, postulat ut cognoscatur connexio causæ cum effectu, ita ut à tali causà nequeat non provenire talis effectus.

59 Notandum hic, Scientiam Propter quid, dum est per altissimas causas, appellari Sapientiam; quod nomen inter Scientias humanas soli Metaphysicæ tribuitur: dum verò per causas inferiores, propriè Scientiam. De divisionibus Scienciæ, in actualem, & habitualem, in totalem, & partialem, in practicam, & speculativam, nec non de distinctione Scientiarum totalium ex varijs abstractionibus à materià, diximus Tract. I. Proemial. quantum pro Logico sufficit.

Explicatur Subalternatio Scientiarum.

60 **R**ESTAT divisio Scientiæ totalis in subalternantem, & subalternatam, nunc paucis explicanda. Subordinatio, vel dependentia, quæ sepè inter Scientias invenitur, dicitur subalternatio. Quæ Scientia pendet, vel subordinatur alteri, vocatur subalternata; quæ verò sibi subordinat alteram, vocatur Subalternans.

61 Ut una Facultas alteri subalternetur largo sensu, vel secùdum

quid, sufficit 1., si ratione finis alteri subserviat: sic ars frænofactiva subalternatur equestri, & hæc militari; ut etiam omnis Scientia humana Sacræ Theologiæ. 2., si subjectum unius contineatur sub subjecto alterius: ex quo capite omnis Scientia naturalis subalternatur Metaphysicæ. 3. si ab alterà mutuetur aliqua principia.

62 Sed, ut detur Subalternatio simpliciter, debent simul concurrere tres conditiones. 1., ut subjectum, seu materia unius Scientiæ, contineatur sub alterius communi subjecto. 2., ut superaddat aliquam differentiam accidentalem; aliter non erunt Scientiæ simpliciter distinctæ, sed altera erit pars alterius. 3., ut omnia, vel pleraque saltem principia unius Scientiæ, sint Conclusiones à priori demonstratæ, vel demonstrabiles ab alterà.

63 His de causis Medicina, quæ respicit corpus humanum ut sanabile, simpliciter subalternatur Physicæ: quia corpus humanum est species Corporis mobilis ut sic, quod est subjectum Physicæ: superadditur Sanabilitas, quæ est differentia accidentalis: ac demum omnia, vel pleraque Medicinæ principia, sunt conclusiones à Physicâ demonstratæ, vel demonstrabiles. Hinc dici solet, ubi desinit Physicus, incipit Medicus. Ob easdem causas, Musica, quæ considerat Numerum, ut sonorum, subalternatur Arithmeticæ: & Perspectiva, quæ considerat Lineam ut visualem, subalternatur Geometriæ.

64 Quando accidentalis differentia est per se scibilis seorsum á tali subjecto, tunc Scientia subalternata dicitur media inter duas alias, alteram, á quâ accipit subjectum, alteram, á quâ mutuatur differentiam: atque ita se habet Musica inter Arithmetica, & Physicam, cum ab hac *Sonorum*, ab illa *Numerum* accipiat: non tamen proprie subalternatur utrique, sed illi tantum, cui debet principia cum subjecto.

65 Facultas subalternata existens in eo, qui simul tenet subalternantem, v. g. Musica in Arithmetico, proculdubio est Scientia, & á priori quidem, seu *Propter quid*, cum evidentes conclusiones eliciat ex principijs, vel Præmissis ab eodem Intellectu cognitis evidenter per prima principia. Dubium tamen est, an, dum habetur ab ignaro subalternantis, v. g. Musica á non Arithmetico, sit Scientia?

66 Alij affirmant, alij negant. Et quæstio procedit de Scientiâ formaliter sumptâ pro cognitione; si enim sumatur objective, seu pro ob-

jecto demonstrabili, erit utique Scientia, quamvis actu non cognoscatur scientificè. *Dico 1.*: Subalternata seorsum á Subalternante potest esse Scientia *Quia*, sive á *posteriori*: potest enim Musicus, aut Medicus, ab experientia, & effectibus evidenter probare principia, quibus nititur. In hoc omnes convenire videntur.

67 *Dico 2.*: Subalternata sine Subalternante nequit esse Scientia á priori, seu *Propter quid*: & si aliunde non habet evidentiam á *posteriori*, nullo modo est Scientia. *Probat*: quia Scientia proprie talis non stat sine evidentiâ, vel saltem sine certitudine metaphysicâ, vel physica. Facultas autem subalternata, dum abest subalternans, nec adest evidens experientia, seu certa inductio per effectus, non cognoscit sua principia, nisi per fidem humanam, quâ creditur Magistro docenti. At humana fides, nec evidentiam, nec certitudinem plusquam moralem, importare potest.

FINIS.



# INDEX TITULORUM,

QUI HOC OPERE CONTINENTUR.

## TRACTAT. I.

Proemialis.

De Naturâ, & objecto Logicæ.  
**D**ISPUT. I. de Naturâ Logi-  
 cæ. Pag. 1.  
 Cap. 1. De Notione, Quidditate,  
 & divisione Logicæ. 1.  
 Logicæ Divisio multiplex. 2.  
 Cap. 2. De Logica docente, &  
 utente. 3.  
 Notanda quædam, & illationes 4.  
 Sententiæ nostræ prima conclusio. 5.  
 Secunda conclusio. 6.  
 Cap. 3. An, & quatenus Logica utēs  
 à docente distinguatur? 8.  
 Quid de Logica utente extra pro-  
 priam materiam? 8.  
 Cap. 4. An Logica concurrat effi-  
 cienter ad actus aliarum Scien-  
 tiarum? 10.  
 Solvuntur Objectiones. 12.  
 Cap. 5. Utrum Logica sit Simplex  
 Qualitas? 14.  
 Cap. 6. objectiones adversæ di-  
 luuntur. 17.  
 Cap. 7. An Logica sit necessaria ad  
 alias Scientias acquirendas. 21.  
 Nostra conclusio. 21.  
 Exarmanur argumenta contra-  
 ria. 23.  
 Cap. 8. An Logica sit Ars, &  
 Scientia. 26.  
 Cap. 9. Utrum Logica sit Scientia  
 practica, an speculativa? 29.  
 Assertio nostra principalis. 31.

Assertio altera. 32.  
 Assertio tertia. 32.  
 Cap. 10. Objectionibus fit satis 32.  
**D**ISPU. II. De Objecto Logicæ. 36.  
 Cap. 1. Objectum in communi quid,  
 & quotuplex? 36.  
 Cap. 2. Utrum voces sint objectum  
 directè, & per se consideratum  
 à Logica? 39.  
 Solvuntur objectiones. 41.  
 Cap. 3. An, & quatenus res secun-  
 dum esse physicum sint Objectum  
 Logicæ? 44.  
 Cap. 4. Utrum Objectum formale  
 Logicæ sit ens rationis? 46.  
 Explicatis terminis, Authorum sen-  
 tentiæ referuntur. 46.  
 Artificium à Logica intentum in ac-  
 tibus Intellectus, non consistit in  
 ente rationis ficto. 48.  
 Secundæ Intentiones objectivæ non  
 consistant formaliter in ente ra-  
 tionis ficto. 49.  
 Ens rationis purè objectivum abso-  
 lutè rejiciendum est ab objecto  
 Logicæ formali. 52.  
 Cap. 5. Exarmanur argumenta  
 contraria. 54.  
 Cap. 6. An, & quatenus ad objec-  
 tum Logicæ pertineant secundæ  
 intentiones objectivæ in cōcreto,  
 & sine fictione cōstitutæ? 59.  
 Assertio prima. 60.  
 Assertio altera. 62.  
 Cap. 7. Objectum Logicæ formale  
 di-

- rectè statuitur in actibus Intellectus. 63.
- Quotuplex sit operatio Intellectus? & quatenus arte dirigibilis? 65.
- Quid sit artificium actuum Intellectus? 65.
- Objectum Logicæ formale sunt actus Intellectus secundum artificium sibi proprium. 70.
- Cap. 8. Argumenta contraria, & solutiones. 72.
- Cap. 9. Quodnam sit in Logica Objectum Attributionis? 76.
- TRACTAT. II.
- De Universalibus generatim.
- Disput. I. De Identitate, & Distinctione.
- C**AP. 1. De Identitate, ac Distinctione in communi. Ubi an detur inter Gradus metaphysicos distinctio realis? 81.
- Inter Gradus metaphysicos ejusdem rei nulla est distinctio realis. 83.
- Cap. 2. Explicatur, & rejicitur Distinctio formalis ex naturâ rei. 85.
- Cap. 3. Argumenta Scotistarum soluta. 87.
- Cap. 4. An detur in creatis Distinctio virtualis intrinseca? 93.
- Cap. 5. Argumenta pro Distinctione virtuali solvuntur, 94.
- Corollarium. 97.
- Cap. 6. Explicatur distinctio rationis, opposita Unitas, vel Identitas. 98.
- Cap. 7. Utrum per objectivam præcisionem, an per formalem dumtaxat, fieri possit Distinctio rationis? 101.
- Præfertur, & explicatur ex D. Thomâ Præcisio formalis. 104.
- Cap. 8. Cum præcisione formali bene coheret Distinctio rationis. 106.
- Cap. 9. Objectiones aliæ depulse. 111.
- DISPUT. II. De Constitutione Universalis. 115.
- Cap. 1. Quid sit Universale? & an detur à parte rei? 115.
- Proponitur, & impugnatur sententia Scotistarum. 117.
- Cap. 2. Probatur generatim repugnantia Universalis à parte rei: & contrarijs argumentis occurritur. 120.
- Cap. 3. Explicatur Universale per Intellectum. 124.
- Cap. 4. Quodnam sit Objectum cognitionis constituentis Universale? 128.
- Explicatur prædicabilitas istius Objecti. 130.
- Cap. 5. Solvuntur Argumenta varia contra nosram constitutionem Universalis. 134.
- Argumenta Thomistica. 135.
- Cap. 6. Utrum ad Universale plene constituendum requiratur notitia comparativa? 138.
- Pro repellendis objectionibus doctrina utilis. 141.
- Cap. 7. Utrum Universale salvetur in actuali prædicatione? 143.
- Cap. 8. Enervantur argumenta contraria. 148.
- Cap. 9. Deciduntur nonnullæ quæstiunculæ, quæ supersunt de Universalibus generatim. 154.



## TRACTAT. III.

De Universalibus sigillatim,  
feu de quinque Prædica-  
bilibus.

DISPUT. I. De Genere, & Specie.

**C**AP. 1. Definitur Genus, &  
dubiola quædam resolvun-  
tur.

Dubiola quædam circa Genus. 160.

Cap. 2. quodnam sit definitum in  
definitione Generis? 163.

Cap. 3. De Specie, tum subijcibili,  
tum prædicabili. 167.

Cap. 4. Utrum Species prædicabi-  
lis necessariò requirat plura in-  
dividua possibilia? 170.

Cap. 5. Enodatur objectiones. 173.

Cap. 6. De Individuo. Ubi, an pos-  
sit abstrahi communis, & univoca  
ratio Individui. 175.

Ocurritur Objectionibus. 178.

DISPUT. II. De reliquis Prædica-  
bilibus Porphyrianis: ubi etiam  
de numero, & convenientiâ Præ-  
dicabilem. 181.

Cap. 1. De Differentiâ. 181.

Cap. 2. Nonnullæ Quæstiones circa  
Differentiam deciduntur. 184.

Cap. 3. De Proprio. 188.

Cap. 4. De Accidenti. 189.

Cap. 5. De numero, & covenientia  
Prædicabilem. 191.

Cap. 6. De varijs prædicationum  
modis. 195.

## TRACTAT. IV.

De Prædicamentis summatim.

## DISPUT. UNICA.

**D**octrina de Prædicamentis,  
quantum Logicæ interest,  
explicatur. Ubi de Relatione  
fusiús. 199.

Cap. 1. Antepredicamenta decla-  
rantur. 199.

Cap. 2. Prædicamenta breviter per-  
stringuntur. 202.

Cap. 3. Quid sit relatio? & quotu-  
plex? 205.

Cap. 4. In quo consistat Relatio  
prædicamentalis? 208.

Rejicitur prima sententia. 208.

Rejicitur secunda sententia. 211.

Tertia sententia præfertur. 212.

Cap. 5. Fundamenta contraria dis-  
solvuntur. 214.

Cap. 6. Reliqua de Relatione per-  
tringuntur. 219.

Cap. 7. De Post prædicamentis. 221.

## TRACTAT. V.

De quibusdam Dubiis ad Libros

Perihermenias spectatibus: præ-  
cipuè verò de Veritate, & Fal-  
sitate Enunciationum.

## DISPUT. I.

**A**liqua Dubia de Signo vocali,  
ac Definitione. 222.

Cap. 1. Dubia de Signo vocali. 222.

Cap. 2. Dubia circa Definitio-  
nem. 226.

DISPUT. II. De Veritate, & Falsi-  
tate Enunciationum. 230.

Cap. 1. In quo consistat Veritas  
Enunciationum? Et an illam  
essentialitèr exigat omnis Enun-  
ciatio vera? 230.


Cap. 2. Argumenta contra Doctri-  
nam Capituli præcedentis ener-  
vantur. 234.

Cap. 3. Utrum Propositio aliqua  
semel vera possit abire in fal-  
sam? 238.


Cap. 4. Diruitur fundamentum


- contrariæ sententiæ. 241.  
 Cap. V. Deciduntur aliæ de Veritate, & Falsitate quæstiones. 245.
- TRACTAT. VI. ET ULTIMUS.**  
 In Libros Aristotelis Analyticos.
- DISPUT. I. De Syllogismo in communi.** 249.
- Cap. 1. Dubia quædam de Syllogismo, & Præmissis eius in ordine ad Conclusionem spectatis. 249.
- Cap. 2. Utrum Præmissæ necessitent Intellectum ad Conclusionem? 251.
- Cap. 3. Duplex quæstio de Conclusionis Syllogismi. 256.
- DISP. II. de Syllogismo Demonstrativo.** 257.
- Cap. 1. Quid sit Demonstratio? & quotuplex? Ubi de Præcognitis, & Principijs. 257.
- Demonstratio dividitur multifariam. 258.
- De Principijs, & Propositionibus per se notis, atque etiam de Circulo nonnihil. 259.
- Cap. 2. Quales esse debeant Præmissæ Demonstrationis, præsertim ex materiâ circa quam? 261.
- Cap. 3. Quid sit Opinio, & Syllogismus Topicus, & quatenus à Demonstrativo differat? 264.
- Cap. 4., & ult. de Scientiâ, quæ per Demonstrationem habetur. 267.
- Explicatur subalternatio Scientiarum. 269.

# FINIS.









Signat. Top?

Est. 44

Tab. 3

Nam. 3

Handwritten musical notation on a narrow strip of paper, featuring a series of rhythmic symbols and notes.

1714

1714